Juvenalis, Decius
Junius
Persius, Aulus

Jouvency, Josephus

DECII JUNII
JUVENALIS
ET AULI
PERSII
SATYRÆ,

Cum Interpretatione, ac Notis

P. JOSEPHI JUVENCII


è Societate JESU.



VENETIIS, MDCCXXXV.

Apud Nicolaum Pezzana.

Superiorum Permissu, ac Privilegio.



PRÆFATIO.



QUI commentarios, & notas in Juvenalem hactenus ediderunt, alii, quia breviores, ideò sunt obscuri; alii, quia prolixiores, obtundunt potiùs, quàm juvant, alii denique, dum fœdos quosdam locos illustrare contendunt, quos obscurare, ac premere debuerant, tetram pestem legentium auribus, & animis inhalant, gravi cum periculo, ac detrimento studiosæ juventutis. Hæc tria fugere diligenter studuimus; obscœnitatem omnem in primis, ita detersimus, ut impunè legi libellus totus possit. Virulentos id genus libros abiicere prorsus debet, cuicumque vilis anima sua non est: easdemque usurpare voces, quibus Crates ille Thebanus olim usus fertur, cùm opes in mare proiiceret: *Perdo vos, ne perdar a vobis*. Quam in rem appositè Origenes, & post illum S. Ambrosius pestifera locupletum ingeniorum monumenta *Divitias peccatorum* vocitarunt. Suaves erant Sirenum cantus, sed mortiferi. Somnum lenissimè conciliabant, cui tacita mors obrepebat: *Mortem dabat ipsa voluptas*. Occurrit huic malo prudens Ulysses. *Qui cogitavit felicissimam surditatem, ut quas vincere intelligendo non poterat, meliùs non advertendo superaret*. (Cassiod. lib.11. ep. 40.) Nullum aliud præsentius remedium potest excogitari contra insidiosas librorum exitialium voces, quos, ut rectè monet Augustinus, *Nescire, quàm Scire, meliùs est*. Aureis, gemmeisque poculis incautos hospites invitabat Circe: latebat in poculis venenum, quo in immundas sues, & ferarum monstra horrida verterentur.

VITA JUVENALIS.

IUvenalis Poeta Italus fuit, natus Aquini, in urbe Italiæ. Sunt, qui liberti filium fuisse putent. Cùm imperante Domitiano scripsisset satyram, quæ nunc est ordine septima, vel eius aliquot versus, quibus apertè carpebat Paridem Pantomimum Domitiano gratiosum, eius opera missus est in exilium, & in Lybiam cum coborte militari, quæ illuc mittebatur, discessit Roma: quò post annos admodùm decem, cæso Paride, interfecto etiam Domitiano, ejusque actis rescissis, revocatus ab exilio redit. In eo videtur duas ultimas satyras scripsisse; alias Romæ, sub Domitiano paucas, plures sub Traiano, quasdam sub Adriano; ad cuius annum quartum pervenisse dicitur, qui incidit in mundi 4172. ab V. C. 872. Christi 119.



D. JU-



D. JUNII JUVENALIS SATYRÆ,

Omni obſcœnitate expurgatæ.

SATYRA I.

Exponit, quare ad Satyras ſcribendas aggrediatur.

SEmper ego auditor tantùm? numquamne reponam,
Vexatus toties rauci Theſeide Codri?
Impunè ergo mihi recitaverit ille togatas,
Hic elegos? impunè diem conſumpſerit ingens
Telephus, aut ſummi plena jam margine libri

Satyra. Poema eſt carpendis hominum vitiis inſtitutum; ſic dictum à Satyris, qui erant veterum Dii protervi, ac dicaces.

Semper ego, &c. Semperne audiam malos poetas ſua mihi carmina recitantes? *Nunquamne reponam.* Nunquamne, & ego vicem iis referam?

Rauci. Recitando rauci, vel clamoſi.

Theſeide Codri. Recitatione poematis de Theſei geſtis, à Codro, ignobili quodam hujus temporis poeta, ſcripti. Theſeis, ut Æneis.

Togatas. Comœdias Latinas, quæ togatæ dicebantur à toga, Romanorum veſte, ut comœdiæ Græcæ palliatæ dicebantur à Græcorum palliis.

Elegos. Verſus elegiacos.

Ingens Telephus. Longa Tragœdia, cujus argumentum erat Telephus Rex Myſiæ, qui cùm Græcos ad bellum Trojanum properantes arceret à Myſia, vulneratus eſt ab Achille. Ora-

Scriptus, & in tergo, necdum finitus Orestes?
Nota magis nulli domus est sua, quàm mihi lucus
Martis, & Æoliis vicinum rupibus antrum
Vulcani. Quid agant venti, quas torqueat umbras
Æacus, unde alius furtivæ devehat aurum
Pelliculæ, quantas jaculetur Monychus ornos,
Frontonis platani, convulsaq; marmora clamant

raculo consulto, intellexit se sanari non posse, nisi eadem hasta, qua vulneratus fuerat. Itaque adiit Achillem, & rubigine ex ejus hasta decussa, vulneri suo medicinam fecit.

In tergo. In adversa charta, in exteriore parte.

Orestes. Tragædia, cujus nomen, & argumentum erat Orestes, Agamemnonis filius, qui Clytemnestram matrem interfecit.

Nota magis nulli, &c. Sensus est; fabulæ, & historiæ, quibus aures quotidie meas obtundunt poetæ, mihi æquè notæ sunt, ac sua cuique domus.

Lucus Martis. Historia Romuli, & Remi, quos peperit Rhea in luco Martis. Erat & alius Martis lucus Athenis &c.

Æoliis rupibus. Septem insulis Liparæis, in mari Siculo, in quarum una regnasse dicitur Æolus.

Antrum Vulcani. Ætna

Quid agant venti, &c. Quomodo venti tempestates, & serenitatem afferant. Enumerat varia poematum argumenta.

Quas torqueat umbras: Quas animas apud Inferos examinet, vel, quibus suppliciis afficiat.

Æacus. Jovis filius ex Ægino, vel, ut aliis placet, ex Europa; unus è tribus apud Inferos judicibus.

Unde alius, &c. Quo ex loco alius quispiam furtim sublatam pellem asportet. Jason cum Argonautis è Colchide aureum vellus in Græciam transtulit. Æeta, Rex Colchidis, cujus filia erat Medea, aureum vellus, unde fatum regni pendebat, custodiebat, adhibito dracone pervigili: hunc Medea sopivit incantamentis, & facultatem dedit Jasoni, quem amabat, aurei velleris rapiendi.

Quantas jaculetur, &c. Quomodo gigas Monychus arbores totas instar sagittarum torqueat. Fuit ille Centaurus; atque indicatur hic pugna Centaurorum contra Lapithas. Centauri fuerunt Thessaliæ populi, qui primi equis usi sunt: quibus cùm insiderent, apparebant eminus videntibus partim homines, partim equi. Lapithæ fuerunt ejusdem Thessaliæ populi, qui in nuptiis Pirithoi contra Centauros depugnarunt.

Frontonis, &c. Julii Frõtonis domus personat vocibus poetarum, sua carmina recitantium. Erat is nobilis

Semper, & assiduo ruptæ lectore columnæ:
Expectes eadem à summo, minimoque Poeta.
Et nos ergo manum ferulæ subduximus, & nos
Consilium dedimus Syllæ, privatus ut altum
Dormiret: stulta est clementia, cùm tot ubique
Vatibus occurras, perituræ parcere chartæ.
Cur tamen hoc potiùs libeat decurrere campo.
Per quem magnus equos Auruncæ flexit alumnus,
Si vacat, & placidi rationem admittitis, edam.

bilis Romanus, cujus in ædibus Poetæ recitabant, & quas illis ob eam rem ultrò commodabat.

Platani. Porticus, quas obumbrant platani.

Convulsaque marmora. Frequentia auditorum, vel clamore recitatoris ruptæ propemodũ columnæ marmoreæ resonant; vel assidua recitatione quasi jam edoctæ clamant, quid agant venti, quas torqueat umbras Æacus, &c.

Expectes eadem, &c. Summi, & infimi, clari, & obscuri Poetæ idem faciunt; legunt nempè, & recitant sua poemata, de iisdem argumentis, quæ dixi, scripta.

Et nos ergo, &c. Cur ego non perinde, atque illi, versus faciam, qui olim didici litteras, & ludum litterarium frequentavi? unde jam discessi, & manum ferulæ subtraxi. Vel, relinquenda sunt Grammaticæ studia, & pueriles declamationes; nihil mihi cum ferulis, & scholis negotii esse volo: scribendum aliquid dignum ætate mea, dignum eruditione.

Consilium dedimus, &c. In declamationibus scilicet, quæ nobis Rethoricam discentibus componendę tradebantur.

Syllæ. Fuit Sylla nobilis Romanus, qui se felicem dici voluit, Jugurtham regem Numidię vicit, Marium oppressit, Dictaturam invasit, quam anno post quarto deposuit, privatusque obiit.

Privatus ut altum, &c. Ut, deposita dictatura, vitam privatam in otio duceret.

Perituræ. Cui ego si pepercero, alia tamen manu peribit, malè consumpta à tot malis Poetis: vel, quæ, si nemo scribat, jacebit inutilis, ac peribit.

Cur tamen. Cur utar hoc genere carminis: cur scribere satyram malim, quàm alia carmina, v.g. Epopæjam, tragædiam.

Auruncæ alumnus. Lucilius, ex Aurunca Rutulorum civitate natus, Latinæ satyræ primus auctor.

Per quem flexit equos. Quod genus scribendi secutus est: sumpta metaphora à curulibus certaminibus, ubi à carceribus ad metam decurrebant.

Et placidi, &c. Si faciles mihi aures præbetis, dicam.

Patricios omnes opibus cùm provocet unus,
Quo tondente gravis juveni mihi barba sonabat
Cùm pars Niliacæ plebis, cùm verna Canopi
Crispinus, Tyrias humero revocante lacernas,
Ventilet æstivum digitis sudantibus aurum,
Nec sufferre queat majoris pondera gemmæ;
Difficile est satyram non scribere. Nam quis iniquæ
Tam patiens Urbis, tam ferreus, ut teneat se?
Causidici nova cùm veniat lectica Mathonis

Patricios omnes, &c. Cùm nobilissimos quosq; Romanos divitiis adæquet, ac veluti cum iis certet opibus. Propriè illi apud Romanos Patricii dicebantur, qui erant orti è primis centum patribus, seu Senatoribus, è quibus Senatus Roman. à Romulo compositus est: qui subinde auctus, ad 700. patres excrevit.

Quo tondente, &c. Quo tondente barba mihi sub forcipe sonanti cadebat: hoc est, qui meus olim fuit tonsor. Intelligit Cinnamum, de quo *Martialis lib.* 7. vel, ut aliis placet, Licinium Augusti libertum.

Pars Niliacæ plebis. Unus è plebe Ægyptia.

Verna Canopi. Servus è Canopo, quæ est civitas in Ægypto, duodecim milliaribus Alexandrià distans, fano Serapidis inclyta.

Crispinus. Homo nequissimus, è servo factus magister Equitum à Nerone.

Tyrias lacernas. Lacernæ propriè erant vestes, quæ tunicæ, vel togæ superponebantur, contra inclementiam aeris; quæ etiam alio nomine pænulæ, & abollæ dicebantur. Talia sunt nostra ferè pallia.

Humero revocante. Rejecta in humerum, ac tergum lacerna, ut ne incommoda sit ambulanti, vel, humero retinente diffluentem lacernam, ope fibulæ: vel, sæpe mutante, & novam ostendente.

Ventilet. Manibus sursum jactatis, & vibratis ostëtet.

Æstivum aurum. Annulum tenuis bracteæ, & levem, qualem nobiles Romani per æstatem gerebant.

Majoris gemmæ. Annuli ponderosioris.

Nam quis, &c. Quis tam patienter ferat Urbis vitia, ut se teneat, hoc est, abstineat à scribenda satyra?

Tam ferreus. Tam ab omnibus affectibus alienus, tam rigidus, & irasci, moverique nescius.

Novà cùm veniat, &c. Cùm occurrat tibi Matho gestatus in recenti, & ornata lectica. Ea tantùm nobiles, & divites utebantur.

Plena ipso. Quia nempe tam crassus, & obesus erat, ut lecticam solus impleret.

Et post hunc. Cùm veniat post Mathonem, gestatus

item

Plena ipso, & post hunc magni delator amici,
Et citò rapturus de nobilitate comesa
Quod superest, quem Massa timet, quem munere palpat
Carus, & a trepido Thimele summissa Latino.
Quid referam, quanta siccum jecur ardeat ira,
Cùm populum gregibus comitum premat hic spoliator
Pupilli prostantis? & hic damnatus inani
Judicio (quid enim salvis infamia nummis?)

item lectica, &c.

Magni delator amici. Marcus Regulus, aut alius quispiam delator, seu accusator occultus, qui amicum suum opibus, & gratia Imperatoris florentem oppresserat. Talis ille P. Egnatius, de quo agit in Sat. 3 qui Soranum accusavit.

Et citò rapturus &c. Post spoliatos, aut interfectos plerosque nobiles, brevi reliquos pariter sublaturus, vel saltem rapturus, si quæ adhuc bona iis supersunt.

Massa, carus, &c. Divites delatores ex Imperatoris aula, inferioris tamen, quàm Regulus, notæ.

Munere palpat. Quem conciliare conatur missis muneribus.

Et à trepido, &c. Uxor Latini, à marito ad Regulum delatorem missa, ut eum ipsi propitium redderet. Erat Latinus iste mimus, & histrio celebris, idemque delator, sed Regulo impar.

Cùm populum, &c. Tanta turba illum comitatur, ut liberam populo, & patentem viam non relinquat, sed ipse totam occupet.

Hic spoliator &c. Unus aliquis, qui pupillum spoliavit.

Prostantis. Ad turpissima quæque ob extremam egestatem redacti. Prostare dicebantur venales servi, cùm emendi publicè proponebantur.

Et hic &c. Marius Priscus, qui ab Afris, quos Proconsul spoliarat, accusatus est.

Inani. Ex quo nihil damni tulit Marius, nihil utilitatis Africa. Acta est hæc Marii causa in senatu, præsente ipso Trajano, anno imperii tertio, & tertio ejusdem consulatu, perorante pro Afris Plinio, ut est ipse de se testis, epistola 21. lib. 2. anno ab urbe condita 853. Christi 100.

Quid enim, &c. Quid enim nocet infamia, si salvi sint nummi?

Ab octava. Incipit epulari ab octava hora, scilicet una hora, antequam vulgò cibus sumeretur. Accumbebant enim mensę Romani circa nonam tantùm horam, idest, tertiam ante solis occasum, ut nos nu-

Exul ab octava Marius bibit, & fruitur Diis
Iratis; at tu victrix provincia ploras.
Hæc ego non credam Venusina digna lucerna?
Hæc ego non agitem? sed quid magis Heracleas,
Aut Diomedeas, aut mugitum Labyrinthi,
Et mare percussum puero, fabrumque volantem?
Cùm fas esse putet curam sperare cohortis,

meramus; illi enim ab ortu solis usque ad occasum numerabant semper duodecim horas, quæ inæquales erant pro dierum inæqualitate, hyeme breviores, longiores æstate.

Et fruitur Diis &c. Licèt habeat Deos ob rapinas, & latrocinia sua iratos, fructum tamen ex eorum ira capit: retinens nempe magnam partem pecuniæ, & sibi in exilio lautiùs, quàm anteà, indulgens.

At tu victrix &c. Quæ obtinuisti, ut Marius damnaretur, ploras tamen, non restituta scilicet pecunia, quæ ablata tibi ab eo fuerat.

Venusina &c. Nonne meritò existimem hæc digna esse, quæ exagitentur carmine satyrico, in quo excelluit Horatius oriundus Venusia, Italiæ oppido? Lucernam pro versibus dicit, quia poetæ solebant ad lucernam elucubrare sua carmina.

Agitem. Insecter, carpam.

Sed quid &c. An præstat scribere fabulas de Herculis ærumnis, & laboribus.

Diomedeas. Fabulas de Diomede, qui duplex fuit: alter Thraciæ Rex, homo ferus, qui equos suos humanis alebat carnibus; hic suis ipsius equis devorandus objectus est ab Hercule: alter Ætoliæ Rex, Tydei filius, qui bello Trojano interfuit, Rhesi equos, & Palladium cepit, Martem, & Venerem vulneravit, confecto bello in Italiam venit: ubi per dolum interemptus fertur, ejusque socii, dum eum lugent, in aves, Diomedeas dictas, mutati.

Mugitum Labyrinthi. Fabulas de Theseo, & Minotauro, in labyrintho mugiente.

Puero. Ab Icaro cadente. An satius est canere Icarum in mare cum strepitu decidentem?

Fabrumque volantem. Dædalum. Is labyrinthum fabricatus est, in eo inclusus à Minoe Rege Cretensium, illi certis de causis infenso; ut effugeret, alas sibi, ac filio suo Icaro confecit; iisque fretus evolavit in Italiam: sed Icarus propiùs solem volans, liquefacta cera, quæ plumas alarum compingebat, in mare decidit.

Cohortis. Cohors est pars decima legionis: legio ferè sex millia militum continebat.

Qui bona donavit præsepibus, & caret omni
Majorum censu, dum pervolat axe citato
Flaminiam: puer Automedon nam lora tenebat.
Nonne libet medio ceràs implere capaces
Quadrivio: cùm jam sexta cervice feratur
Hinc, atque inde patens, ac nuda pænè cathedra,
Et multùm referens de Mæcenate supino,
Signator falsò, qui se lautum, atque beatum
Exiguis tabulis, & gemma fecerat uda?
Occurrit matrona potens, quæ molle Calenum

Qui &c. Cornelius Fuscus, qui patrimonium equis alendis dilapidarat, Neronis tempore, cui aurigæ loco fuerat; à Domitiano cohortibus prætorianis præfectus.

Censu. Bonis.

Pervolat &c. Curru incitato decurrit.

Flaminiam. Viam à C. Flaminio stratam, per quam è Liguria, ubi nunc Genua, in Urbem ibatur.

Puer Automedon, &c Nam Fuscus olim, adhuc juvenis, auriga Neronis fuerat, atque ideò Neroni gratiosus. Vocatur autem Automedon, sumpto nomine ab auriga Achillis Automedonte, famoso apud Homerum.

Medio ceras, &c. Plena volumina satyrico carmine implere libet, idque palàm, per compita, & in omnium oculis. Libros appellat ceras, quia tabellis cera obductis utebantur pro papyro Romani, in quibus graphio scribebant.

Quadrivio. Est locus publicus, in quem viæ quatuor concurrunt, & multi convenire solent.

Sexta cervice. A sex famulis, seu bajulis; idest, in lectica, quam sex viri portabant.

Nuda. Aperta.

Multum referens &c. Simillimus Mæcenati.

Supino. Molli, & delicato, qui resupinato corpore jacebat in lectica.

Signator falsò. Domitius Regulus, testamentorum corruptor. *Plin. Epist.* 20. *lib.* 2. vel, Sophonius Tigellinus, qui trium patronorum veneno sublatorum hæreditates tabulis falsò signatis invasit, vel alius aliquis ejusmodi.

Lautum. Divitem.

Exiguis tabulis. Compendiosa, & brevi opera, falsas nempe testamentorum tabulas fabricando: vel, exiguis, idest, paucis verbis in testamentorum tabulis scriptis, quibus verbis falsarius se hæredem ex asse inscripserit.

Gemma. Annulo signatorio, qui gemmam habet inclusam.

Uda. Saliva tacto annulo, ut fit, ne cera candens illi adhærescat.

Calenum. Vinum Cam-

Porrectura viro miscet sitiente rubetam,
Instituitque rudes melior Locusta propinquas,
Per famam, & populum nigros efferre maritos.
Aude aliquid brevibus Gyaris, & carcere dignum,
Si vis esse aliquis. Probitas laudatur, & alget.
Criminibus debent hortos, prætoria, mensas,
Argentum vetus, & stantem extra pocula caprum.
Quem patitur dormire nurus corruptor avaræ?
Quem sponsæ turpes, & prætextatus adulter?

panum, a Calibus civitate Campaniæ.

Rubetam. Venenum ex rana rubeta confectum. Rubeta est ranæ genus quoddam venenosum, in vepribus nascens, ac rubis, unde nomen traxit.

Instituit &c. Et suas vicinas adhuc rudes, & imperitas illius præclaræ artis, ac veneficiorum veluti magistra docet efferre, idest ad rogum ferre, interficere.

Melior Locusta, Peritior venefica, quàm illa Locusta nuper veneficii damnata, cujus arte usa Agrippina boletum venenatum Claudio paraverat, & cujus posteà opera Nero Britannicum sustulit.

Per famam. Populo sciente, & vidente; neglectis populi rumoribus.

Nigros. Veneno lividos, & adhuc in cadaveribus lurida ejus vestigia præferentes.

Aude aliquid, &c. Hoc est, fac aliquod immane scelus; committendum est aliquid dignum exilio, si quis nunc vult esse dives, & honoratus. Gyara, vel Gyarus est una ex insulis Cycladibus, in mari Ægeo, exigua, maximè sterilis, in quam exules mittebantur. Gyaris porrò dixit in plurali numero ad majorem emphasim, cùm sit una tantùm hæc insula.

Aliquis. In aliquo pretio, si vis opes, & famam conficere.

Alget. Friget, ærumnosa, & pauper est.

Prætoria. Ædificia Prætoribus digna, seu villas lautiorum civium magnificè extructas.

Mensas. Citreas, marmoreas, eburneas mensas.

Argentum vetus. Pocula ex argento veteri, vel ab antiquo artifice sculpta.

Stantem. Signum capri in cælatura prominens, & quasi extans. Solebant Romani animalium figuras cælare in poculis, capri maximè, quia caper vulgò Baccho immolabatur.

Quem patitur, &c. Quis cessare à scribendo potest, cùm videat patrem, qui filii sui uxorem inducit ad flagitium? cùm sponsas amore turpi flagrantes cernat, & pueros adulteros?

Prætextatus. Indutus prætex-

Si natura negat, facit indignatiò versum,
Qualemcumq, potest: quales ego, vel Cluvienus,
Ex quo Deucalion, nimbis tollentibus æquor,
Navigio montem ascendit, sortesque poposcit,
Paulatimque anima caluerunt mollia saxa,
Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.
Et quando uberior vitiorum copia? quando
Major avaritiæ patuit sinus? alea quando
Hos animos? neq: enim loculis comitantibus itur
Ad casum tabulæ, positâ sed luditur arcâ.

texta. Erat vestis ornata limbo purpureo, quam pueri gestabant usque ad annum 17. quo togam virilem sumebant.

Cluvienus. Ineptus poeta.

Ex quo &c. Omnes affectus, omnia vitia, à diluvio ad usque nostra tempora, materia sunt hujus mei libri satyrici.

Nimbis. Imbribus mare augentibus.

Montem Parnassum, quò aquis subvectus est.

Sortes. Themidos oraculum consuluit. Vide Ovid. Metam lib. 1. sub finem. Oracula porrò sortes appellantur, quia solebant à vatibus, aut sacrificulis educi forte quædam tabellæ, in quibus Deorum responsa, & effata scripta erant.

Paulatimque &c. Saxa emollita vivere cœperunt. Scilicet oraculo jussi sunt Deucalion, & Pyrrha post tergum lapides mittere; & qui missi sunt à Deucalione, in viros mutati sunt, qui verò à Pyrrha, in fœminas: ita reparatus est orbis.

Votum. Cupiditates.

Discursus. Concursationes; variæ occupationes.

Farrago. Materia permixta, & confusa. Propriè vox ea significat varia pabula inter se mixta.

Quando major &c. Quando latiùs potuit avaritia? Metaphora hæc à velis est sumpta, quę cùm à ventis distenduntur, ingentem sinum dicuntur explicare; vel ab homine sinum, & brachia, ut aliquid accipiat, amplectaturque, aperiente.

Hos animos Subaudi, habuit: hoc est, quando tantus aleæ frequentandæ ardor fuit?

Loculis. Cum sacculis, & modica pecunia.

Ad casum tabulæ. Ad fortunam aleæ in tabulam, vel alveum lusorium conjectæ tentandam, & subeundam.

Arcâ. Arca tota, & plena nummorum affertur ad ludum.

Præ-

Prælia quanta illic dispensatore videbis
Armigero! simplexne furor sestertia centum
Perdere, & horrenti tunicam non reddere servo?
Quis totidem erexit villas? quis fercula septem
Secretò cœnavit avus? nunc sportula primo
Limine parva sedet, turbæ rapienda togatæ.
Ille tamen faciem priùs inspicit, & trepidat, ne
Suppositus venias, ac falso nomine poscas,
Agnitus accipies: jubet à præcone vocari
Ipsos Trojugenas, nam vexant limen & ipsi

Prælia. Rixas, jurgia.

Armigero. Servo, qui domino ludenti nummos, aleas, & cætera belli hujus arma subministrat; unde appellatur armiger, metaphora à bellātibus sumpta.

Simplexne furor. Nonne incredibilis furor est?

Sestertia. Sestertium erat nummus major, valens mille nummos minores, sestertios dictos sestertius autem erat moneta Romana, valens monetæ Gallicæ circiter asses duos: quare sestertia centum redeunt ferè ad decem millia librarum Gallicarum, & ad duo millia, & octingentos viginti nummos scutatos monetæ Romanæ.

Perdere. In ludo, & alea.

Horrenti. Præ frigore horrenti, & pænè nudo.

Reddere. Donare, vel restituere.

Quis totidem, &c. Quis è nostris avis, & majoribus tot villas extruxit, quot nunc extruimus?

Secretò. In sua domo privatim solus. Tunc enim gulæ plus indulgebant, quàm cùm cœnarent palam, & in oculis omnium.

Cęnavit. Apposuit in cęna.

Nunc sportula, &c. Non jam clientes ad cęnam lautam, & liberalem, qua olim ad eamdem cum domino mensam vescebantur, admittuntur; sed iis in domus introitu apponitur sportula, hoc est, calathus, seu canistrum è sparto, aut vimine confectum, in quo viliores sunt cibi, vel pro cibis pecuniæ summa exigua, nempe centum quadrantes, hoc est, ferè bajochi, ut loquuntur, 28. Romani; asses verò Francici 20.

Rapienda. Avidè accipienda.

Togatæ. Clientibus, qui togam sumebant, ut patronos viserent.

Ille. Qui sportulam distribuit.

Suppositus. Loco clientis alicujus.

Trojugenas. Nobiles sordidè sportulam petentes, quæ pauperibus parabatur. Vocat autem illos Trojugenas, nempè ortos ab antiquis illis Trojanis, atque ideò nobilissimos.

Vexant limen. Frequentes adsunt ad limen cum egentioribus.

Nobiscum: da Prætori, da deinde Tribuno:
Sed libertinus prior est: prior, inquit, ego adsum;
Cur timeam, dubitemve locum defendere, quamvis
Natus ad Euphratē? molles quod in aure fenestræ
Arguerint, licèt ipse negem: sed quinque tabernæ
Quadringēta parant. Quid confert purpura majus
Optandum, si Laurenti custodit in agro

Da Prętori. Inquit Prætor, da mihi. Da mihi Tribuno, inquit Tribunus. Vel sunt istæ voces ejus, qui sportulæ distribuendæ præest: is Pręconi dicit, da primum Prætori isti, tum Tribuno, &c. Respondet Præco: sed prior est in limine hic libertinus: ipse libertinus clamat, ego prior veni, &c.

Pratori. Erat Prætoris judicia exercere, jus dicere in Urbe, &c. in Provincia exercitum etiam ducere, &c.

Tribuno. Tribunus plebis populi negotia, & rationes contra potentiorum opes procurabat. Erant etiā Tribuni militares, &c.

Libertinus. Olim servus, nunc libertate donatus, vel potiùs liberti filius.

Inquit. Libertinus præferens se Prætori, & Tribuno, quòd iis sit ditior.

Defendere. Priorem locum servare.

Euphratem. Fluvium Mesopotamiæ, qui oritur ex montibus Armeniæ. Ex iis regionibus vulgò servi erant oriundi.

Fenestræ. Fissuræ, vel foramina in extrema aurium parte, unde Orientis populi inaures appendebant, & annulos.

Arguerint. Ostenderint.

Quinque tabernæ. Quas in foro habeo, & loco.

Quadringenta parant. 400. sestertia annui redditùs afferunt mihi. Redit autem hæc summa ferè ad quadraginta millia librarum Gallicarum; quam summam ii debebant habere ex lege, qui inter Equites Romanos numerabantur. Sunt nummi scutati Romani undecim millia ducenti septuaginta duo, cum bajochis 72.

Purpura. Equestris nobilitas purpurà, & annulo designata quid afferre mihi majus, & optabilius potest, quàm quod afferunt mihi meæ tabernæ? siquidem videmus homines nobilissimos esse miseros, & oves etiam pascere. Vetus Scholiastes legit: *Quid confert purpura major optandum?* & majorem purpuram exponit laticlavium, idest, tunicam latis clavis ornatam, purpura prætextam, qua Senatores, & quidam magistratus utebantur.

Laurenti agro. Erat hic ager propè Laurentum, urbem

Conductas Corvinus oves? ego possideo plus
Pallante, & Licinis; expectent ergo Tribuni:
Vincant divitiæ; sacro nec cedat honori,
Nuper in hanc urbem pedibus, qui venerat albis:
Quandoquidem inter nos sanctissima divitiarum
Majestas; etsi, funesta Pecunia, templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras,
Ut colitur Pax, atque Fides, Victoria, Virtus,
Quæque salutato crepitat Concordia nido.
Sed, cùm summus honor finito computet anno,
Sportula quid referat; quantum rationibus addat:

bem antiqui Latii, ubi læta pascua.

Corvinus. Nobilissima ortus familia, pauper tamen. Marcus Valerius tribunus militum bello Gallico, annos natus tres, & viginti, Gallum quemdam Romanos ad singulare certamen provocantem vicit, ac interfecit, ope Corvi, qui Valerii galeæ insidens unguibus, & rostro Gallum territabat. Inde Corvini cognomen est adeptus.

Pallante. Claudii Imperatoris liberto ditissimo.

Licinis. Licino Augusti liberto, ac tonsore, qui ditissimus. Utitur numero plurali pro singulari ad emphasim.

Sacro honori. Prætorio, aut Tribunitio, qui magistratus tanquam sacri, & inviolabiles habebantur.

Pedibus qui, &c. Servi è transmarinis oris adducti venales exponebantur, cretatis, gypsatisque pedibus, addito sigillo domini, si ad privatum aliquem pertinerent: Reip. si publica mancipia. Potest etiam dici, pedibus albis, pulvere obsitis, vel nudis præ egestate.

Majestas. Dignitas, & quasi divinitas.

Etsi, funesta, &c. Etsi nondum Pecuniam pro Dea colimus templis, & aris, ut Pacem, Fidem, &c.

Quæque salutato, &c. Concordiam, cujus templum resonat strepitu Ciconiarum, dum nidos suos in fastigio templi positos, crepitantes revisunt, & quasi salutant è pascuis redeuntes.

Cùm summus, &c. Si, inquit Poeta, summi magistratus; Prætores, Tribuni, &c. computant, quantum annui redditus afferat sportula; quid facient pauperes, quibus sportula sola victum, & necessaria suppeditat?

Rationibus. Annuis redditibus.

Co-

Quid facient comites, quibus hinc toga, calceus hinc eſt,
Et panis, fumuſque domi? Denſiſſima centum
Quadrantes lectica petit, ſequiturque maritum
Languida, vel prægnans, & circumducitur uxor,
Hic petit abſenti, nota jam callidus arte,
Oſtendens vacuam, & clauſam pro conjuge ſellam;
Galla mea eſt, inquit, citiùs dimitte, moraris?
Profer, Galla, caput; noli vexare, quieſcit.
Ipſe dies pulchro diſtinguitur ordine rerum:
Sportula, deinde forum, juriſque peritus Apollo,
Atque triumphales; inter quas auſus habere

Comites. Clientes, & aſſeclæ divitum.

Hinc toga, &c. E ſportula, emenda eſt toga, calceus, &c.

Fumus. Ligna emenda ſunt, ad ignem excitandum.

Denſiſſima, &c. Plurimi Senatores, lecticis vecti, petunt ſportulam, & circumducunt etiam ægrotas, & gravidas uxores, quarum nomine ſportulam petant: interdum, & abſentes illas ſimulant eſſe in clauſis lecticis.

Quadrantes. Erat quadrans pars quarta Romani aſſis.

Hic. Unus aliquis.

Abſenti. Uxori: petit ſportulam pro uxore, dandam uxori, quaſi adeſſet; quæ tamen abeſt.

Nota arte. Dolo multis nunc uſitato.

Oſtendens. Diſtributori ſportulæ.

Mea eſt. Uxor mea.

Citiùs dimitte. Da illi ſportulam citò, & eam dimitte.

Profer, &c. Profer caput, Galla, inquit maritus, quo fucum, & fidem meliùs faciat: tum quaſi dormientem animadvertens, diſtributorem rogat, ne vexet ægram. Vel iſtæ ſunt voces ejus, qui ſportulam diſtribuit: O Galla, ſi quidem es in hac lectica, profer caput.

Pulchro ordine. Egregiis videlicet occupationibus conſumitur.

Sportula deinde, &c. Clientes primò petunt domum alicujus divitis, ut ab eo ſportulam accipiant: deinde in forum Auguſti eum deducunt honoris cauſa, ubi jus dicitur propè ſtatuam Apollinis, quem facetè Poeta juris peritum vocat, quaſi qui aſſiduè lites audiendo factus ſit juris-peritus.

Triumphales. Tum adeuntur triumphales ſtatuæ, quas in eodem foro poni juſſerat Auguſtus iis omnibus, qui triumphaverant.

Ne-

Nescio quis titulos Ægyptius, atque Arabarches
Vestibulis abeunt veteres, lassique clientes,
Votaque deponunt, quamquam longissima cœnæ
Spes homini, caules miseris, atq; ignis emendus.
Optima sylvarùm interea, pelagique vorabit
Rex horum, vacuisque toris tantùm ipse jacebit.
Nam de tot pulchris, & latis orbibus, & tam
Antiquis, unà comedunt patrimonia mensa.
Nullus jam parasitus erit: sed quis feret istas
Luxuriæ sordes? quanta est gula, quæ sibi totos

Nescio, quis. Crispinus, vel Tiberius Alexander, qui regebat Ægyptum, ipse ejusdem nationis, & conditionis libertinæ.

Titulos. Idest, imaginem cum titulis, & inscriptionibus honorificis.

Arabarches. Vox est Græca significans Arabum principem, quasi servorum ex Arabia præcipuum. Arabia autem est proxima Ægypto provincia, unde servi multi Romam adducebantur. Significat etiam Arabarches publicanum, qui præerat exigendo vectigali de pecoribus, quæ ex Arabia in Ægyptum deportabantur. Legunt aliqui *Alabarches*: est autem Alaba vox Græca significans vectigal, quod è pascuis colligitur.

Vestibulis abeunt. Relinquunt domum divitis.

Lassique. Defatigati domino per varia Urbis loca deducendo.

Clientes. Qui in alicujus potentioris fide, & patrocinio erant.

Votaque deponunt, &c. Et spem cœnandi apud divitem deponunt, etsi diù expectatam.

Quamquam, &c. Licèt nihil diutiùs speret homo quilibet, nihil differri, aut eripi molestius ferat, quàm cœnam, & speratas epulas. Alii scribunt, *Spes hominis*; quas voces à superiori versu distinguunt, & accipiunt quasi dictas per exclamationem, & indignationem; quasi diceret Poeta. En quò spes humanæ recidant: deponunt vota cœnæ, licèt longissima: ò spem hominum miseram!

Optima sylvarum, &c. Optimas feras, & delicatissimos pisces.

Rex horum. Dives patronus.

Vacuisque toris, &c. Solus mensæ accumbet: cæteris lectulis (erant vulgò tres) præter illum, in quo jacet, vacuis.

Orbibus. Patinis, & lancibus.

Una comedunt, &c. Unis epulis absumunt tota patrimonia; vel una mensa, i. in qua ipsi uni, & soli sunt, clientibus exclusis.

Parasitus. Qui alienas mensas quærit.

Luxuria. Gulæ, luxus sordidæ magnificentiæ.

Ponit.

Ponit apros, animal propter convivia natum?
Pœna tamen præsens, cùm tu deponis amictus
Turgidus, & crudum pavonem in balnea portas;
Hinc subitæ mortes, atque intestata senectus.
It nova, nec tristis per cunctas fabula cœnas:
Ducitur iratis plaudendum funus amicis.
Nil erit ulterius, quod nostris moribus addat
Posteritas; eadem cupient, facientque minores.
Omne in præcipiti vitium stetit: utere velis,
Totos pande sinus. Dicas hìc forsitan: Unde
Ingenium par materiæ? unde illa priorum
Scribendi, quodcumque animo flagrante liberet,
Simplicitas, cujus non audeo dicere nomen?

Ponit. Mensæ apponit privatæ.

Propter convivia, &c. Propter epulas publicas, & majores factū, non propter privatas, & domesticas.

Pœna tamen, &c. Nec tamen impunè helluaris: das enim præsentes pœnas, cùm nimirum cibum concoquere non potes.

Et crudum, &c. Balnea ingressurus, pavonis carnem nondum digestam habes in stomacho turgido, & pleno.

Hinc. Ex nimia scilicet saturitate, & cruditate.

Intestata, &c. Senes multi moriuntur ante conditum testamentum.

It nova; &c. Divulgatur rumor de tua morte per omnia convivia, dolente nemine.

Iratis plaudendum, &c. Quo gaudent vel ii, qui amici tui fuerant, læti, quòd homo tam avarus, & sordidus obierit; sed irati sunt, quòd intestatus nihil ipsis reliqueris.

Nil erit ulterius. Nil sceleris, aut vitii restat.

Minores. Posteri.

In præcipiti, &c. In abrupto fastigio, unde casus gravior, & ubi locus ad præcipitandum aptior; altiùs surgere vitia, & crescere nequeunt.

Utere velis. Poeta se ad scribendum incitat: immitte rudentes, pande vela; ac si quando aliàs, toto ingenio vehere. *Plin. Epist. 4. l. 8.*

Pandè sinus. Pergit Poeta in eadem metaphora: permitte vento aperta, & sinuosa vela, inquit; hoc est, audacter scribe, quicquid in mentem venerit.

Dicas hìc, &c. Obiiciet monitor aliquis difficultatem scribendi satyras. Unde tibi suppetet ingenium, inquiet? &c.

Priorum. Græcorum comicorum, & Lucilii.

Flagrante. Ira, & odio adversùs vitia, & vitiosos incitato.

Simplicitas. Libertatem re-

Quid refert, dictis ignoscat Mutius, an non?
Pone Tigellinum, tæda lucebis in illa,
Qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant,
Et latum media sulcum deducit arena.
Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur
Pensilibus plumis, atque illinc despiciat nos?
Cùm veniet contra, digito compesce labellum:

voluit dicere: sed quia Romæ tunc, aut ignota erat, aut invisa, dicit se nomen ejus appellare non audere.

Quid refert, &c Respondet Juvenalis: Scribam enimverò satyras, & parum curabo, an mihi succenseat Mutius aliquis, seu quilibet homo flagitiosus, quem insectatus fuero: quid refert, an mihi ignoscat, necne?

Pone Tigellinum, &c. Licebit quidem tibi, respondet monitor, aliquem hominem nullius auctoritatis insectari, qualis fuit Mutius, quem Lucilius satyris suis exagitavit: sed, si tu notaris Tigellinum, vel alium quemlibet Imperatori gratum, pereundum tibi erit morte sævissima, vivus combureris.

Tæda lucebis, &c. Palo ardenti alligatus ardebis ipse quoque, indutus pice, & bitumine, instar facis alicujus.

Qua ardent, &c. Palo affixi cremantur, palo trans ipsorum guttur adacto, vel ipsorum mento, & gutturi supposito, ne possint vultum demittere: ita sęvitum est in Christianos à Nerone, ut narrant Suet. c. 16. & Tacitus 15. Annal.

Et latum media, &c. Frustra laborare videntur interpretes in corrigēdo hoc loco, qui clarus est, si subaudias, *quę tæda*, hoc nempe sensu, & quæ tæda, dum tollitur, ac trahitur, postquam homo crematus est, fumo, & lurida luce viam signat, ac veluti sulcum ducit in media arena. Lipsius legit. *Et latus mediam sulcus diducit arenam*, ex veteri, ut ait, codice; cujus versiculi sensus hic erit: istas tædas longo ordine dispositas in amphitheatro quasi sulcum efficere, quo arena discriminatur, vel fossas ipsas, in quibus pali defiguntur, longo esse sulco, & ordine apertas. Arena vocatur ipsum amphitheatri solum, quia erat arena conspersum.

Qui dedit ergo, &c. Ergone patiar, respondet Juvenalis, ut Tigellinus, qui aconita, hoc est, venenum ex aconito herba factum, dedit tribus patruis, vehatur in lectica, suffultus pulvinis pluma fartis?

Cùm veniet contra, &c. Immò verò, inquit monitor, cùm ille tibi occurret, tace; & digitum ori impone.

Accu-

Accusator erit, qui verbum dixerit, hic est.
Securus licet Æneam, Rutulumque ferocem
Committas: nulli gravis est percussus Achilles,
Aut multùm quæsitus Hylas, urnamque secutus.
Ense velut stricto, quoties Lucilius ardens
Infremuit: rubet auditor, cui frigida mens est
Criminibus; tacita sudant præcordia culpa;
Inde iræ, & lacrymæ. Tecum priùs ergo voluta
Hæc animo, ante tubas: galeatum serò duelli
Pœnitet. Experiar, quid concedatur in illos,
Quorum Flaminia tegitur cinis, atque Latinà.

Accusator erit. Aderunt enim statim, qui accusent, si quis verbulum dixerit, & voculam hanc de Tigellino pronunciaverit; hic est, nempe adest Tigellinus.

Securus, &c. Tutius epico carmine historias scribes, & prælia, ut Virgilius certamina Æneæ, & Turni Rutulorum ducis descripsit.

Committas. Alterum cum altero componas, vel pugnantes describas.

Nulli gravis est, &c. Neminem offendit historia de Achille percusso à Paride.

Aut multùm quæsitus &c. Hylas puer, comes Herculis in Argonautica expeditione, qui aquatum profectus, dum se inclinaret, unà cum urna decidit in flumen, & diu ab Hercule quæsitus est.

Ense velut stricto, &c. Quoties satyram, ut ensem, distrinxit furentis in morem.

Rubet auditor. Pudore, & ira, qua vindictam cogitat.

Cui frigida, &c. Metu, & conscientia scelerum vexata.

Sudant, &c. Æstuat animo.

Voluta. Tecum cogita.

Ante tubas, Priusquam classicum canas; & satyricum distringas stylum.

Galeatum, &c. Pugnæ commissæ sera pœnitentia est, qui galeam, & arma jam induit, frustrà, & serò de bello omittendo cogitat.

Experiar, &c. Quoniam itaque, inquit Poeta, periculosum est, si quis vivos carmine proscindat; experiar, quid liceat in mortuos.

Quorum Flaminia, &c. Qui sepulti sunt in viis Flaminia, & Latina, quibus in viis vulgò nobilium urnæ, & cineres condebantur, & tegebantur superextructis monumentis.

SATYRA II.

In probitatis, ac pietatis simulatores.

ULtra Sauromatas fugere hinc libet, & glaciale
Oceanũ, quoties aliquid de moribus audent,
Qui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt.
Indocti primùm; quamquam plena omnia gypso
Chrysippi invenias: nam perfectissimus horum,
Si quis Aristotelem similem, vel Pittacon emit,
Et jubet archetypos pluteum servare Cleanthas.

Ultra, &c. Ad barbaras, & remotissimas gentes fugere est impetus, cùm video fictos philosophos, verbis quidem præ se ferentes continentiam, vita verò, & moribus flagitiosissimos.

Sauromatas. Europæ versùs Boream incolas, & Asiæ, circa Tanaim fluvium, Scythis vicinos, iidem sunt, ac Sarmatæ.

Glacialem. Septentrionalem.

Audent. Supple, differere, aut præcipere.

Curios simulant. Simulant continentiam M. Curii, viri frugalis, & optimi inter priscos Romanos.

Bacchanalia vivunt. Ita vivunt, quasi celebrarent perpetua Bacchanalia. Erant autem Bacchanalia Bacchi festa, in quibus Romani crapulæ, & libidini indulgebant.

Indocti primùm, &c. Primum illi hypocritæ indocti sunt, etsi doctissimorum hominum imaginibus eorum domus plenæ omnes sint.

Gypso Chrysippi. Statuis Chrysippi è gypso factis. Fuit ille Stoicus Philosophus.

Perfectissimus. Censetur præstantissimus.

Si quis Aristotelem, &c. Si quis emit imaginem, aut statuam Aristotelis, vel Pittaci, unius è septem Græciæ sapientibus; archetypo similem, hoc est, ipsi Aristoteli, vel Pittaco. Est autem, *Pittacon*, accusativus Græcus.

Et jubet, &c. Et vult esse, ac servari in suo Museo imagines Cleanthis archetypas, & primigenias. Fuit Cleanthes philosophus Stoicus, Zenonis successor. Vel, vult servari suum pluteum, suam bibliothecam ab imaginibus ejusmodi, quasi ejus custodibus, ac æditui. Est autem archetypum figura prima quædam, cæterarum, quæ ad ejus similitudinem exprimuntur, exemplar, & origo, unde adjectivum nomen factum, archetypus, significatque id, quod aliorum exemplar est, vel quod primò fuit ab artifice fabricatum. Ἀρχὴ, *initium*, Τύπος, *forma*, *typus*.

Fron-

Frontis nulla fides: quis enim non vicus abundat
Tristibus obscœnis ? castigas turpia, turpis?
Rarus sermo illis, & magna libido tacendi,
Atque supercilio brevior coma. Veriùs ergo,
Et magis ingenuè Peribonius: hunc ego fatis
Imputo, qui vultu morbum, incessuque fatetur.
Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus:
Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?
Quis cœlum terris non misceat, & mare celo,
Si fur displiceat Verri? homicida Miloni?
Clodius accuset mœchos? Catilina Cethegum?
In tabulam Syllæ si dicant discipuli tres?

Frontis, &c. Mendax est hominum vultus.

Vicus. In urbe Romana,

Tristibus obscœnis. Hominibus libidinosis, severitatem, & tristitiam fronte præferentibus.

Libido. Cupiditas, & pertinacia.

Veriùs ergo, &c. Tolerabilius, simpliciusque facit Peribonius, dum palàm turpitudinem profitetur, quàm illi hypocritæ, qui simulant virtutem, & vitia dissimulant.

Hunc ego fatis, &c. Hujus vitia non malitiæ, sed fatis imputo, qui non dissimulat vitia, sed ipso vultu fœdo, & pallido, & incessu languido, ac distorto fatetur se hominem nequam esse, ac libidinosum. Vel, ut aliis placet, qui audaci, & erecto vultu, incessu protervo, ac procaci profitetur se flagitiosum esse, quasi fatali necessitate eò redactus sit.

Loripedem rectus, &c. Ferendum sanè, si hominem claudum rideat alius, qui cruribus bonis, & rectis utatur; si Æthiopem, qui nigro est colore, derideat aliquis albus; non si Æthiopem Æthiops, claudum claudus rideat. Malum bonus arguat, non malus malum. Loripes, qui pedes quasi loro vinctos, & intortos habet.

Gracchos. Tiberium, & Cajum Tribunos plebis, qui dum reducere leges Agrarias seditiosè conarentur, ipsi oppressi sunt, cæsique, ille anno V. C. 620. hic 633.

Quis cęlum, &c. Quis non omnia perturbari, & permisceri queratur?

Verri. Qui furtis, & rapinis Siciliam spoliavit, notissimus ex Ciceronis in eum actionibus.

Miloni. Qui interfecit P. Clodium.

Clodius. Famosus ob adulteria.

Catilina Cethegum. Si Catilina, qui conjuravit in Rempublicam, accuset Cethegum, ejusdem conjurationis socium.

Tabulam Syllæ. Proscriptionis tabulam, quam Sylla

Nonne igitur jure, ac meritò vitia ultima fictos
Contemnunt Scauros, & castigata remordent?
Non tulit ex illis torvum Laronia quemdam,
Clamantem toties: Ubi nunc lex Julia? dormis?
Ad quem subridens: Felicia tempora! quæ te
Moribus opponunt! habeat jam Roma pudorem:
Tertius è cęlo cecidit Cato: sed tamen, unde
Hæc emis, hirsuto spirant opobalsama collo

la instituit. Erat autem hæc tabula scriptum quoddam publicè propositum, in quo notata erant nomina illorum, quos ad necem quæri jubebat Sylla, proposito percussori præmio; atque illi proscripti dicebantur.

Si dicant. Si condemnent proscriptionem.

Discipuli tres. Augustus, Lepidus, & Antonius, qui idem fecere, quod Sylla, eumque in ea re magistrum secuti sunt, & auctorem.

Vitia ultima. Homines vitiis ultimis, hoc est, gravissimis, & fędissimis dediti.

Fictos Scauros. Nonne meritò homines flagitiosi contemnunt illos fictos, & adumbratos Scauros, hoc est, qui se viros graves, & severos esse fingunt, quales Scauri fuere? nonne jure, ac meritò ipsi objurgati remordent, idest, vicissim objurgant, ac reprehendunt suos censores.

Illis. Hypocritis.

Torvum. Gravem, severū, vultu, & verbis sanctum.

Laronia. Mulier dives, eademq; procax, & flagitiosa.

Ubi nunc, &c. Ubi, inquiebat ille hypocrita, Laroniam adulteram alloquens, ubi es, ò lex Julia?

Lex Julia. Lex in adulteros lata à Cæsare Augusto, ut Ulpianus disertè scribit: Julia tamen dicitur, quia Augustus dictus quoque est Julius, quia fuerat à Julio Cęsare avũculo adoptatus.

Dormis? An dormis; quin excitaris ad eos puniendos, imprimisque ad pessimam illam, & impudicam Laroniam plectendam?

Subridens. Ait Laronia subridens.

Felicia tempora! Ironicè.

Moribus opponunt. Tamquā mores corruptos emendaturum, & virtutis adversùs vitia propugnatorem.

Habeat jam, &c. Roma jam pudica sit, & virtutem colat.

Tertius, &c. Tu è cœlo nobis delapsus venisti similis duobus priscis illis, & sanctis Catonibus, Censorio, & Uticensi, & tertius Cato futurus es. Cato Censorius, ita vocatus ob Censuram sanctissima severitate gestam, habuit Pronepotem M. Catonem, Uticensem dictum ab Utica urbe Africæ, ubi victo Pompejo, cujus partes contra Cęsarem secutus erat, sibi necem conscivit.

Unde hæc emis, &c. Unde emis hæc unguenta, quæ oles, qua reprehensione

illum

Quæ tibi? ne pudeat dominũ monſtrare tabernæ.
Quòd ſi vexantur leges, ac jura: citari
Ante omnes debet Scantinia: reſpice primùm,
Et ſcrutare viros: faciunt hi plura: ſed illos
Defendit numerus, junctæque umbone phalãges.
Numquid nos agimus cauſas, civilia jura
Novimus? aut ullo ſtrepitu fora veſtra movemus?
Luctantur paucæ, comedunt colliphia paucæ.
Vos lanam trahitis, calathiſque peracta referti
Vellera: vos tenui prægnantem ſtamine fuſum
Penelope melius, leviùs torquetis Arachne.

illum obliquè, & ingenioſè redarguit, qui aliorum mollitiem mollis ipſe, & unguentis delibutus redarguat.

Opobalſama. Unguentum confectum ex balſami ſucco. Vocat collum ejus *hirſutum*, quia illi philoſophi barbam ingentem alebant ὀπὸς *ſuccus*: βάλσαμον, *balſamum*.

Tabernæ. Ubi illos odores, & unguenta emiſti.

Vexantur. Excitantur, & in reos appellantur.

Scantinia. Lex, quæ in viros impudicos lata erat. Ejus auctor Scantinius, tribunus plebis.

Scrutare viros. Expende ſcelera virorum.

Sed illos &c. Verùm illi ſe tutos contra leges credunt, quòd plures ſint: numero ſcilicet pugnant, & ſe invicem tutãtur, ut milites in bello, facta quaſi teſtudine, junctis inter ſe clypeis. Eſt autẽ umbo pars media clypei, quæ eminet, interdumque in acumen deſinit

Luctantur. Luctari pugilum eſt, quorum alter alterum dejicere, ſupplantare, cæſtibus cædere nititur: Virgil. lib. v. ℣. 425. Interdum fœminæ luctabantur, ſed rariùs. *Colliphia.* Κόλλιξ eſt panis cinere incoctus ab ἶφι, robur. Inde colliphium panis ſecundarius corroborandis pugilibus idoneus. Quidam hanc vocem componunt, ex κῶλον *membrum*, & ἶφι, *robur*, & ſcribunt coliphium.

Vos lanam trahitis. Vos viri è colo ducitis lanam.

Calathiſque peracta &c. Lanam in filum nendo tortam in vaſculis vimineis reponitis, & reportatis ad eos, à quibus eã carminandã, ſeu nendam accepiſtis.

Prægnantem. Gravidum, intumeſcẽtem filo. Stamen eſt filum, quod è colu ducitur: dicuntur etiam ſtamina illa fila, quæ recta, & ſtabilia ſunt in opere textorio, & quibus alia, quæ dicuntur ſubſtamina, ſeu ſubtegmina intertexuntur.

Penelope. Ulyſſis uxor fuit, quæ lanificio, & telam texendo abſentiam mariti, ac deſiderium ſolabatur, ſimulque procos fruſtrabatur, quibus promiſerat ſe illo-

De nobis post hæc tristis sententia fertur:
Dat veniam corvis, vexat censura columbas.
Fugerunt trepidi vera, ac manifesta canentem
Stoicidæ: quid enim falsi Laronia? sed quid
Non facient alii, cùm tu multitia sumas,
Cretice, & hanc vestem populo mirante, perores
In Proculas, & Pollineas? Est mœcha Fabulla?
Damnetur, si vis, etiam Carphinia: talem
Non sumet damnata togam. Sed Julius ardet:

illorum alicui nupturam, cùm telam absolvisset: quod enim per diem texuerat, nocte retexebat, ac dissolvebat.

Arachne. Puella fuit Lydia, quæ cùm Palladem in certamen artis textoriæ provocasset, ab ea fuit victa, & in araneam mutata. Vide Ovidium initio libri VI. Metamorphoseon, ut à nobis editus Romæ, & notis illustratus est. Reperies ad ejus calcem Syntagma de Diis & heroibus poeticis, unde plurimum lucis huic Juvenali affulgebit.

De nobis. Miseris mulierculis.

Dat veniam corvis, &c. Per corvos intelligit viros flagitiosos, per columbas, mulieres innoxias: & sententia est; censura, seu castigatio morum parcit virorum nequitiæ, vexat mulierum simplicitatem.

Fugerunt &c. Fugerunt, inquit Poeta, ficti illi, atque scelerum conscii philosophi Laroniam.

Stoicidæ. Stoicorum discipuli, & imitatores. Erant Stoici philosophi Greci, graves, ac severi: summum bonum in virtute sola collocabant. Ab ingenti porticu, in qua disputabant Athenis, nomen invenere, Στοὰ, *porticus*: Στωϊχοί, *Stoici*.

Quid enim falsi &c. Subaudi, dicebat.

Sed quid &c. Confirmat Laroniæ sententiam, probatque exemplo Cretici viros esse flagitiosos: quid enim, inquit, non facient alii, cùm &c.

Multitia. Vestes sericas, vel bombycinas, molli textas filo, & admodùm tenues, ita ut vix pudori consulerent.

Cretice. Hoc nomine appellat aliquem causidicum mollem, & impurum. Q. Metellus prædones mare Creticum pervagantes domuit. Inde illi Cretici cognomen. Nobilissima erat Metellorum familia, & sæpe in foro; ac senatu spectata.

Proculas &c. Meretrices, & Mœchas.

Talem non sumet &c. Ne ipsæ quidem fœminæ, ob adulterium damnatæ, sumerent vestes tam indecoras.

Togam. Fœminis quippe adulterii convictis, non nisi viri-

Æstuo: nudus agas: minùs est insania turpis
En habitum, quo te leges, ac jura ferentem
Vulneribus crudis populus modò victor, & illud
Montanum positis audiret vulgus aratris.
Quid non proclames, in corpore judicis ista
Si videas? quæro, an deceant multitia testem
Acer, & indomitus, libertatisque magister,
Cretice, pelluces? Dedit hanc contagio labem,
Et dabit in plures: sicut grex totus in agris
Unius scabie cadit, & porrigine porci:
Uvaque conspecta livorem ducit ab uva.
Fœdius hoc aliquid quandoque audebis amictu.
Nemo repentè fuit turpissimus: accipient te

virili toga indutis, in publicum prodire licebat.

Justius ardet. Sed, inquies Sol in mense Julio ardet.

Nudus agas. Nudus itaque eas, vel causas agas, ac perores: præstet enim te insanum, quàm mollem haberi, & effœminatum.

En habitum &c. Ironicè, egregius sanè orator, dignus, quem hac indutum veste audirent illi prisci Romani, militiæ, & agriculturæ intenti.

Vulneribus crudis. E recenti prælio redeuntes. Quidam censent his verbis indicari victoriam Trajani de Dacis non incruentam, relatam ab eo, imperii anno secundo, ut Dio narrat.

Montanum. Rustici illi Romani, rudes, & ab omni luxu, ac deliciis alieni.

Positis. Relictis.

Quid non proclames, &c. O Cretice, quid dicas, si videas judicem istis multitiis indutum, si testem? certè utrumque reprehendas, & meritò: quantò igitur minùs te causidicum, & Stoicum decent? quantò magis tu reprehendendus?

Acer, &c. Tu, qui severitatis famam affectas, & priscos referre mores gestis.

Pelluces. Membra per vestem tenuem apparent.

Dedit hanc &c. Tu improborum commercio corruptus mox & aliis affricabis hanc labem, non secus, atq; grex totus in agris &c.

Cadit. Perit.

Porrigine. Porrigo est morbus, quo inter animalium pilos quædam quasi squammulæ nascuntur.

Uvaque &c. Uva ex altera uva, quam contigit, accipit nigrum colorem, hoc est, vel maturescit, vel corrumpitur.

Fœdius hoc &c. Non hærebit in sola veste indecora tua mollities; aliquid audebis deinde turpius; illos imitaberis post paulò, qui sumunt &c.

Accipient te. In suum consortium, & sodalitatem.

Paulatim, qui longa domi redimicula sumunt
Frontibus & toto posuere monilia collo:
Atque Bonam teneræ placant abdomine porcæ,
Et magno cratere Deam. Sed more sinistro
Exagitata procul non intrat femina limen:
Solis ara Deæ maribus patet: Ite, profanæ,
Clamatur, nullo gemit hìc tibicina cornu,
Talia secreta coluerunt Orgia tæda
Cecropiam soliti Baptæ lassare Cotytto.

Qui sumunt &c. Effœminatos homines notat, qui mulierum vestes, sacrificia, & mores imitabantur.

Redimicula. Capitis ornamenta, mulierum propria, vittas, & tænias.

Atque Bonam. Qui Bonæ Deæ sacrificabant in Albano, regia propè Albam villa, ubi Domitianus collegium sacerdotum instituerat: offerebant illi abdomen, seu ventrem, & mamillas porcæ, & magnos crateras vino plenos. Erat Dea eadem, atque Tèrra, vel Proserpina; colebatur Romæ à mulieribus, exclusis viris: at nunc, inquit Juvenalis, more sinistro, & inverso, præpostero more, arceantur fœminæ, & exagitantur, ne limen, sive templum Bonæ Deæ subeāt: usque olim in istis sacrificiis clamabatur viris, Procul este profani, sic fœminis jam dicitur, Ite profanæ: ut olim adhibebantur tibicinæ, nunc arcentur, & tibicines earum locum occupant. Ad tibiæ strepitum solebant hæc sacra fieri, & homines ad ea tibiæ cantu convocari.

Gemit. Inflat tibiam laboriosè.

Talia &c. Ordo est, Baptæ, Sacerdotes quidam Atheniensium, à Greco verbo sic dicti, quòd sæpius aqua se abluerent (βάπτω lavo, tingo) similia istis Orgia, sive sacrificia celebrabant, arcanis cœremoniis, & occultis noctu, plerumque scilicet; quibus in sacrificiis solebant insanis clamoribus, & saltationibus fatigare Deam Cotytto, quæ apud Athenienses colebatur, ut libidinis Dea. Est autem Cotytto, græcus accusativus: Cotytto, Cotyttus; ut Dido, Didus. Arguit igitur Romanos, quòd impura Græcorum sacra imitarentur.

Orgia. Hic pro temulentorum, & furentium sacris ponitur ea vox, vulgò significat Bacchi sacra.

Cecropiam. Atheniensem, à Cecrope, primo Rege Athenarum.

Lassare. Ineptis, & prolixis cæremoniis defatigare. Saltando maximè colebatur ista Cotytto; itaque delassare suos sacerdotes cōsueverat crebra saltatione.

Ille.

Ille supercilium, madida fuligine tinctum,
Obliqua producit acu, pingitque trementes
Attollens oculos: vitreo bibit ille Priapo,
Reticulumque comis auratum ingētibus implet,
Cærulea indutus scutulata, aut galbana rasa:
Et per Junonem domini jurante ministro.
Ille tenet speculum, mollis gestamen Othonis,
Actoris Aurunci spolium, quo se ille videbat
Armatum, cùm jam tolli vexilla juberet:
Res memoranda novis annalibus, atque recenti
Historia, speculum civilis sarcina belli.
Nimirum summi ducis est occidere Galbam,

Ille. Alius quidam illorum effœminatorum digerit, & extendit obliquos pilos superciliorum acu crinali, aut volsellis, & illos tingit fuligine, seu nigro pigmento, quod è lucernarum fumo concreto conficitur. Antiquis placebant nigra supercilia.

Trementes. Oculi vulgò tremunt, si quid illis propiùs admoveatur.

Priapo. Poculo facto instar Priapi, qui erat è Deorum obscænorum grege, Bacchi, ac Veneris filius, hortorum custos.

Reticulum &c. Comam ingentem nutrit, ut mulier, eamque colligit reticulo. Est autem reticulum tegmen muliebris capitis, sacculus quidam instar retis, fascia &c.

Cærulea &c. Subaudi vestimenta, idest. Indutus vestibus cærulei coloris, aut galbani, idest subalbi, & pallidi, qualis est color galbani, quo ferè colore mulieres delectabantur. Galbanum est resinæ genus, advectum è Syria.

Scutulata. Scutulata vestis dicitur, quæ quibusdam orbibus, seu circulis, quasi scutulis est distincta.

Rasæ. Villis carentia.

Et per &c. Ad hæc, servus jurat, non per Herculem, aut Jovem, ut viri, sed per Junonem, ut fœminæ: exemplo domini eam invocare soliti.

Gestamen. Quod gestarat olim Otho Romanorū Imperator octavus, cui Galbæ successit, & à Vitellio victus est, homo impurissimus.

Actoris &c. Quod speculum Otho sic gerebat, ut Turnus in 12. Æneid. hastam ab Actore Auruncorum duce fortissimo raptam quassabat.

Tolli vexilla. Revelli ab humo signa; cùm exercitus nimirū in hostē agebatur.

Sarcina. Ironicè nimirum speculum, quod inter sarcinas Othonis civile bellum gerentis fuit, res egregia, & memoranda &c.

Summi ducis est. Pergit Othonē irridere, qui nullum

Et curare cutem summi constantia civis,
Bebriaci in campo spolium affectare Palati,
Et pressum in faciem digitis extendere panem
Quod nec in Assyrio pharetrata Semiramis orbe,
Mæsta nec Actiacà fecit Cleopatra carinà.
Hìc nullus verbis pudor, aut reverentia mensæ,
Hìc turpis Cybeles, & fracta voce loquendi
Libertas, & crine senex fanaticus albo
Sacrorum antistes, rarum ac memorabile magni
Gutturis exemplum, conducendusque magister.
O proceres, cēsore opus est, an haruspice nobis?
Scilicet horreres, majoraque monstra putares,
Si mulier vitulum, vel si bos ederet agnum?

aliud præclarius ediderit facinus, quam Galbam senem, & imbellem occidere, quàm curare cutem, id est, fucare: vel, abdomini constanter, & gulæ servire: quā spolia, & ornamenta Palatii Imperatorum, v. g. aulęa, supellectilem, affectare, & concupiscere in campo Bebriaci, qui viculus est inter Cremonam, Veronamque, ubi Otho cum Vitellio de imperio certans pugnavit, seque victus interfecit; quā panem lacte imbutum extendere in faciem digitis pressis, ut cutem sibi candidiorem faceret, ac poliret.

Semiramis. Assyriorum Regina, Nini uxor. Fecit Otho, quod nec ipsæ fecerunt fœminæ, in ipsa Assyria, regione voluptatibus dedita.

Cleopatra. Ægypti Regina, quæ se M. Antonio Triumviro dedidit, cum quo contra Augustum pugnans navali certamine, prope Actium, Epiri promontorium, victa est.

Hic. Inter illos Romanos effœminatos.

Reverentia. Mensæ apud veteres erant sacræ, quia per illas, ut ait Synesius, amicitię conciliator Deus, & hospitalitatis honoratur.

Cybeles. Ordo est. Apud illos est libertas turpis Cybeles, id est, illi similis, quæ viget inter sacerdotes turpissimos Cybeles: quæ Dea in Phrygia præcipuè cęlebatur, eadem cum Vesta, Ope, Terra &c. Est libertas loquendi fracta voce, id est, lasciva.

Et crine &c. Sacrorum antistes illis est senex furiosus, rarum exemplum gulæ insatiabilis, dignus, qui à tam obscœnis helluonibus conducatur, ut illorum sacris præsit.

Fanaticus. Ita dicuntur furiosi, quia Ethnicorum sacerdotes in fanis, seu templis suis furorem vulgo simulabant, ut afflati à Numine crederentur.

Censore. Censores, Romani Magistratus, pręerant moribus emendandis. Haruspi-

Segmenta, & longos habitus, & flammea sumit,
Arcano, qui sacra ferens nutantia loro
Sudavit Clypeis ancilibus! O pater Urbis,
Unde nefas tantum latiis pastoribus? unde
Hæc tetigit, Gradive, tuos urtica nepotes?
Nec galeam quassas? nec terram cuspide pulsas?
Nec quereris Patri? liceat modo vivere, fient
Fient ista palam, cupient & in acta referri.
Vicit & hoc monstrũ tunicati fuscina Gracchi.

ruspices victimarum exta inspiciebant, ac si quid oriretur monstri, expiabant certis ceremoniis. Sententia igitur est: Non indigemus censore, qui hæc flagitia emendet: graviora sũt, & monstra potiùs appellãda, digna, quæ ab haruspicibus expientur. An majus enim crederes monstrum, si mulier vitulum pareret, quàm cùm cernis Sacerdotem Martis veste segmentata indutum, & flammeo?

Segmenta. Tęnię quędam erant incisæ variis locis, & pertusæ, varii coloris, &c.

Flammea. Flammeum, veli genus erat, lutei, vel crocei coloris, quo puellarum recens nuptarum caput velabatur.

Ancilibus. Ancilia sacri quidam clypeoli vocabantur, deferri à sacerdotibus Martis per urbem soliti, & loro inter se devincti. Unus ex illis de cœlo cecidisse putabatur, & quasi Palladium Romæ censebatur. Is ne surripi posset, undecim alios ei similes Numa fieri jussit.

Pater Urbis. Mars, Romuli genitor, à quo Roma condita.

Gradive. Martis nomen armati.

Urtica. Libido, morum infamia.

Patri. Jovi.

Liceat, &c. Si vita longior nobis suppeteret, videbimus hæc scelera, non clam, ut modò, sed palàm fieri, & publicis actis, tabulis, ac monumentis consignari.

Vicit, &c. Indignius est, ac turpius, quàm hęc omnia superiora, id quod nunc videmus, nempe homines nobiles, quales fuere Gracchi, gladiatores esse in arena, & cum fuscina pugnare.

Tunicati. Ut essent ad pugnam expeditiores gladiatores, utebantur tunica, quæ brevior vestis erat; sine manicis, &c.

Fuscina. Gladiatorum pugnantium alter gerebat fuscinam, seu tridentem ferreum, & rete, dicebaturque retiarius: alter instructus erat gladio, clypeo, & galea, in cujus apice piscis erat: dicebatur mirmillo, sive secutor, aut etiam Gallus: ejus caput reticulo involvere conabatur retiarius, eumque sic interimere. Vide Sat. VIII.

Lustravitque fuga mediam gladiator arenam,
Et Capitolinis generosior, & Marcellis,
Et Catulis, Paulique minoribus, & Fabiis, &
Omnibus ad podium spectãtibus: his licèt ipsum
Admoveas, cujus tunc munere retia misit.
Esse aliquos manes, & subterranea regna,
Et contum, & Stygio ranas in gurgite nigras,
Atque unà transire vadum tot millia cymbà,

Lustravit. Gracchus victus à mirmillone, fugiendo circumcursavit totam arenam, sive locum certaminis arena conspersum.

Capitolinis. T. Manlio, qui ob defensum Capitoliũ contra Gallos Urbẽ invadentes, anno ejus conditæ 364. Capitolinus est dictus.

Generosior. Genere præstantior: licèt nobilior sit Gracchus Manliis, Marcellis, &c.

Marcellis. Multi præstantes eo nomine fuerunt duces: clarissimus præ cæteris ille, qui Syracusas expugnavit, contra Annibalem fortiter pugnavit, & ab eo tandem circumventus periit, V. C. anno 545.

Catulis. Q. Lutatius Catulus primo bello Punico finem imposuit, demersis hostium navibus ferè ducentis, anno 512.

Pauli minoribus. Nepotibus L. Æmilii Pauli, qui Varronis collega in prælio Cannensi obiit, an. V. C. 537. Ejus filius Æmilius Paulus Regem Macedonum Perseum vicit, anno 587

Fabiis. Trecenti, & sex viri ex unã gente, seu domo, ab Vejentibus, contra quos bellum depoposcerant, omnes ad unum per insidias cæsi ad Cremeram; anno V. C. 277.

Ad podium. Erat podium locus in amphitheatro honoratior, in quo primus ordo subselliorum, Senatoribus, & nobilissimis quibusque destinatus, ponebatur.

His licèt &c. His, quos dixi, nobilissimis potes annumerare ipsum Prætorem, cujus in munere, seu ludis, retiarium egit Gracchus: nam & hoc Prætore, qui munera gladiatoria tunc exhibebat, nobilior fuit.

Esse aliquos &c. Hinc verò hæc oriuntur scelera, quòd Inferos fabulas esse aniles credant jam vulgò omnes, ne pueris quidem exceptis.

Contum. Perticam ferrea cuspide, & unco præfixam, qua Charon ratem deducit.

Stygio gurgite. Styx est Inferorum fluvius, sive palus.

Nec pueri credunt. Ita nunc sunt omnes impii, ut ne ipsi quidem pueri credant esse Inferos, & manes.

Nisi qui &c. Nisi fortè infantes, qui nondum in balneis lavantur.

Ære. Certo pretio, nempè quadrante, hoc est, quarta

Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur:
Sed tu vera puta. Curius quid sentit, & ambo
Scipiadę? quid Fabricius, manesque Camilli?
Quid r Cemerę legio, & Cānis cōsumpta juventus?
Tot bellorum animæ, quoties hinc talis ad illos
Umbra venit, cuperent lustrari, si qua darentur
Sulphura cum tędis, & si foret humida laurus.
Illuc, heu, miseri traducimur. Arma quidem ultra
Littora Juvernæ promovimus, & modò captas
Orcadas, ac minimâ contentos nocte Britannos:

ta assis parte: quod pretium vulgò dabant, qui balneo utebantur.

Scipiadę. Scipiones Africani, minor, & major, viri eximia virtute.

Fabricius. Dux Romanus insigni frugalitate, & continentia, qui adversùs Pyrrhum Epirotarum Regem, & Samnites bella gessit, non minùs illorum muneribus, quàm armis invictus.

Manesque Camilli Anima Camilli, ducis item Romani, qui cùm alia multa prę clarè gessit, um Gallos Senones Capitolium, urbe capta, & incensa, obsidentes repulit, ac delevit; eosdemque ad fluvium Anienem postea profligavit: vir patriæ amantissimus, & ob eximias virtutes inter Romanos clarissimus.

Cremerę legio. Trecenti sex Fabii à Vejentibus ad Cremeram, Etruriæ fluvium, intercepti, & cæsi, anno V.C. 277.

Et Cannis, &c. Romani deleti ab Annibale ad Cannas, viculum Apuliæ, anno V.C. 538.

Tot bellorum Animę. Animæ virorum in bello cęsorum; tot heroes, quibus duci, moveri, & animari bella videbantur.

Quoties, &c. Quoties ad egregios illos Manes aliqua ex hoc impiorum grege umbra descendit.

Talis. Turpis, & scelerata, quales nunc sunt.

Cuperent lustrari. Purgari, & expiari cuperent, veluti ipso aspectu contaminatæ.

Sulphura. Quia nempe odore sulphuris purgantur domus infectæ pestilentia.

Humida laurus. Ramus è lauro aqua tinctus: quia ejusmodi rami ad lustrationes à Romanis adhibebantur.

Illuc, heu, &c. Omnis illuc, hoc est, ad Inferos descendimus, reddituri apud judices vitæ rationem, & visuri, quæ in vivis non credimus vera.

Juvernę. Hyberniæ, Irlandiæ, est insula vicina Angliæ, & unum è tribus regnis majoris, ut vocant, Britanniæ.

Orcadas. Insulas XXX. ad septentrionalem partem Britanniæ, seu Anglię,

Sed, quæ nunc populi fiunt victoris in urbe,
Non faciunt illi, quos vicimus.

gliæ, à Claudio Imperatore adjectas Romano Imperio.

Et minima &c. Apud quos per æstatem nox est brevissima, nempe in solstitio æstivo.

Non faciunt. Populis, quos vicimus, sumus nequiores.

SATYRA III.

Ex occasione amici, Roma Cumas demigrantis, vitia Urbis, ac tumultum describit.

QUamvis digressu veteris confusus amici,
Laudo tamen, vacuis, quòd sedem figere Cumis
Destinet, atque unum civem donare Sybillæ.
Janua Bajarum est, & gratum littus amœni
Secessus. Ego vel Prochytam præpono Suburræ.
Nam quid tam miserum, tam solum vidimus, ut non

Confusus. Perturbatus, & tristis sum.

Amici. Umbricii, aruspicis peritissimi.

Vacuis. Non ita populosis.

Sedem figere. Domicilium constituere.

Cumis. Campaniæ civitate antiquissima, & celeberrima propter Sybillam, quæ ibi reddebat oracula, & postea sacellum habuit, in quo colebatur.

Unum civem donare. Se addere civem, civis Cumarum esse.

Sybilla. Civitati Sybillę, idest, Cumis. Sybillæ porrò fuerunt virgines quædam fatidicæ, quæ futura prædicebant: decem vulgò fuisse perhibentur, interque illas celeberrima fuit ista Cumana, sive Cumæa.

Janua &c. Roma proficiscentibus Bajas, iter est per Cumas, quæ urbs est tanquam introitus, & janua Bajarum.

Bajarum. Urbis in Campania amœnissimæ.

Gratum littus &c. Cumarum littus est amœnissimum, & ad secessum, otiumque aptissimum.

Prochytam. Insulam desertam in sinu Puteolano.

Suburræ. Vico Romæ frequentissimo.

Nam quid tam &c. Quem enim locum extra Romam tam solitarium, tamque miserum vidimus, ut non pejus

Deterius credas horrere incendia, lapsus
Tectorum assiduos, ac mille pericula sævæ
Urbis, & Augusto recitantes mense poetas?
Sed, dum tota domus rhedà componitur unà,
Substitit ad veteres arcus, madidamq; Capenam,
Hìc, ubi nocturnæ Numa constituebat amicæ.
Nunc sacri fontis nemus, & delubra locantur
Judæis, quorum cophinus, fœnumque supellex.
Omnis enim populo mercedem pendere jussa est
Arbor, & ejectis mendicat sylva Camenis.

jus esse meritò credas Romæ vivere, & continua pericula expavescere? quę est ullibi tanta miseria, & solitudo, ut non sit præferenda Urbis incommodis?

Horrere. Timere.

Et Augusto &c. Qui importuna recitatione audientes enecant. Dicit hoc emphaticè, quasi hoc omnium miserrimum sit. Auget miseriam hanc, & importunitatem mensis Augusti calor.

Tota domus &c. Supellex, & sarcinæ Umbricii in unam omnes rhedam imponuntur.

Substitit. Umbricius expectans rhedam restitit ad arcus &c.

Arcus veteres &c. In memoriam victoriæ Romuli, vel Horatiorum erectos: vel arcus aquæ ductuum, qui illic erant.

Madidamque &c. Portam Capenam, per quam Capuam ibatur. Madidam appellat, propter fontes, & aquæductus, qui prope illam portam erant.

Hìc, ubi Numa &c. Quem ocum Numa, secundus Romanorum Rex, constituebat ad nocturna colloquia, quæ se habere simulabat cum Dea Egeria, cujus monitis fingebat se Rempublicam administrare. Lucum hunc Numa Musis consecraverat: Egeria enim, ut ait Ovidius, erat *Dea grata Camœnis*. Fast. 4.

Nunc sacri &c. Lucus Aricinus, fons, & delubra Musis à Numa sacrata, nunc dantur pretio habitanda Judæis.

Judæis. Urbe à Domitiano pulsis, & ab aliis identidem imperatoribus.

Quorum cophinus, &c. Quibus vas vimineum, & fœnum, est universa supellex: cophinus, in quo panem, & cibos reponebant; fœnum ad alenda jumenta.

Omnis enim &c. Quia scilicet jubebantur Judæi pulsi Roma, & in hac sylva, in his Musarum delubris habitantes, aliquid nummorum pro locationis pretio solvere.

Mendicat sylva. Judæis mendicantibus sylva plena est.

Ejectis Camœnis. Quia earum delubra incoluntur à prophanis Judæis.

In vallem Egeriæ descendimus, & speluncas
Dissimiles veris. Quantò præstantius esset
Numen aquæ, viridi si margine clauderet undas
Herba, nec ingenuum violarent marmora tophū!
Hic tunc Umbricius: Quando artibus, inquit, honestis
Nullus in Urbe locus, nulla emolumenta laborū;
Res hodie minor est, herè quā fuit, atq; eadē cras
Deteret exiguis aliquid: proponimus illuc
Ire, fatigatas ubi Dædalus exuit alas.
Dum nova canities, dum prima, & recta senectus,
Dum superest Lachesi, quod torqueat, & pedibus me
Porto meis, nullo dextram subeunte bacillo,
Cedamus patriá: vivant Arturius istic,
Et Catulus: maneāt, qui nigra in candida vertūt,

In vallem, &c. Ego, & Umbricius, quem Roma discedentem tantisper prosequebar, in Aricinum lucum descendimus.

Dissimiles veris. Naturalibus, & simplicibus; nempè adscititiis ornamentis violatas.

Præstantius. præsentius, & venerabilius.

Numen aquæ. Deus, qui huic fonti præsidet: nullus enim fons Numine vacare credebatur.

Ingenuum. Naturalem.

Violarent. Inquinarent, nativam elegantiam corrumperent.

Marmora. Arte posita.

Tophum. Est pumicis genus, seu lapis exesus, & scaber, qualis in speluncis visitur, & criptis.

Hic tunc, &c Tunc ita incepit Umbricius.

Res hodie, &c. Pecunia, res familiaris, quo ille mihi decrescit, & fit minor.

Herè. Pro heri.

Deteret, &c Idest, imminuetur aliquid de exiguis meis fortunis.

Illuc ire, &c Cumas, quò Dædalus è Creta fugit. Vide Sat. 1.

Dum nova, &c. Dum incipiunt capilli canescere.

Recta senectus. Nondum incurva.

Dum superest Lachesi, &c. Dum Lachesi, Parcarum uni, superest filum vitæ meæ, quod torqueat; hoc est, dum adhuc mors abest longiusculè.

Subeunte. Sustentante.

Cedamus patriá. Excedamus patria, Urbem deseramus.

Arturius, & Catulus. Adulatores, olim cornicines, nunc Romæ publicani, & divites.

Qui nigra, &c. Qui falsa in

Queis facile est ędem conducere, flumina, portus,
Siccandam eluviem, portandum ad busta cadaver,
Et præbere caput domina venale sub hasta:
Quondam hi cornicines, & municipalis arenæ
Perpetui comites, notæque per oppida buccæ,
Munera nunc cedunt, & verso pollice vulgi
Quemlibet occidunt populariter; unde reversi
Conducunt foricas, & cur non omnia, cùm sint,

in vera, vitia in virtutes vertunt.

Ædem conducere. Reficiendā suscipere certo pretio.

Flumina. Vecturæ lucrum, è rebus, quæ flumine deportantur, colligere.

Portus. Portuum vectigalia, & stationis pretium.

Eluviem. Cloacas, vel lacunas expurgandas.

Et prębere caput, &c. Servi alicujus caput venale exponere; hoc est, mancipia vendere, auctione constituta; vel, seipsos, & suum caput venale exponere, lucri causa.

Domina sub hasta. Ad hastam, in aliquo loco publicè defixam, fiebat auctio, cujus hasta signum erat: quare dicitur domina auctionis, quia illi veluti pręest, & ipsi subiiciuntur vendenda.

Quondam hi &c. Arturius, & Catulus, qui olim cornua, & tubas inflabant.

Et municipalis, &c. Qui in muneribus gladiatoriis, per municipia edi solitis, dū gladiatores pugnarent, vel dum expectarentur, canebant mercede conducti, buccas, & buccinas suas locare solebant, unde perpetuos arenæ comites vocat, & notas buccas.

Munera nunc, &c. Ipsi ad opes provecti nunc edunt munera gladiatoria, quod sine ingentibus sumptibus fieri non potest.

Et verso pollice, &c. Cùm in spectaculis gladiatoriis populus jubebat gladiatorem interfici, invertebat humum versùs, & extendebat, contractis aliis digitis, pollicem; uti contra pressus pollex, id est, intra volam abditus, & contractus, nota erat populi intercedentis pro victo, ne jugularetur. Itaque hic sensus est; jubent interfici quemlibet gladiatorem, ad minimum populi nutum: vel, quemlibet è vulgo jubent interfici, tollunt è medio, non secus, atq; gladiatores verso pollice interimi jubentur.

Populariter: Cum populi applausu; vel vulgò, passim, facilè.

Inde. Post editos ludos gladiatorios.

Conducunt foricas. Purgandas.

Cur non omnia? Cur non turpia omnia facerent, conducerent, locarent, &c.

Quales ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit, quoties voluit Fortuna jocari?
Quid Romæ faciam? mentiri nescio: librum
Si malus est, nequeo laudare, & poscere; motus
Astrorum ignoro: funus promittere patris
Nec volo, nec possum: ranarum viscera nunquam
Inspexi: norunt alii: me nemo ministro
Fur erit: atque ideò nulli comes exeo, tanquam
Mancus, & extinctæ corpus non utile dextræ.
Quis nunc diligitur, nisi conscius, & cui fervens
Æstuat occultis animus, semperque tacendis?
Nil tibi se debere putat, nil conferet unquam,
Participem, qui te secreti fecit honesti.
Carus erit Verri, qui Verrem tempore, quo vult,
Accusare potest. Tanti tibi non sit opaci.

Ad fastigia rerum. Ad summam potentiam.

Poscere. Petere librum cupide, quasi legere vellē.

Motus &c. Ut futura canam, tanquam peritus astrologus.

Funus promittere &c. Liberis dolentibus patrem diutiùs vivere, & hæreditati inhiantibus.

Ranarum &c. Rubetarū ranarum exta ad veneficia non inspicio. Vide Sat. 1.

Me ministro. Me adjuvāte.

Nulli comes &c. Solus, incomitatus, ab Urbe discedo, quasi qui ab omnibus repudier, tamquam mancus &c.

Mancus. Ad nullam rem idoneus, & utilis.

Et extinctæ, &c. Tanquam corpus, quod, si dextera manu caret, mancum & inutile est.

Nisi conscius. Secretorum alterius scelerum. Diligitur porrò, & colitur, ne id aperiat, cujus est conscius, ne amicum, aut dominum prodat.

Fervens æstuat &c. Anxius est, vixque sibi temperat, quin proferat in lucem occulta, & meritò semper tacenda, quæ solus novit, flagitia.

Nil conferet, Beneficii.

Carus erit Verri &c. Spoliatori, & scelerato, qualis erat Verres, carus erit, qui eum quolibet tempore accusare potest, ejus nempè scelerum conscius; Qui noverit Verrem esse furem, illum Verres, licèt invitus, summo habebit in pretio, timens, ne ab eo prodatur, & accusetur.

Tanti tibi non sit &c. Sensus est: tu verò, quamvis omne aurum, quod Tagus in mare secum defert, sperare posses ab improbo divite, qui te arcanorum scelerum participem fecerit, noli id tanti æstimare, ut idcircò velis carere somno, & in perpetuo metu,

Omnis arena Tagi, quodque in mare volvitur aurum,
Ut somno careas, ponendaque præmia sumas
Tristis, & à magno semper timearis amico.
Quæ nunc divitibus gens acceptissima nostris,
Et quos præcipuè fugiam, properabo fateri;
Nec pudor obstabit. Non possum ferre, Quirites,
Græcam Urbē, quāvis quota portio fæcis Achææ.
Jampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
Et linguam, & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana vexit
Ite, quibus grata est picta lupa barbara mitrà.
Rusticus ille tuus sumit trechedipna, Quirine,

ac periculo versari.

Opaci. Propter aureas arenas, quæ ipsius aquas turbidas efficiunt.

Tagi. Auriferi in Hispania fluvii.

Ponendaque præmia &c. Cogaris aliquando deponere, v. g. interfectus ab amico potente, qui te conscium timeat.

Acceptissima &c. Gratissima sit Romanis divitibus.

Nec pudor obstabit. Nec me pudebit aperire patriæ meæ dedecora.

Quirites. Sic appellati sunt Romani, quasi bellatores, & hastati. Quiris enim, prisca vox Sabina, significat hastam. Hinc etiam Romulus vocatus est Quirinus.

Græcam Urbem. Romam Græcorum pollutam vitiis.

Quamvis quota &c. Et tamen Græci minima pars sunt Barbarorum, qui peregrinos mores in Urbem invexere. Nempe & huc confluxere Syri, Mauri, &c.

Fæcis Achææ. Turpissimæ gentis Græcæ, quam Achæam vocat ab Achaja Græciæ parte.

Syrus in Tiberim &c. Syri, qui ad Orontem fluvium habitant, venerunt Romam ad Tiberim sitam.

Chordas obliquas. Instrumenta musica, chordis obliquis constantia.

Gentilia. Gentis suæ propria.

Ite. Abite in malam rem.

Lupa. Scortum.

Mitra. Ornamentum est capitis, & tegmen in Asia usitatum.

Rusticus ille tuus &c. Sensus est: ò Romule, tui cives à te pastore orti, & labori, bonisque artibus olim assueti, jam otio tantùm, ac deliciis vacant, jā ad sportulā, & cœnam tantùm currere, & artem gladiatoriā exercere norunt; dum isti, qui undique in urbem hanc confluxere, illorum luxu, & mollitie ad parandas opes abutentes, insinuant se in divitum domos, in amœnissimis Urbis locis posi-

Et ceromatico fert niceteria collo.
Hic alta Sicyone, ast hic Amydone relicta,
Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus, aut
Alabandis,
Esquilias, dictumque petunt à vimine collem,
Viscera magnarum domuum, dominique futuri.
Ingenium velox, audacia perdita, sermo
Promptus, & Isæo torrentior: ede, quid illum
Esse putes? quemvis hominem secũ attulit ad nos:

tas, Esquiliis, scilicet, & Viminali monte.

Trechedipna. Vox est Græca, quæ significat vestimenta parasitica. Sensus est: sumit vestes lautiores, quibus indutus cursitet ad captandas divitum cœnas. Τρέχω *curro* δεῖπνον *cæna*. Vossius, de vitiis sermonis libro 1. cap. 29. censet esse quædam colli ornamenta, gestari ab Hieronicis solita. Hunc tu consule.

Ceromatico collo. Peruncto ceromate. Ceroma autem est unguentum, quo athletę ungebantur, confectum ex oleo, & terræ quodã genere, quo robustiora fieri corpora credebantur.

Niceteria. Victoriæ præmia, in gladiatorum certaminibus relata.

Hic. Grecus quispiam.

Sicyone. Sicyon fuit urbs vetustissima Peloponnesi, non procul Corintho, dicta olim Ægialos à suo Rege.

Amydone. Pœoniæ civitas est, in Macedonia.

Andro. Prima Cycladum. Sunt illę minores insulæ permultæ, in orbem congestæ (κύκλος, *orbis*, *circulus*) in mari Ægæo.

Samo. Samos est Insula, & Urbs Ægæi maris.

Trallibus. Urbe Lydiæ, in Asia minori.

Alabandis. Urbe minoris Asiæ, in Caria.

Esquilias, &c. Esquilinũ, & Viminalem colles Romanos. Septem colles ambitu suo Roma complectitur, Aventinum, Capitoliũ, seu Tarpeium, Cœlium, Esquilinum, Palatinum, Quirinalem, & Viminalem, à Vimine, seu salicibus ibi consitis, ita dictum.

Viscera, &c. Insinuant se in maximas familias, quarum suis artibus evadant intimi moderatores, & quasi domini: vel, deliciæ dominorum, & iis tam necessarii, quàm sunt viscera corpori.

Velox. Vividum, & acre.

Perdita. Summa, & proiecta.

Isęo torrentior. Concitatior, uberiorque Isæo, famoso oratore Atheniensi, qui Demosthenis præceptor fuit; vel illo Romano, quem Plinius eloquentissimum vocat, lib. 2. ep. 3. quique Trajani tẽpore floruit.

Ede. Loquere, cedo.

Quemvis hominem &c. Sensus est: nulla est ars, quam

Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes,
Augur, schœnobates, medicus, magus: omnia novit
Græculus esuriens; in cœlum, jusseris, ibit.
Ad summam, non Maurus erat, nec Sarmata, nec Thrax,
Qui sumpsit pennas, mediis, sed natus Athenis.
Horum ego non fugiam conchylia? me prior ille
Signabit, fultusque toro meliore recumbet,
Advectus Romam, quo pruna, & coctona vento?
Usque adeò nihil est, quod nostra infantia cœlum
Hausit Aventini, baccâ nutrita Sabinâ?

quam non scire se profiteatur; ita ut in se uno attulerit nobis omnem hominem: hoc est, profitetur omnia, quæcumque homo scire potest, & facere.

Aliptes. Qui athletas ungit.

Augur. Qui ex avium cantu, volatu, pastu, futura prædicit.

Schœnobates. Funambulus. Σχοῖνος, *juncus*, *funis*: βαίνω, *ingredior*.

Magus. Divinus, ariolus.

Ad cœlum, &c. Si jusseris, promittet se volaturū, quasi novus aliquis Dędalus sit.

Maurus, &c. Mauri Africæ populi ad fretum Gaditanum. Sarmatæ extremam Europæ, & Asiæ partem obtinent versùs Septentrionem, Scythis vicini. Thraces in Europa sunt, supra Macedoniam.

Ad summam. Denique, ad extremum.

Qui sumpsit, &c. Dędalus

Horum ego, &c. Ego non Roma profugiam? ubi Gręculi isti tanquam nobiles incedunt, vestibus induti purpureis, conchyliorum liquore tinctis? Conchylium est piscis quilibet concha tectus: propriè tamen illum significat, cujus è succo fit purpura; hinc vestis purpurea sæpè appellatur Conchylium.

Signabit. Ad testamenta, vel alias tabulas consignandas advocabitur.

Fultusque, &c Et in conviviis honoratiori loco accumbet, lecto digniori.

Adductus, &c E Syria sium prunis, & ficubus ipse venalis adductus in eadem navi, eodemque vento. Coctona sunt ficus quædam peculiares Syriæ.

Usque adeò, &c. Nihilne tandem nobis proderit, quod Romæ nati, & nutriti fuimus, quod aerem Romanum pueri hausimus?

Aventini. Supple, montis. Aventinus unus est ex septem urbis Romæ montibus.

Baccâ Sabinâ. Oliva, id est, fructibus, & cibis Italicis, & opponitur prunis, & coctonis Syriæ. Sabini, Populus Italiæ.

Quid,

Quid, quòd adulandi gens prudẽtissima laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici;
Et longum invalidi collum cervicibus æquat
Herculis, Antæum procul à tellure tenentis.
Nec tamen Antiochus, nec erit mirabilis illi
Aut Stratocles, aut cum molli Demetrius Hęmo.
Natio comœda est: rides? majore cachinno
Concutitur; flet, si lacrymas aspexit amici,
Nec dolet: igniculum brumæ si tempore poscas,
Accipit endromidem, si dixeris, æstuo, sudat.
Non sumus ergo pares: melior, qui semper, & omni.
Nocte, dieque potest alienum sumere vultum.
Scire volunt secreta domûs, atque inde timeri.
Et, quoniam cœpit Græcorum mentio, transi

Quid, quòd, &c. Neque hoc satis: iidem sunt adulatores.

Adulandi gens, &c. Græculorum natio adulationis scientissima.

Et longum, &c. Et amici imbecilli prolixum collum comparat, & exęquat collo toroso, & obeso Herculis, dum Antæũ lacertis apprehensum sublimem teneret.

Antæum. Antæus gigas fuit, Terræ filius; qui cum Hercule decertans, quoties terræ affigebatur, toties majores ab ea, filium adjuvante, vires recipiebat; quod animadvertens Hercules eum à terra sublevatum præfocavit.

Nec tamen, &c. Antiochus, Stratocles, & alii histriones peritissimi non sunt cum Gręcis illis comparandi.

Natio, &c. Græci omnes nati sunt ad quamlibet personam induendam: ut fit in comœdia.

Cachinno concutitur. In risum effunditur.

Nec dolet. Nec tamen ullo dolore vero tangitur.

Accipit endromidem. Vestem crassam, & villosam accipit, quasi frigore enecaretur.

Non sumus, &c. Longè Græcis illis deteriores sumus, quia non perinde novimus adulari.

Melior, &c. Ille Græculus melior est nobis, & peritior, qui &c.

Alienum vultum. Ejus vultum, cui adulatur, vel sui ipsius animo dissimilẽ.

Scire volunt, &c. Subodorantur, & scrutantur secreta domûs.

Transi gymnasia, &c. Sensus est: missis levibus istis Græcorum quasi exercitationibus, & flagitiis, audi majora: adulatio enim, ostentatio, & alia id genus, leviora quædam sunt, & tyronum propria; quod dicturus sum, est perfecti in

Gymnasia, atque audi facinus majoris abollæ.
Stoicus occidit Baream, delator amicum.
Discipulumque senex, ripa nutritus in illa,
Ad quam Gorgonei delapsa est penna caballi.
Non est Romano cuiquam locus, hic ubi regnat
Protogenes aliquis, vel Diphilus, aut Erymāthus;
Qui gentis vitio, numquam partitur amicum,
Solus habet: nam, cùm facilem stillavit in aurem
Exiguum de naturæ, patriæque veneno,
Limine summoveor; perierunt tempora longi

in arte scelerum veluti philosophi, qui eam profiteri possit, & alios docere. Lubinus ita locum hunc exponit: missam faciamus turbam, & vulgus Græcorum: transeamus, & migremus ad gymnasia philosophorum; videamus, quo pacto se gerant ipsi Stoici, qui cæteris videntur esse sanctiores.

Gymnasia. Erant loca, in quibus tyrones ad varias artes exercebantur, præsertim ad luctationem, ad quam corpora nudabant. γυμνὸς, *nudus*.

Abollę. Abolla est toga philosophica in hoc loco pro ipso philosopho sumitur.

Stoicus, &c. P. Egnatius, qui Stoicam Græcorum sectam erat amplexus, falso testimonio circumvenit Baream Soranum amicum suum, & discipulum sub Nerone. Tacit 16. Annal.

Ripa nutritus, &c. Hoc est, homo Gręcus, natus propè illum fontem, quem aperuit Pegasus, ungulà saxum feriens, qui fons est ad Heliconem, montem Bœotiæ in Græcia, diciturque fons Caballinus, sive Hyppocrene.

Gorgonei caballi. Pegasi, equi alati, qui procreatus est è sanguine capitis Medusæ unius è Gorgonibus, à Perseo secti.

Delapsa est penna. Id est, quò devolavit Pegasus: dicitur enim statim, atque natus est, ad Heliconem montem devolasse. Aliam hujus loci interpretationem attulimus in prolixiore Juvenalis commentario.

Non est locus, &c. Hoc est, non est aditus in eas domos, ubi &c.

Protogenes, Diphilus, &c. Adulatores Græci.

Numquam, &c. Nullum vult habere socium in amicitia divitis.

In aurem. Patroni.

De naturę, &c. De veneno, & vitiis, quę à natura & patria Gręci omnes hauriunt. Cùm per adulationem, & calumniam, quę vitia Græcis innata sunt, me accusavit apud meum patronum, & me reum fecit, quamvis innocentem.

Limine summoveor, &c. Excludor domo, nulla ratione habita diuturnorum meo-

Servitii: nusquam minor est jactura clientis.
Quod porrò officiū (ne nobis blandiar,) aut quod
Pauperis hic meritum? si curet nocte togatus
Currere, cùm Prætor lictorem impellat, & ire
Præcipitem jubet, dudum vigilantibus orbis,
Ne prior Albinam, aut Modiam, collega salutet?
Divitis hic servi claudit latus ingenuorum
Filius: alter enim, quantum in Legione tribuni
Accipiunt, donat Calvinæ, vel Catienæ.

meorum obsequiorum.

Nusquam. &c. Nullibi minùs laboratur, quàm Romæ, de vetere cliente amittendo.

Quod porrò, &c. Sententia est: non miror, si tam levis est clientis pauperis jactura: quid enim divitibus beneficii, & officii conferre tandem pauper potest? an quod currat nocte togatus, ut eum salutet? verùm idem faciunt viri nobiles, v.g. Prætores, qui lictores impellunt, &c.

Ne nobis blandiar. Ne nostra obsequia commendare plus justo videar, quasi de divitibus patronis optimè meremur. Ut verū dicā.

Currere. Ut salutet, & comitetur patronum.

Cùm Prætor, &c. Siquidem prætor suos lictores (nam sex eum præcedebant, ut duodecim Consulem) urget, & summo manè festinare jubet, ut primi omnium salutent suo nomine divites anus, quæ liberis carent, & quarum iste Prætor inhiat hæreditati, & quas tamen non audet per se adire, ne nimis oblitus dignitatis suę videatur.

Dudum vigilantibus. Siquidem dudum à somno excitatę sunt, orbę, id est, fœminæ liberis carentes, senes orbati filiis, vel quia senes breviori somno utuntur.

Albinam, &c. Matronas divites, & orbas.

Collega. Aliquis eumdē, ac ille, magistratum gerens: alius quispiam Prętor.

Divitis, &c. E duobus adolescentibus honesto loco natis unum videbis comitari honoris causa vile, at dives mancipium: alterum opes dilapidare, ac tantùm largiri meretricibus Calvinæ, & Catienæ, quantum tribuni militares pro stipendio accipiunt.

Claudit latus. Claudere, seu tegere latus ille dicitur, qui deducit aliquem honoris causa per urbem, eiq; locum vię superiorem, & honoratiorem tribuit. Lege Satyrā V. libri II. Horatii, & nostras ibi notas.

Ingenuorum. Libertus est servus donatus libertate: Libertinus, liberti filius: ingenuus, qui libero natus est, ac liberaliter educatus.

Legione. Legio continèbat millia militum vulgò sex. Erant in unaquaque legione tribuni sex: ductores

nem-

Da testem Romæ tam sanctũ, quàm fuit hospes
Numinis Idæi: procedat, vel Numa, vel qui
Servavit trepidam flagranti ex æde Minervam;
Protinus ad censum; de moribus ultima fiet
Quæstio: quot pascit servos, quot possidet agri
Jugera, quàm multa, magnáque paropside cœnat,
Quantum quisque sua nummorũ servat in arca,
Tantum habet, & fidei. Jures licèt, & Samothracũ,
Et nostrorum aras; contemnere fulmina pauper
Creditur, atque Deos, Diis ignoscentibus ipsis.
Quid, quòd materiam præbet, causasq; jocorum
Omnibus hic idem? si fœda, & scissa lacerna,
Si toga sordidula est, & rupta, calceus alter
Pelle patet, vel si, consuto vulnere, crassum,

nempe copiarum precipui.

Da testem, &c. Dicat Romę testimonium apud judices homo vel sanctissimus.

Hospes Numinis Idęi. Scipio Nasica, qui vir optimus à Senatu judicatus, simulacrum matris Deûm ex urbe Pessinunte in Phrygia, ubi mons Ida est, in quo Cybele præcipuè colebatur, Romam adductum hospitio excepit, domique suæ habuit, donec ei templum conditum foret.

Numa. Rex Romanorum secundus, studio religionis, & pacis inclytus.

Vel qui, &c. Lucius Metellus Pontifex, qui ex incendio templi Vestæ eripuit Minervę simulacrum, seu Palladium, ipse flammis excæcatus est.

Protinus ad censum. Subauditur, respicient omnes: in teste non spectabitur probitas, & fides; sed opes: continuò quæritur, quantum habeat censum, quàm sit dives.

Paropside. Patina, id est, quanto apparatu, & sumptu.

Tantùm habet, &c Tantũ habet auctoritatis, & ponderis; tantum illi creditur.

Samothracum. Samothraciæ indigetum, sive magnorum Deorum, Jovis, Minervæ, Mercurii, &c. quos ex Samothracia insula Ægei maris in Phrygiã Dardanus adduxit, ex Phrygia autem Æneas in Italiam.

Nostrorum, Martis, & Romuli, & aliorum Deorum, qui Romæ, in Italia, nati, aut præcipuè culti.

Diis ignoscentibus. Quasi qui sit indignus Deorũ ira.

Patet. Hiat laceratus.

Vel si, &c. Sensus est: vel si variis in locis ita malè consutus, & resartus est calceus, ut appareat crassum, & informe linum, & extent quasi quædam cicatrices malè obducti vulneris.

Vulnere. Rima, fissura calcei.

Ci-

Atque recens linum ostendit non una cicatrix.
Nil habet infelix paupertas durius in se,
Quã quòd ridiculos homines facit. Exeat, inquit,
Si pudor est, & de pulvino surgat Equestri:
Hìc plaudat nitidi præconis filius inter.
Pinnirapi cultos juvenes, juvenesque lanistæ:
Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.
Quis gener hic placuit censu minor, atque puellæ
Sarcinulis impar? quis pauper scribitur hæres?

Cicatrix. Suturæ vestigium.

Exeat, inquit. Inquit designator, qui præest disponendis spectatoribus in theatro.

Si pudor est. Si quo pudore tangitur, nisi est penitus impudens.

De pulvino, &c. Sedili, seu loco Equitibus designato.

Surgat. Supple, pauper.

Hìc, &c. In primis ordinibus theatri, qui erant Equitibus assignati.

Plaudat. Ludos spectet, plausum edat.

Nitidi. Lauti, ac divitis

Pinnirapi. Hoc est, gladiatoris. Inter gladiatores duo maximè genera erant, Mirmillonum, & Retiariorũ. Mirmillo gerebat clypeum, ensem, & galeam, in cujus apice erat pinna, hoc est, pars eminens, & acutior, quæ interdum in morem piscis facta erat, sæpè, & ornata pinnis, seu pennis volucrum, maximè pavonum. Retiarius rete, & tridentem gestabat, ac suo reti involvere, & rapere conabatur pinnã galeæ Mirmillonis, eumque sic dejectum in terram tridenti interficere; unde, & Pinnirapus vocabatur.

Cultos. Ornatos, & elegantes.

Juvenes. Filios gladiatoris, &c.

Lanistæ. Lanista est gladiatorum magister, qui docet artem armorum tractandorum.

Othoni. Roscio Othoni, qui Tribunus plèbis tulit legem Rosciam, quæ certum civibus in theatro locum assignabat. Vanum vocat, hoc est, ventosum, vel ambitiosum.

Distinxit. Separavit; nèpè assignando Equitibus ordines quatuordecim primos theatri, & statuendo, ut illi tantùm hoc privilegio equitum gauderent, haberenturque germani, & veri equites, quorum census esset 400. sestertiorum, idest, librarum Gallicarũ 40000. unde fiebat, ut multi viri boni, & nobiles, quibus tantus census non erat, cum dedecore juberentur locum cedere vilissimis hominibus, sed divitibus.

Quis gener. Quis filiam collocat in matrimonio ei genero, qui opibus par non sit puellæ?

Sarcinulis, &c. Hoc est do-

Quando in consilio est Ædilibus? Agmine facto
Debuerant olim tenues migrasse Quirites.
Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi; seu Romæ durior illis
Conatus: magno hospitium miserabile, magno
Servorum ventres, & frugi cœnula magno.
Fictilibus cænare pudet, quod turpe negavit
Translatus subitò ad Marsos, mensamq; Sabellã,
Contentusque illic Veneto, duroque cucullo.

doti puellę impar, seu opibus illi inferior. Atque hìc queritur Poeta contemni ubique paupertatem, & hominum fortunam, non virtutem, quęri.

Scribitur hæres. In testamento hæres relinquitur.

Quando, &c. Quando advocatur pauper in consilium etiam ab infimis magistratibus?

Ædilibus. Habebant illi curam ædium privatarum, & publicarum, ludorum, &c. Si quid autem gravioris incideret negotii, adhibebant sibi homines spectatos ad capiendum consilium.

Debuerant &c. Rectè fecissent cives Romani, qui in Aventinum montem odio Patritiorum, & divitum, a quibus vexabantur, secesserant, si penitus migrassent Roma, nunquam huc rediturі. Ea secessio plebis in Aventinum contigit anno ab V. C. 261. Vide Florum lib. 1. c. 23.

Tenues Quirites. Plebs Romana.

Emergunt. Opes, & famam consequuntur.

Res angusta. Paupertas.

Sed Romæ &c. Sed longè difficilior est Romæ pauperibus facultas emergendi.

Magno. Supple, constat.

Servorum ventres. Alimenta servis danda.

Frugi. Tenuis, & modica.

Fictilibus. In vasis ex argilla factis.

Quod &c. Tamen non puduit Curium fictilibus uti poculis.

Translatus &c. Curius Dentatus, qui ab aratro de repente translatus est ad bellum contra Marsos, Sabinos, & Samnites gerendum; ubi frugaliter, & parcè victitans aurum sibi ab iis oblatum repudiavit.

Marsos &c. Erant Italiæ populi.

Mensam Sabellam. Inter Sabinos, ipsorum more, parce, & duriter vivens.

Veneto. Cœrulei coloris, sic dicti, quòd eo Veneti piscatores uterentur in iis pannis, quibus capita obvolvebant.

Duroque &c. Rudi vestimento contentus. Cucullus est indumentum capitis è crasso filo.

Pa-

Pars magna Italiæ est, si verum admittimus, in qua
Nemo togam sumit, nisi mortuus. Ipsa dierum
Festorum herboso colitur si quando theatro
Majestas, tandemque redit ad pulpita notum
Exodium; cùm personæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans;
Æquales habitus illic; similemque videbis
Orchestram, & populum clari velamen honoris,
Sufficiunt tunicæ summis Ædilibus albæ.

Pars, &c. Luxum Urbis insectatur, facta comparatione cum aliis Italiæ urbibus, in quibus viget adhuc antiqua simplicitas.

Si verum, &c. Si veritatē dicere, & audire volumus.

Nemo togam, &c. Cives enim rusticantes, seu in municipiis agentes, togam rarò induebant tunicati usque. *Plin. Epist.* 9. *l.* 1.

Nisi mortuus. Itali togatos mortuos efferebant ad funus, ut Græci palliatos, pro more cujusque nationis, ut mortui quàm honestissimè vestiti efferrentur.

Ipsa dierum, &c. Ordo est: si quando ipsa majestas dierum festorum colitur theatro herboso: id est, si quando ad festos dies celebrandos, & hilariùs traducendos, extruitur theatrum e cespite, &c. videbis æqualem habitum &c.

Herboso E viridi cespite, vel, herbis, & frondibus ornato.

Redit ad pulpita Iterùm canitur, & recitatur. Est autem pulpitum propriè locus editior, & separatus in theatro, in quo considebant histriones, mimi, &c. Aliquando significat cathedram, suggestum.

Notum. Sæpè recitatum.

Exodium. Mimici joci, seu facetum aliquod carmen, quod actoribus Tragœdiarum è scena egressis, ad recreandum spectatorem subiiciebatur. Sæpè etiam in fine fabularum, mimi risum movebant salibus, & facetiis, quæ exodia dicta quoque sunt, ab exodo, seu egressu actorum, quibus è scena digressis erat locus istis mimis.

Pallentis. Fæce, & colore squallido illitæ.

Hiatum. Larvam fœdo rictu hiantem.

Æquales, &c. Easdem ibi videbis vestes nobilium, & vulgi, nempe tunicas,

Similemque orchestram. Orchestra propriè est chori, & saltatorum locus: ab ὀρχέομαι, *salto*: vulgò tamen significat partē theatri secretam, ubi Senatores sedebant, & sensus est, nullum ibi discrimen esse inter nobilium, & plebis vestes.

Clari velamen, &c. Summi Magistratus pro insigni suæ dignitatis sumunt tantùm albas tunicas. Ordo est:

Hìc ultra vires habitùs nitor: hìc aliquid plus,
Quàm satis est, interdum alienâ sumitur arcâ.
Commune id vitium est: hìc vivimus ambitiosa
Paupertate omnes. Quid te moror? Omnia Romę
Cũ pretio. Quid das, ut Cossum aliquãdo salutes,
Ut te respiciat clausô Vejento labello?
Ille metit barbam, crinem hic deponit amati:
Plena domus libis venalibus. Accipe, & illud
Fermentum tibi habe; præstare tributa clientes

est: albæ tunicæ sufficiunt, satis sumptuosæ, & splendidæ videntur summis Ædilibus, suntque velamen, seu vestis clari honoris, summi Magistratus, nempè Ædilium, qui jus dicebant vulgò in municipiis, & publicā rem administrabant.

Hic. Romæ.

Habitùs nitor. Vestium splendor, & luxus est major, quàm cujusque fortunæ ferre possint: ultra facultates, & vires fit sumptus.

Quàm satis est. Ad vestes, & alios sumptus faciendos.

Alienà, &c. Ex pecunia, vel mutuo sumpta, vel ablata furto.

Vivimus &c. Pauperes cùm simus, divites haberi volumus, & splendidè vivere.

Omnia, &c. Omnia Romæ venalia sunt.

Quid das. Nempè janitoribus, famulis &c.

Ut Cossum, &c. Ut admittaris ad salutandum nobilem aliquem, qualis est Cossus. Cornelius Cossus, rege Vejentium cæso, opima Spolia Jovi Feretrio, altera Romulo tulit. Corneliorum gens erat clarissima.

Clauso labello. Cùm te non voce, sed nutu solo salutat. Fuit iste Vejento Senator Neronis tempore, & ab eo propter flagitia pulsus Italia. Ponitur hìc pro quolibet nobili superbo, ut etiam Cossus.

Ille metit, &c. Si quis dives resecari jubet primæ barbæ lanuginem, aut crines servi dilecti; clientes ipsius tot mittunt munera, ut iis domus plena sit.

Libis venalibus. Scilicet, quo die ejusmodi prima barba resecabatur (quam quidem Numini alicui consecrare mos erat) solebant clientes divitis liba, hoc est, placentas ex melle farre, & oleo, illi afferre. Hæc dona vendebant subinde servi, & peculium sic augebant. Eo die, quo primùm radebant barbam, juventutem exuere videbantur, & in virilem ætatem transire: hinc dies ille Romanis festus, ac lætus.

Accipe, &c. En alterum malum, unde tibi sit indignandum magis. Non tantùm patronis, sed & eorum servis tributa pręstare cogimur. Sic vocat liba, & munera, quæ divitum servis dabantur. Porrò fer-

 men-

Cogimur, & cultis augere peculia servis.
Quis timet, aut timuit gelidâ Prœneste ruinam?
Aut positis nemorosa inter juga Volsiniis, aut
Simplicibus Gabiis, aut proni Tiburis arce?
Nos urbem colimus tenui tibicine fultam
Magna parte sui: nam sic labentibus obstat
Villicus, & veteris rimæ contexit hiatum,
Securos pendente jubet dormire ruina.
Vivendum est illic, ubi nulla incendia, nulli
Nocte metus. Jã poscit aquam, jã frivola transfert

mentum sæpe usurpatur pro ira, & indignatione, ita enim cor videtur intumescere, ut fermento farina.

Peculia. Peculium erat pecunia, quam propria industria sibi servi comparabãt, atq; sic possidebãt, ut in eam jus domino nullũ esset.

Præneste. Urbe Latii, quam gelidam vocat ab aquis, & situ in monte frigido, nunc dicitur *Palestrina*.

Ruinam. Ædium.

Nemorosa juga. Montes sylvis consitos.

Volsiniis. Etruriæ oppidum est.

Simplicibus Gabiis. Gabios simplices vocat, vel quia hæc civitas inornata erat, vel quia ejus cives deludi se dolo Sextii Tarquinii, & capi passi essent. Vide Florum l. 1. c 7.

Proni, &c. In præcipiti, & declivi loco positi.

Nos, &c. Nos pauperes in Urbe Roma domos incolimus malè fultas.

Tibicine. Fulcro ligneo, vel trabe domum, ne ruat, sustentante. Sic appellantur ejusmodi adminicula, quia vulgò ad fulciendas domos statuæ adhibebantur instar tibicinum factæ.

Sic. Exiguis adminiculis fulciendo vitiosam domũ.

Labentibus obstat. Impedit, ne labantur.

Villicus. Operarius rusticus, & imperitus, non urbanus, & peritior. Villici etiam in urbe dicebantur servi, qui cœnacula pauperibus elocabant.

Contexit hiatum. Legunt aliqui, *cùm texit* (quòd ego malim) & sensus est; postquam hiatum, & rimas vitiosi parietis texit leviter, & obduxit, v. g. luto, & calce, quod labem hanc occultat quidem, at non emendat; ita nos securos esse jubet, quasi timẽdũ nihil esset; cùm simus sẽper in periculo, ne domus ruinã trahat.

Pendente. impendente; imminente semper periculo ruinæ; domo in ruinam pendente & labante.

Illic. Extra Romam.

Jam poscit aquam. Sensus est; sed Romæ perpetuus timor: en, jam audio vicinum meum, cujus domus incenditur, qui aquam poscit, &c.

Frivola. Vilia vasa, ex incendio erepta.

Uca-

Ucalegon: tabulata tibi jam tertia fumant;
Tu nescis. nam, si gradibus trepidatur ab imis,
Ultimus ardebit, quem tegula sola tuetur
A pluvia, molles ubi reddunt ova columbæ.
Lectus erat Codro Proculà minor, urceoli sex,
Ornamentum abaci, nec non, & parvulus infra
Cantharus, & recubās sub eodē marmore Chiron.
Jamque vetus Græcos servabat cista libellos,
Et divina Opici rodebant carmina mures.
Nil habuit Codrus; quis enim negat? & tamē illud
Perdidit infelix totum nil. Ultimus autem
Ærumnę cumulus, quòd nudū, & frustra rogantem
Nemo cibo, nemo hospitio, tectoque juvabit.
Si magna Arturi cecidit domus; horrida mater:

Ucalegon. Vicinus: alludit ad illud Virg. 2. Æne. *Jam proximus ardet Ucalegon.*

Tabulata tertia. Contignatio tertia ardet.

Tu nescis, &c. Sensus est: tu pauper, qui conduxisti supremam partem domus, hoc nescis, nempe excitatum esse incendium: illud tamen brevi ad te perveniet: nam si pars ima domus deflagrat, tu etiam deflagrabis brevi, qui tegulis proximus es.

Trepidatur. Ingruente incendio.

Quem tegula, &c. Qui in summo habitat cœnaculo, & tegulis proximo.

Molles ubi, &c. Nempe in superiori domorum parte vulgò columbæ nidificant.

Codro. Pauperi cuidam, fortè poetæ illi rauco, de quo Sat. 1.

Proculà. Muliere brevissima.

Urceoli. Vascula.

Cantharus. Patera, calix.

Et recubans, &c. Fictilis effigies Centauri Chironis, Achillis magistri, jacens sub eodem marmore, quo cantharus, id est, infra eundem vilem abacum, quem ironicè marmor appellat, quia solebant divites marmoreis abacis uti. Vel, significatur pes abaci, effectus in Chironis similitudinem.

Vetus cista, Capsula jam vetus, & detrita,

Opici. Opici, sive Osci, fuere populi Campaniæ rudes, & imperiti, qui vix Latinè scirent. Hìc igitur appellat per jocum mures Opicos, hoc est ignaros, & imperitos, alioqui enim divinis Codri carminibus pepercissent.

Perdidit. Igne, vel alio casu.

Arturi. Divitis cujuspiā.

Horrida mater. Matronæ Romanæ, ut in publica calamitate, sunt horridæ; id est lugubri in veste, ac luctu perditæ incedunt.

Pullati proceres; differt vadimonia Prætor;
Tunc gemimus casus urbis, tunc odimus ignem.
Ardet adhuc, & jam accurrit, qui marmora donet,
Conferat impensas; hic nuda, & candida signa,
Hic aliquid præclarum Euphranoris, & Polycleti,
Phæcasianorum vetera ornamenta Deorum;
Hic libros dabit, & forulos, mediamque Minervã,
Hic modium argenti. Meliora, & plura reponit
Persicus orborum lautissimus, & meritò jam
Suspectus, tanquam ipse suas incenderit ædes.
Si potes avelli Circensibus, optima Soræ,

Pullati proceres. Atris vestibus induti Senatores lugent.

Differt, &c. Prætores non dicunt jus; & quasi insignis aliqua Reipublicæ calamitas contigisset, differunt, & reiiciunt eos, qui sistere se ad certam diem judicibus debebant. Vadimonium enim est sponsio sistendi se in judicio.

Odimus. Detestamur.

Ardet adhuc, &c. Dum ardet domus illius divitis, en jam præstò sunt, qui conferant ad novas ædes, alius marmora, alius signa, &c.

Signa. Statuas è marmore.

Aliquid prȩclarum. Aliquod egregium opus.

Euphranoris. Pictoris celeberrimi.

Polycleti. Statuarii insignis.

Phȩcasianorum, &c. Statuas, quæ fuerant ornamenta templorum consecratorum Diis Græcis, ita dictis, vel à phæcasiis, quæ sunt rustica calceamẽta, quibus induti pingebantur; vel à Phæcasiis Atheniensium, & Alexandrinorum sacerdotibus, qui illo genere calceorum utebantur. Legunt alii, *hic Asianorum*, nempe Deorum Asiȩ. Sunt, qui scribendum putent *Phecasiatorum*, quæ vox in Seneca reperitur.

Forulos. Capsulas, armaria librorum.

Mediamque Minervam. Statuam Minervæ dimidiatam, pectore tenus extantẽ.

Argenti. Argento plenũ.

Meliora, &c. Hic dives Arturus ex eo incendio plura, quàm amiserat, lucratur, ac recondit, adeò ut meritò dubitetur, annon ipse suis ædibus dedita opera faces injecerit.

Persicus. Est cognomen illius Arturi, fortè à patria, quòd esset Persa.

Orborum. Ditissimus inter illos, qui liberis carent.

Avelli. Æquo animo carere.

Circensibus. Ludis, qui in Circo maximo exhibebantur, & quibus maximè delectabantur Romani. Circus erat spatium oblongum, & clausum porticibus, in quo edebantur spectacula præsertim curulia, in quibus

Aut Fabrateriæ domus, aut Frusinone paratur,
Quanti nunc tenebras unum conducis in annum.
Hortulus hic, puteusq; brevis, nec reste movendus,
In tenues plantas facili diffunditur haustu.
Vive bidentis amans, & culti villicus horti,
Unde epulum possis centum dare Pythagoræis.
Est aliquid quocumque loco, quocumque recessu,
Unius sese dominum fecisse lacertæ.

Plurimus hic æger moritur vigilando: sed illum
Languorem peperit cibus imperfectus, & hærens
Ardenti stomacho; nam quæ meritoria somnum
Admittunt? magnis opibus dormitur in Urbe.

currus à carceribus ad metas impellebantur.

Sorę, Fabrateriæ, &c. Oppidis exiguis Campaniæ, in via Latina.

Paratur quanti, &c. Eodem pretio poteris emere lautam, & elegantem domum in his urbibus, quo Romæ sordidam, & tenebrosam in unum annum conducis.

Hic. In oppidis modò memoratis.

Brevis, &c. Non profundus, unde sine fune hauriri aqua facilè possit, & in hortum irrigandum fundi.

Tenues. Alii legunt, *Teneras plantas.*

Bidentis amans. Hoc est amans agriculturæ: bidens enim furcæ, vel rastri genus est.

Unde epulum, &c. Oleribus enim vescebantur discipuli Pythagoræ, ab animantibus ideò soliti abstinere, quòd in eorum corpora humanas animas putabant immigrare.

Se fecisse dominum. Acquisivisse, & possidere, ut rem suam.

Lacertæ. Idest, agri, aut hortuli etiam vilissimi, in quo lacertæ, & stelliones commorantur. Lacerta est serpens exiguus, ita dictus, quòd gerat pedes humanis lacertis haud absimiles.

Hic. Romæ.

Moritur vigilando. Quia dormire commodè non possunt ægri propter nimium jumentorum, & plaustrorum strepitum.

Imperfectus. Non concoctus, & digestus.

Meritoria. Diversoria, quæ mercede locari solent. Hospitia mercenaria, quò cuique introire licet mercedem, & pretium danti.

Somnum, &c. Id est, quibus in meritoriis Romæ dormire licet?

Magnis opibus, &c. Magno constat pretio domus à strepitu remota, in qua dormire possis. Oportet esse divitem, ut dormiri commodè possit.

Inde caput morbi; rhedarum transitus arcto
Vicorum inflexu, stantis convicia mandræ,
Eripiunt somnum Druso, vitulisque marinis.
Si vocat officium, turba cedente, vehetur
Dives, & ingenti curret super ora Liburno,
Atque obiter leget, aut scribet, vel dormiet intus:
Namque facit somnum clausà lecticà fenestrà:
Antè tamen veniet: nobis properantibus obstat
Unda prior: magno populus premit agmine lũbos,
Qui sequitur: ferit hic cubito, ferit assere duro
Alter; at hic tignum capiti incutit, ille metretam:
Pinguia crura luto: plantà mox undique magnà
Calcor, & in digito clavus mihi militis hæret.
Nonne vides, quanto celebretur sportula fumo?

Caput. Causa, initium.

Stantis convicia, &c. Mulionum convicia, qui ubi coguntur in vico stare, rhedas transitum prohibentes conviciis urgent.

Mandræ. Mandra hìc est agmen mulorum.

Druso. Homini maximè somnolento.

Vitulisque marinis, Illis hominibus, qui somno fruuntur altissimo, similesq; sũt phocis, seu vitulis marinis, qui altissimè dormiunt.

Si vocat officium. Si domo prodire cogeris ob aliquod negotium.

Turba cedente, &c. Occurret tibi dives, qui populum sibi decedere de via cogat.

Curret super ora. Dum scilicet ejus lectica supra populi in via incedentis capita attollitur.

Liburno. Alia lectica instar navis Liburnæ, vel lectica à proceris è Liburnia servis lecticariis vecta. Est Liburnia, regio inter Istriã, & Dalmatiam, contra Italiam, ad sinum Adriaticum.

Facit somnum. Conciliat.

Antè tamen, &c. Licèt scribat, legat, dormiat: tamen citiùs, quò vult, perveniet, quàm nos, quibus in via non ceditur, ut illi.

Unda prior. Populi, & turbæ præeuntis quasi fluxus, & refluxus.

Assere. Tabula, palo.

Tignum, &c. Caput mihi ferit tigno.

Metretam. Mensuram quamdam, vas magnum; capiens libras 108.

Pinguia, &c. Cœnosa sunt.

Plantà. Pedibus, prementium.

Clavus. Clavi, quibus caliga militis est ornata, & præfixa.

Hæret. Mihi in digito figitur, dum à prætereunte equite premor.

Quanto celebretur, &c. Quanto tumultu, & concursatione sportula petatur, seu cibi ad januam divitum distribui soliti; & quantus fu-

Centum convivæ: sequitur sua quemque culina;
Corbulo vix ferret tot vasa ingentia, tot res
Impositas capiti, quot recto vertice portat
Servulus infelix, & cursu ventitat ignem:
Scinduntur tunicæ sartæ: modò longa coruscat
Sarraco veniente abies, atque altera pinum
Plaustra vehunt, nutant altè, populoq; minantur.
Nam si procubuit, qui saxa Ligustica portat
Axis, & eversum fudit super agmina montem,
Quid superest de corporibus? quis mēbra, quis ossa
Invenit? obtritum vulgi perit omne cadaver,
More animæ. Domus interea secura patellas
Jam lavat, & buccà foculū excitat, & sonat unctis

fumus excitetur, nempè à foculis, quos afferebāt sportulæ petitores, ut eos datis obsoniis subiicerent, eaque calida domū reportarent.

Convivæ. Qui sportulam accipiunt.

Sequitur. Defertur à servis dominum sequentibus.

Culina, Focus, & supellex culinæ varia, qua obsonia data excipiant.

Corpulo. Vir robustus, & validus, idemque dux fortissimus sub Nerone. Ponitur pro quolibet bajulo.

Recto vertice. Erecto capite, ne obsonia effundantur.

Et cursu, &c. Tam velociter currit, ut currendo ventum excitet, quo ignis foculorum accenditur.

Scinduntur, &c. Servuli sportulam, & focum portantis vestes paulò ante domi consutæ, & sartę scinduntur in turba prementium: vel; mea tunica jam vetus, & detrita scinditur in ista turba, & festinatione servulorum.

Longa coruscat, &c. Tremit, vacillat longa trabs ex abiete, plaustro imposita.

Sarraco. Plaustro.

Nam si &c. Si plaustrum, quo vehitur magna lapidū strues, axe fracto, eversū est.

Ligustica. Excisū in Liguria, Italiæ parte, quæ Galliæ adjacet ad mare, ubi nunc Genua.

Montem. Magnam molem saxorum, instar alicujus montis.

De corporibus. Oppressis tali mole, & monte corruente.

Obtritum, &c. Ita obteruntur corpora miseræ plebis, ut nihil eorum extare videatur.

More animę. Fere ut anima, quæ separata à corpore non apparet; ita nihil apparet obtriti corporis.

Domus interea &c. Dum obtritus in vico periit servus, qui sportulam portabat, alii famuli ejusdem domus expectantes ejus adventum, & nihil de ipsius morte cogitantes, lances lavant, apparant balneum.

Et buccà, &c. Oris spiritu

Strigilibus, pleno & componit lintea gutto.
Hæc inter pueros variè properantur; at ille
Jam sedet in ripa, tetrumque novitius horret
Porthmea, nec sperat cœnosi gurgitis alnum,
Infelix, nec habet quem porrigat ore trientem.
Respice nunc alia, ac diversa pericula noctis:
Quod spatium tectis sublimibus, unde cerebrum
Testa ferit, quoties rimosa, & curta fenestris

tu ignem excitat.

Et sonat, &c. Cum sonitu apparat strigiles.

Unctis. Oleo, ne cutem lædant.

Strigilibus. Erant strigiles instrumenta, ex auro, ære, & argento, quibus in balneis utebantur ad abstergendum sudorem. Legunt aliqui *Striglibus* &c, quia prima syllaba corripitur in *Strigilibus*. Alii retinent *Strigilibus*, & volunt esse Proceleusmaticum, id est, pedem quatuor syllabis brevibus constantem.

Pleno & gutto, &c. Et postquam oleo vasculum impleverunt. Guttus enim est vasculum, ita dictum, quia guttatim ex eo liquor effundebatur. Solebant autem Romani oleo perfundi in balneis.

Componit lintea. Parat lintea, quibus oleum abstergitur.

Pueros. Famulos, domi expectantes servulum cum sportula redeuntem.

Variè properantur. Cum festinatione apparantur, aliud ab alio.

At ille. Servulus saxi mole obtritus, vel ipse Dominus.

Ripa. Acherontis, seu Stygis.

Novitius. Attonitus inusitato spectaculo,

Horret Porthmea. Charontem portitorem inferorum timet, vel, cum timore respicit. *Porthmeus* Græca vox est, significans portitorem, hoc est, eum, qui homines in ulteriorem fluvii ripam, aut freti transmittit, cujus accusativus *Porthmea*.

Nec sperat, &c. Nec sperat se transmissurum Stygem, se intrare posse in cymbam Charontis, quia inhumatus est: nam, quorum corpora insepulta erant, illorum animę dicebantur centum annos errare in Stygis littore, priusquam transveherentur.

Cœnosi gurgitis. Stygis.

Alnum. Cymbam Charontis: subaudi, posse transmittere.

Ore trientem. Solebant mortuorum ori inserere trientem, naulum scilicet, seu pretium vecturæ, quod Charonti ferrent. Est autem triens parva moneta, tertia pars assis.

Quod spatium, &c. Quantum spatium sit à tectis sublimioribus ad terram, ex quibus dejectæ testæ feriant prætereuntes.

Curta. Fracta, mutila.

Quan-

Vasa cadunt; quanto percussum pondere signent,
Et lædant silicem. Possis ignavus haberi,
Et subiti casus improvidus, ad cœnam si
Intestatus eas: adeò tot fata, quot illa
Nocte patent vigiles, te præter eunte, fenestræ.
Ergo optes, votumque feras miserabile tecum,
Ut sint contentæ patulas defundere pelves.
Ebrius, ac petulans, qui nullum fortè cecidit,
Dat pœnas, noctem patitur lugentis amicum
Peleidæ, cubat in faciem, mox deinde supinus:
Ergo non aliter poterit dormire: quibusdam
Somnum rixa facit; sed, quamvis improbus annis,
Atq; mero fervens, cavet hunc, quem coccina læna
Vitari jubet, & comitum longissimus ordo,

Quanto, &c. Quanta vi ponderosæ testę percutiant pavimentum stratum silice; siquidem illud interdum frangunt, aut saltem ei vestigia imprimunt.

Possis ignavus, &c. Meritò arguaris tanquam rerum tuarum negligens, & parum providus, cautusque contra casus inexpectatos.

Intestatus. Non condito priùs testamento.

Adeò tot, &c. Tam verum est, tot imminere mortis pericula.

Vigiles. Inquilinis adhuc vigilantibus.

Ergo optes, &c. Adeò ut, quod sanè valdè miserum est, optare meritò possis, & Deos rogare, ut è fenestris in caput tuum sordes tantùm effundantur, modò non ipsa deiiciantur vasa.

Pelves, &c. Lotium, sordes pelvibus contentas.

Ebrius, &c. Aliud incommodum: noctu concursant ebrii, qui obvios quosque percutiant.

Dat pœnas. Discruciatur, quia nihil sceleris admiserit, quia neminem verberarit.

Noctem patitur, &c. Tam est inquietus per noctem, quàm fuit filius Pelei Achilles, cùm lugeret Patrocli necem, nec quietem ullam vellet admittere. Patroclus amicus Achillis summus, ab Hectore cæsus est: quę res coegit Achillem bellum, quod Agamemnoni iratus omiserat, repetere.

Non aliter. Nisi aliquem pulsaverit, verberaverit, occiderit.

Improbus annis. Ob juvenilem ætatem protervior.

Cavet hunc, &c. Non lacessit eum, quem vestis, comitatus, faces, quæ illi præferuntur, admonent esse divitem, aut nobilem aliquem, adeòque non temerè lacessendum.

Coccina læna. Vestis rubri, ac splendidi coloris, qualem divites ferunt. Is color fit è quodam grano,

Multum præterea flammarum, & ahenea lampas:
Me, quem Luna solet deducere, vel breve lumen
Candelæ, cujus dispenso, & tempero filum,
Contemnit. Miseræ cognosce prœmia rixæ,
Si rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantùm.
Stat contra; stantique jubet, parere necesse est:
Nam quid agas, cùm te furiosus cogat, & idem
Fortior? Unde venis, exclamat? cujus aceto,
Cujus conche tumes? quis tecum sectile porrum
Sutor, & elixi vervecis labra comedit?
Nil mihi respondes? aut dic, aut accipe calcem:
Ede, ubi consistas? in qua te quæro proseucha?
Dicere si tentes aliquid, tacitusve recedas,

quem infectores coccum vocant.

Ahenea lampas. Quales ferebantur ante Tribunos.

Quem Luna, &c. Qui non alia face utor ad iter noctu faciendum, quàm Lunæ lumine, aut exigua candela.

Cujus dispenso, &c. Cujus funiculum ita compono, ac partior, ut ne citiùs absumatur, aut extinguatur.

Cognosce, &c. Audi, quodnam sit initium, & quasi præludium rixæ meæ cum isto ebrio adolescente.

Si rixa est, &c. Si tamen rixa dicenda est, quando unus verberat, alter verberatur.

Stat contra. Ex adverso.

Cujus aceto &c. Hoc est, ubi cęnasti? ubi vino vilissimo, (quod acetum vocat per contemptum) vel, oleribus aceto malè conditis te ingurgitasti?

Conche. Conchis est fabę genus, sive edulium ex fabis. Sunt, qui conchem esse dicant fabam elixam cum suo cortice, cùm faba frix dicatur ea, quæ sine cortice coquitur.

Quis, &c. Quinam sordidi convivæ tecum unà cœnabant?

Sectile porrum. Porrum aliud capitatum dicebatur, aliud sectile. Quidam simpliciter exponunt, porri folia, & partes sectas, ut faciliùs coquantur.

Elixi, &c. Caput vervecinum coctum aqua.

Aut accipe, &c. Aut ego te proculcabo, calcibus tundam.

Ede, ubi consistas. Dic ubi habites? in qua proseucha convenire te possim, si velim.

Proseucha. Est vox Greca, quę propriè precationem significat, seu locum precationi destinatum: sumitur hìc pro tuguriolo, in quo habitarent mendici, vel, pro alio quovis loco, ubi stipem efflagitare solerent, & consistere, verbi gratia, in templis, aut eorum vestibulis.

Tan-

Tantumdé est, feriunt pariter; vadimonia deinde
Irati faciunt: libertas pauperis hæc est:
Pulsatus rogat, & pugnis concisus adorat,
Ut liceat paucis cum dentibus inde reverti.
Nec tamen hoc tantũ metuas, nam qui spoliet te
Nõ deerit, clausis domibus, postquam omnis ubiq;
Fixa catenatæ siluit compago tabernæ.
Interdum, & ferro subitus grassator agit rem;
Armato quoties tutæ custode tenentur
Et Pontina palus, & Gallinaria pinus:
Sic inde huc omnes tanquam ad vivaria currunt.
Qua fornace graves, qua non incude catenæ?
Maximus in vinclis ferri modus: ut timeas, ne

Tamtumdem est. Perinde est.

Vadimonia &c. Se injuria læsos simulantes, te appellant, ut adsis in judicio ad certam diem.

Libertas, &c. Eò denique recidit illa civium Romanorum adeò celebrata libertas, ut pauperes impune vapulent.

Pulsatus. Verberatus,

Adorat. Supplex obsecrat.

Paucis cum, &c. Non excussis dentibus omnibus, sed aliquot relictis.

Postquam, &c. Sensus est: postquam clausæ sunt tabernæ, nec jam ullus auditur strepitus.

Fixa compago, &c. Id est, asseres, quibus clauduntur tabernæ, inter se compacti, & fixis catenis firmati, ac muniti contra nocturnos latrones.

Ferro grassator, &c. Latro, sicarius, te aggreditur cum armis.

Armato quoties, &c. Quoties, dispositis custodiis, è Pontina palude, & sylva Gallinaria, locis latrocinio aptissimis, arcentur grassatores.

Pontina Palus. Ingens in Latio palus juxta Forum Apii, non longe à Tarracina.

Gallinaria pinus. Sylva Campaniæ, inter Cumas, & Linternum.

Inde, &c. Ex his locis exclusi grassatores huc, id est, Romam properant, sic tanquam ad vivaria, hoc est, ad locum, ubi prædam facilem reperturi sint: nam vivaria dicuntur ea loca, ubi feræ, aves, pisces, &c. aluntur ad saginam, & asservantur.

Qua fornace, &c. Supple, conficiuntur; atque sensus est, tanta est latronum multitudo, ut nulla sit fornax, in qua non fabricentur catenæ ad eos vinciendos.

Maximus, &c. Maxima copia ferri absumitur in vinclis fabricandis.

Ut timeas, ne &c. Adeò ut locus sit timendi, ne deficiat ferrum, unde fiant in-

Vomer deficiat, ne marræ, & sarcula desint.
Felices proavorum atavos, felicia dicas
Sæcula, quæ quondam sub Regibus, atq; Tribunis,
Viderunt uno contentam carcere Romam.
His alias poteram, & plures subnectere causas:
Sed jumenta vocant, & sol inclinat; eundum est.
Nam mihi commotâ jam dudum mulio virga
Innuit: ergo vale nostri memor, & quoties te
Roma tuo refici properantem reddet Aquino:
Me quoque ad Eluinam Cererem, vestramque Dianam,
Convelle à Cumis: satyrarum ego, ni pudet illas,
Adjutor gelidos veniam caligatus in agros.

strumenta rustica, ligones, sarcula, &c.

Uno carcere. Solo carcere Tulliano, quam extruxit Tullus Hostilius, rex Romanorum tertius.

Causas. Cur velim Româ Cumas demigrare.

Sed jumenta, &c. Muli, qui ferunt meas sarcinas, qui rhedam trahunt, in qua est domestica mea supellex, & qui jam longè præcesserunt, monent me, ut sequar, inquit Umbricius.

Tuo Aquino. Id est, patriæ tuæ, ò Juvenalis Aquinum erat oppidum Volscorum, in via Latina, unde oriundus Juvenalis.

Refici properantem. Urbis tædio properè cupientem levari.

Eluinam Cererem. Templum Cereris, in agro Aquinate, sic dictum, à fonte quodam, juxta quem erat templum: qui fons Eluinus ab eluendo vocabatur.

Vestramque, &c. Quam vos illic colitis.

Convelle. Accerse vel invitum.

Satyrarum ego, &c. Adero, ut te adjuvem in conscribendis satyris.

Ni pudet, &c. Mei auxilii, utpote poetæ non satis boni.

Veniam caligatus. Id est, veniam armatus, & ocreatus; caliga enim genus erat calceamenti militaris; atque sensus est: veniam velut audax miles, paratus ad strenuè decertandum, hoc est, exagitanda acriter Urbis vitia.

SATYRA IV.

Crispinus, cœna Domitiani, adulatores.

Ecce iterũ Crispinus, & est mihi sępe vocandus
Ad partes, monstrum nulla virtute redemptũ
A vitiis, æger, solaque libidine fortis.
Quid refert igitur, quantis jumenta fatiget
Porticibus, quanta nemorum vectetur in umbra,
Jugera quot vicina foro, quas emerit ædes?
Nemo malus felix: minimè corruptor, & idem
Incestus, cum quo nuper vittata jacebat,
Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.

Ecce iterum, &c. Ecce iterum prodit in scenam Crispinus; iterum loquar de Crispino, de quo nempe jam egi. sat. 1.

Vocandus ad partes. Appellandus, ut suas veluti partes in meis satyris, & quasi personam agat: hoc est, sępè mihi de illo dicendũ. Sumpta est metaphora ab actoribus comędiarum, qui in iis suas dicũtur agere partes, & suã personam.

Nulla virtute, &c. Vitiorum omnium infamis servus; in quo nempe nulla est virtus, quæ ipsum veluti liberet, & redimat a servitute vitiorum.

Æger, &c. Natura mollis, & ignavus, strenuus tantùm, & audax, cùm est libidini indulgendum.

Quid refert, &c. Sensus est: quid confert ad ejus felicitatem, quòd dives sit? nemo enim malus verè felix est?

Quantis jumenta, &c. Quid refert, quòd per longas, magnificasque porticus in curru gestetur, & mulos, à quibus gestatur, fatiget? Solebant enim divites Romani extruere in hortis porticus opacas ad vitandum æstum, aut imbrem; in quibus, aut vehebantur jumentis, aut lectica gestabantur: Hinc ejusmodi porticus gestationes dicebantur.

Jugera quot, &c. Quid refert, quòd ædes, hortosque in multa jugera patentes, prope forum, ubi veneunt cariùs, emerit?

Minimè, &c. Minimè felix dicendus est alienæ pudicitiæ corruptor, qualis est Crispinus, qui virginem Vestalem temeravit.

Incestus. Incestum vocatur flagitium, quod committitur cum muliere, cum qua nefas est contrahere matrimoniũ ob sanguinis, aut religionis rationem.

Vittata. Vittę sunt tæniæ, & redimicula, quibus capita sacerdotum ornari, & præcingi solebant.

Sãguine, &c. Vestales virgines,

Sed tunc de factis levioribus, & tamen alter,
Si fecisset idem, caderet sub judice morum.
Nam, quod turpe bonis, Titio, Sejoque, decebat
Crispinum. Quid agas, cùm dira, & fœdior omni
Crimine persona est? Mullum sex millibus emit,
Æquantem sanè paribus sestertia libris,
Ut perhibent, qui de magnis majora loquuntur.
Consilium laudo artificis, si munere tanto
Præcipuam in tabulis ceram senis abstulit orbi;

gines, Vestæ consecratæ, ignem alebant sacrum diu, noctuque. Nec fas illis nubere, ac si deprehenderentur in flagitio, defodiebantur humo vivæ.

Sed tunc, &c. Illud incestum Crispini tunc erat unum de illius peccatis levioribus.

Caderet sub, &c. Damnaretur à Censore; cujus nēpè munus erat mores civium emendare, & punire.

Nam quod, &c. Quod aliis, quod bonis civibus, quales erant Titius, & Sejus, turpe fuisset, & pęna dignum, hoc sibi honori ducebat Crispinus, vel hoc in ipso pulchrū cēsebatur, propter ipsius nempe apud Imperatorem gratiam.

Quid agas, &c. Quibus verbis cum insecteris, qui sit ipse omni vitio turpior?

Sex millibus, &c. Supple, nummorum, seu sestertiorum minorum, quorum mille valebãt unum majus sestertium. Redit hæc summa ad libras Gallicas circiter sexcentas, quæ conficiunt nummos scutatos monetæ Romanæ admodùm centum triginta.

Æquantē sanè, &c. Sententia est: Non mirum, si tanto pretio emerit hunc mullū, siquidem pendebat totidem libras, nempe sex, quot sestertiis emptus est. Porrò hæc moles, pondus sex librarum, est aliquid inusitatum in mullo, & mirum: cùm maximi mulli, ut ait Plinius, vix duas, tresve ad summum libras excedant.

Qui de magnis, &c. Adulatores, qui res magnas verbis augent, & majores faciunt.

Consilium laudo, &c. Laudarem consilium, & calliditatem subdoli hominis, si tanti mullum emisset, ut eum daret alicui locupleti seni liberis carenti, & sic ejus captaret hæreditatē.

Si munere tanto. Mulli tanto pretio empti.

Præcipuam, &c. Si primum extorsit locum in testamenti tabulis, seu effecit hoc munere, ut præcipuus hæres in testamento scriberetur ab aliquo sene orbato liberis.

Ceram. Quia testamenta scribebant Romani in tabulis cera obductis: in prima autem tabula, & præcipua primi hæredes scribebantur.

An-

Est ratio ulterior, magnæ si misit amicæ,
Quæ vehitur clauso latis specularibus antro.
Nil tale expectes; emit sibi. Multa videmus,
Quæ miser, & frugi non fecit Apicius. Hoc tu
Succinctus patria quondam, Crispine, papyro?
Hoc pretium squamæ? potuit fortasse minoris
Piscator, quàm piscis emi: provincia tanti
Vendit agros: sed majores Apulia vendit.
Quales tunc epulas ipsum glutisse putemus
Induperatorem? cùm tot sestertia, partem
Exiguam, & modicę sumptam de margine cœnæ;

Antro. Lectica obscura, instar antri. Specularia fiebant è vitro, lino, lapide pellucido, & lucem admittebant excluso vento.

Nil tale expectes. Noli putare aliquid ejusmodi Crispino in mentẽ venisse.

Multa videmus, &c. Multa videmus nunc à Crispino fieri, quę nunquã fecit celebris ille ob gulam, & luxum Apicius, vir sanè moderatus, & frugi, si cum Crispino cõparetur. Vixit ille Apicius sub Tiberio, diciturque à Seneca millies sestertium impẽdisse in dapes, & gulam, idest, librarum Gallicarum decem, ut loquuntur, milliones, qui Romanorum scutatorum nummorum efficiunt vicies centena millia cum ducentis quinquaginta millibus.

Hoc tu, &c. Supple, fecisti? tu, inquam, vile mancipiũ olim ex Ægypto deportatum, eò usq; gulosus fuisti?

Succinctus. Vestitus.

Patria. Ægyptiaca.

Papyro. Papyrus est palustris arbuscula, quæ in Ægypto nascitur, ex qua fiunt navigia, funes, vestes, &c.

Hoc pretium, &c. Non te pudet tanto pretio unũ piscem emere? Squamam poeticè dicit pro pisce.

Provincia tanti, &c. Sensus est: in provinciis, hoc est in regionibus adjunctis Romano Imperio extra Italiam, eodẽ pretio, quo iste piscis emptus est, agri integri, & fundi venduntur: imò & agri majores, ac ditiora prædia, non majori venduntur pretio in ipsa Apulia, quæ Italiæ regio est feracissima, in qua majores agri magno constant.

Quales tunc, &c. Idest: si Crispinus, mancipium Imperatoris, tã exquisitis usus est cibis, quantò lautiores ipse Imperator adhibebat?

Induperatorem. Domitianum. Antiqua vox; pro Imperatorem.

Tot sestertia. Piscem tot sestertiis emptum.

Partem exiguam, &c. Qui tamen piscis non erat, nisi pars exigua cœnæ, vel modicæ ipsius Imperatoris, ac veluti sumpta in margine, seu extremitate ipsius mẽsæ; hoc est, è ferculis remotioribus, & vilioribus;

Purpureus magni ructaret scurra palatj:
Jam Princeps Equitum, magna qui voce solebat
Vendere municipes fracta de merce siluros?
Incipe Calliope, licet hìc considere; non est
Cantandum, res vera agitur: narrate puellæ
Pierides, prosit mihi vos dixisse puellas.
Cùm jam semianimum laceraret Flavius orbem
Ultimus, & calvo serviret Roma Neroni,
Incidit Adriaci spatium admirabile rhombi,

cùm in media mensa, & prope Imperatorem essent fercula multò pretiosiora, & exquisitiora.

Ructaret. Ad ructationem usque, & nauseam ederet.

Purpureus scurra. Crispinus. Scurra is dicitur, qui illiberalibus jocis risum aliis movet. Purpureus hic appellatur, hoc est, Imperatorius, ut qui in aula, seu palatio Domitiani scurræ munere fungeretur.

Jam Princeps, &c. Nunc Magister Equitum, olim pisciculorum in Ægypto sua venditor.

Municipes siluros. Hoc est populares suos, ex eadem terra ortos, & quasi municipio, quo Crispinus. Reperiuntur enim ferè tantùm in Ægypto siluri, viles pisciculi.

Fracta de, &c. Mercem frangendo, & eam minutatim quasi concisam, ac distributam vendendo, non corbes, & orcas totas vendendo: hoc autem faciunt vilissimi tantùm propolæ. Legũt aliqui, *farta de merce*, id est, è vasculis, in quibus ejusmodi pisciculi conferti, & stipati sunt: alii *Pharia*, id est, Ægyptiaca.

Incipe Calliope. Facetè in argumento ridiculo Musas invocat, quasi rem arduam aggressurus sit.

Licet hìc, &c. Potestis profectò hìc sedere, & immorari: opus hìc est longiori mora.

Cantandum. Fingendum, poetarum more.

Pierides. Musæ, sic dictæ à Pierio, monte Thessaliæ ipsis sacro.

Puellas. Virgines.

Semianimum. Ejus crudelitate confectum, & enectum.

Flavius ultimus. Domitianus, è familia Flaviorum ultimus.

Calvo Neroni. Sic Domitianum vocat, qui Neroni crudelitate, & cæteris vitiis simillimus, hac una re ab illo discrepabat, quòd esset calvus. Calvitiem Domitiano maximè obiiciebant inimici, quòd eam ferret ægerrimè.

Incidit. In piscatoris retia incidit; captus est.

Adriaci. In mari Adriatico nutriti, & capti.

Spatium, &c. Magnitudo ingentis rhombi, hoc est, rhombus magnitudinis admirabilis.

An-

Ante domū Veneris, quā Dorica sustinet Ancon,
Implevitq; sinus; neque enim minor hæserat illis,
Quos operit glacies Mæotica, ruptaque tandem
Solibus, effundit torpentis ad ostia ponti
Desidia tardos, & longo frigore pingues.
Destinat hoc monstrum cymbæ, linique magister
Pontifici summo: quis enim proponere tantùm,
Aut emere auderet, cùm plena, & littora multo
Delatore forent? dispersi protinus algæ
Inquisitores agerent cum remige nudo,

Ante domum &c. Templum Veneris, quod est in urbe Italiæ Ancona, sita in littore maris Adriatici.

Dorica. Id est, Græca, quia condita fuit à Syracusanis, qui à Græcis oriundi sunt; cùm Dionysii tyrannidem fugientes, in Italiam venerunt,

Sinus. Retia; quæ, dum hinc, & inde adducuntur, sinum concavum efficiunt.

Neque enim &c. Sensus est: hic rhombus non erat minor rhombis, aut aliis piscibus, qui in Mæotica palude nutriuntur; qua congelata per hyemem fiunt pingues; dehinc resoluta per æstatem glacie, in Pontum Euxinum transeunt, ac effunduntur.

Hæserat. Id est, in reti piscatorio captus erat.

Mæotica. Est palus Mæotis extrema pars maris mediterranei in finibus Europæ, supra Pontum Euxinum, cui conjungitur angusto freto, quod Bosphorus Cimmerius dicitur.

Solibus. Solis calore æstivo.

Torpentis. Segniter fluentis, ac stagnantis.

Ostia Ponti. Bosphorum Cimmerium, per quem, ut per ostium, exit palus Mæotis, & exonerat se in Pontum Euxinum. Est autem Pontus Euxinus is, qui nunc mare nigrum, seu majus appellatur.

Desidia &c. Longa mora factos segnes.

Monstrum. Piscem portentosæ magnitudinis.

Linifer magister. Hoc est, piscator: per linum enim intelligit rete, quod ex lino fit.

Pontifici. Domitiano, qui nomen, munusque summi Pontificis, ut alii ante ipsum Cæsares, usurpabat.

Proponere. Venalem exponere.

Et littora. Ipsa quoq; littora, nō tantū agri, & urbes.

Algæ. Hoc est, littoris maritimi. Alga est herba marina, quæ in littus ejicitur ab æstu maris.

Inquisitores. Exploratores, delatores: vel, satellites Imperatoris, qui in maris littore excubabant, huc, illuc dispersi.

Agerent &c. Idest, litem intenderent pauperi piscatori.

Ipse capi voluit. Quid apertius? & tamen illi
Surgebant cristæ. Nihil est, quod credere de se
Non possit, cùm laudatur Diis æqua potestas.
Sed deerat piscis patinæ mensura: vocantur
Ergo in consilium proceres, quos oderat ille;
In quorum facie miseræ, magnæque sedebat
Pallor amicitiæ. Primus, (clamante Liburno,
Currite, jam sedit,) rapta properabat abolla
Pegasus, attonitæ positus modò Villicus urbi.
Anne aliud tunc Præfecti? quorum optimus, atque
Interpres legum sanctissimus: omnia quamquam

scatoris meram esse adulationem?

Et tamen illi &c. Et tamen hinc Domitianus superbia efferebatur, quasi verè ista, & ex animo dicerentur. Metaphora sumpta est à gallis gallinaceis, qui in lætitia solent cristas attollere, quas demittunt in metu.

Nihil est &c. Hoc est, Reges, Principes, qui tanquam Dii coluntur ab hominibus, valdè proni sunt ad omnes laudes admittendas, quamvis falsissimas.

Sed deerat &c. Sed deerat vas, seu patina satis ampla, ut in ea piscis integer coqui posset, vel apponi.

In quorum &c. Quorum facies præ se ferebat metũ, in quo erant ob amicitiam Domitiani, plenam simulationis, & perfidiæ, quam sæpe in amicos exercebat, homo, ut ait Suet. callidæ, & inopinatæ sævitiæ.

Primus &c. Primus omnium Pegasus assumpta velociter toga Senatoria, accurrebat ad vocem præconis clamantis, Currite &c.

Liburno. Præcone aliquo, sic dicto, fortasse è Liburnia oriundo.

Currite, jam &c. O proceres, clamat præco, sedit jam ipse Imperator, & vos expectat; advolate, accurrite.

Pegasus. Jurisconsultus celeberrimus; Præfectus urbis à Domitiano creatus.

Attonitæ. Ob Domitiani immanitatem.

Villicus. Gubernator, seu Præfectus; quem hìc satyricè Villicum appellat, quasi non tam Urbis Gubernator, quàm Villicus Imperatoris fuisset.

Anne aliud &c. Et verò; an avaro Principe erant aliud tunc Præfecti, quàm meri Villici? nempe, qui nihil per se administrarent, sed redigendæ tantùm ex Urbe, ut ex villa, pecuniæ, & colligendæ curam haberent.

Quorum optimus &c. Supple, erat Pegasus.

Quamquã &c. Etsi in his miseris temporibus nõ putabat agendum esse cum ea omni severitate, quam justitia postulat, sed indulgendum sceleratis, quo à nemi-

Temporibus diris tractanda putabat inermi
Justitia. Venit & Crispi jucunda senectus,
Cujus erant mores, qualis facundia, mite
Ingenium: maria, ac terras, populosque regenti
Quis comes utilior, si clade, & peste sub illa
Sævitiam damnare, & honestum afferre liceret
Consilium? sed quid violentius aure Tyranni?
Cum quo de pluviis, aut æstibus, aut nimboso
Verè locuturi fatum pendebat amici?
Ille igitur nunquam direxit brachia contra
Torrentem; nec civis erat, qui libera posset
Verba animi proferre, & vitam impendere vero.
Sic multas hyemes, atque octogesima vidit
Solstitia, his armis, illa quoque tutus in aula.
Proximus ejusdem properabat Acilius ævi,

nempe fovebat Imperator, & cum iis molliùs agendũ.

Crispi senectus. Crispus, mitis, & jucundus senex.

Maria, ac terras, &c. Sensus est: nemo utilior Imperatori comes, hoc est, adjutor, & administer fuisset in regendo orbe, si liberè loqui licuisset.

Clade &c. Sub Domitiano, qui clades, & pestis Imperii fuit.

Sed quid &c. Sed quid terribilius est, quàm loqui coram Tyranno? quid immanius Tyranno, coram quo verum dicere non licet.

Cum quo &c. Qui adeò morosus erat, suspicaxque, ut amicus loqui cum eo non posset vel de rebus levissimis sine mortis periculo, si ejus ipsi sermo nõ placeret.

Ille igitur &c. Itaque Crispus non se temere opponebat sævitiæ Domitiani, quæ omnia torrentis instar evertebat.

Nec erat &c. Nemo erat, vel Crispus non is erat, qui vellet vitam exponere periculo, ut verum diceret.

Octogesima &c. Id est, vixit octoginta annos. Solstitia sunt duo anni tempora, alterum mense Decembri, alterum mense Junio; in quibus Sol ita lentè versus Meridiem, aut Septentrionem procedit, ut stare videatur. Hìc utrumlibet eorum pro toto anno ponitur.

His armis. His artibus, hac prudentia, & dissimulatione, tempori cedendo.

Illa aula. Tam sævi Principis, in qua nemo securus erat.

Proximus &c. Sequebatur post Crispum proximè Acilius ejusdem cum illo ætatis, nempe octogenarius. Erat ille Acilius Glabrio, qui consulatum gessit, imperante Domitiano, cui ob egregias virtutes invisus fuit, & ab eo mori jussus.

Ju-

Cum juvene indigno, quem mors tam sæva maneret,
Et domini gladiis tam festinata: sed olim
Prodigio par est in nobilitate senectus:
Unde fit, ut malim fraterculus esse Gigantum.
Profuit ergo nihil misero, quòd cominus ursos
Figebat Numidas, Albana nudus arena
Venator. Quis enim jam non intelligat artes
Patricias? quis priscum illud miretur acumen,

Juvene. Filio suo, vel alio aliquo: Nam non constat, quis fuerit iste juvenis.

Indigno &c. Qui erat indignus tam crudeli nece, & tam immatura.

Domini. Domitiani.

Olim &c. Tunc, regnante Domitiano; vel, jampridem prodigio simile est videre nobilem, qui senex sit.

Fraterculus &c. Id est, ignobilis: Gigas enim sonat idem Grecè, ac Terrę filius: Terræ autem filii appellabantur homines obscuro, & humili loco nati; quare Poeta eos fratres minores Gigantum vocat, quòd eodem nomine appellarētur.

Profuit &c. Nihil igitur profuit infelici juveni ad mortem vitandam, quòd Domitiani benevolentiam, & gratiam captare niteretur, feras conficiendo, & alia præstando, quibus Imperatorem delectari sciebat; vel, quòd ad vilia gladiatorum munera, qui ferè cum istis belluis depugnabant, licèt nobilis, descenderet, ut ab Imperatore contemneretur, non timeretur.

Numidas. Allatos è Numidia, Africæ parte; sive illi reverà essēt ursi, sive leones, quos per catachresim Romani appellarent ursos.

Albana &c. In circo, & amphitheatro Albano, ubi Domitianus, in festis Minervæ celebrandis, feras à gladiatoribus, aliisque interficiendas exhibebat. Arena vocatur locus ejusmodi certaminum, quia erat arena conspersus.

Nudus. Inermis, vel sine vestibus, ut stultitiam simularet, mortemque sic effugeret.

Quis jam &c. Quis enim jam non novit ejusmodi artificia nobilium, quibus conantur Imperatoris captare gratiam, aut saltem sævitiam vitare? sed nunc ea omnia inutilia sunt. Patritii quinam essent, dictum Sat. 1.

Quis priscum &c. Quis jam miretur, ò Brute, artem illam, ac dolum, quo Tarquinium olim decepisti? Scilicet M. Junius Brutus, cùm videret nobiles passim occidi, simulando stultitiā effugit crudelitatem avunculi sui Tarquinii superbi. Sed nunc, inquit Poeta, inutiles essent ejusmodi doli.

Priscum illud. Priscis illis,

Brute, tuum? facile est barbato imponere Regi,
Nec melior vultu, quamvis ignobilis, ibat
Rubrius, offensæ veteris reus, atque tacendæ;
Montani quoque venter adest abdomine tardus,
Et matutino sudans Crispinus amomo,
Quantum vix redolent duo funera. Sævior illo
Pompejus tenui jugulos aperire susurro;
Et qui vulturibus servabat viscera Dacis,
Fuscus, marmorea meditatus prælia villa;
Et cum mortifero prudens Vejento Catullo.
Grande, & conspicuum nostro quoque tempore monstrum,

lis, & rudioribus temporibus idoneum, non his nostris.

Barbato Regi. Id est, prisco & adhuc rudi, ac simplici. Barbatum vocat, quia illis primis temporibus nondum Romani barbam tondebant.

Nec melior. Non lætiore vultu, non minùs pallido.

Tacenda. Reus infamis delicti.

Montani &c. Hoc est, Montanus Curtius, qui difficile incedebat propter abdomen, seu ventrem nimium, & obesum. Quare Poeta satyricè dicit ipsius venisse ventrem.

Matutino. Quò manè ungitur, non expectans cęnæ tempus, quo unguentis ungi vulgò Romani solebant.

Sudans amomo. Id est, unguento delibutus: est enim amomum genus quoddam fruticis provenientis in Syria, ex quo fit unguentum pretiosissimum.

Quantum vix &c. Quantum vix impenditur in funeribus duorum hominum: solebant enim adhiberi aromata ad condienda corpora.

Sævior illo &c. Adest cum illis & Pompejus Rufus, Crispino ipso crudelior ad jugulandos cives. Dicitur hic sævior aperire per Hellenismum, pro, sævior ad aperiendum.

Susurro. Delatione occulta.

Vulturibus. Cadavera vorantibus.

Dacis. Dacia pars est Europæ, quæ nunc Transylvania, Moldavia, &c. dicitur.

Fuscus. Cornelius Fuscus, qui à Domitiano missus est contra Dacos, à quibus, magna accepta clade, occisus est.

Marmorea &c. Inexercitatus homo, & rudis belli, è deliciis villę suæ, ac otiosa armorum meditatione, ad bellum profectus.

Mortifero Catullo. Messalino: quem mortiferum vocat, quia multis exitio fuit ob suas delationes.

Grande &c. Ille Catullus Mes-

Cæcus adulator, dirusque à ponte satelles,
Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes,
Blandaque devexæ jactaret basia rhedæ.
Nemo magis rhombum stupuit: nam plurima dixit,
In lævum conversus; at illi dextra jacebat
Bellua: sic pugnas Cilicis laudabat, & ictus,
Et pegma, & pueros inde ad velaria raptos.
Non cedit Vejento: sed ut fanaticus œstro

Messalinus instar portenti fuit, adeò corpore, & animo erat deformis, quippe cæcus, adulator, crudelis, &c.

Dirusque &c. Dirus satelles Imperatoris, & ejus sævitiæ minister, adscitus ad aulam, & assumptus à ponte: hoc est, ex humili loco ad summas opes evectus: mendici enim cæci, & ejusmodi homines in pontibus versari solent, ubi stipem petant.

Dignus &c. Dignus, qui stipem mendicaret à curribus, seu, hominibus, qui curru per clivum Aricinum vehebantur. Aricia est vicus situs in via Appia, in clivo positus, ubi lucus Dianæ fuit; eratque locus magna hominum frequentia celebratus, adeòque, ubi multi erant mendici.

Devexæ. Per clivum currenti, & inclinatæ.

Basia. Oscula, ut mendici factitant, qui ejusmodi gestibus, & osculis suppliciter conantur homines ad commiseratione movere.

Magis. Quàm hic Catullus.

Plurima &c. Pluribus verbis laudavit piscem, oculos, & ora convertens in sinistram partem, cùm tamen piscis à dextra esset, quem, utpotè cæcus, non videbat.

Cilicis. Gladiatoris cujusdam egregii è Cilicia, Asiæ minoris regione.

Et pegma &c. Machina erat lignea compacta eo artificio, ut surgeret sua sponte, & in varia tabulata sublimis attolleretur. Huic machinæ imponebantur pueri, & saltatores, qui inde usque ad vela, quibus theatrum supernè tegebatur ad arcendum solem, emicabant, ac rapiebantur.

Non cedit &c. Non concedit his Catulli adulationibus.

Fanaticus. Numine afflatus, ut Cybeles, aut Bellonæ sacerdotes, qui in fanis, (unde & fanatici dicebantur) tamquam furiosi se agitabant, ac divinabant.

Oestro &c. Oestrus propriè insectum est è muscarum genere, armenta vexans aculeo, & in furorem agens. Sumitur hìc pro stimulo à Numine incusso, seu, furore divinitus immisso.

Bel-

Percussus, Bellona, tuo divinat, & Ingens
Omen habes, inquit, magni, clarique triumphi:
Regem aliquem capies; aut de temone Britanno
Excidet Arviragus: peregrina est bellua, cernis
Erectas in terga sudes? Hoc defuit unum
Fabricio, patriam ut rhombi memoraret, & annos.

Quidnam igitur censes? conciditur? absit ab illo
Dedecus hoc, Montanus ait: testa alta paretur,
Quæ tenui muro spatiosum colligat orbem;
Debetur magnus patinæ, subitusque Prometheus.
Argillam, atque rotam citiùs properare: sed ex hoc
Tempore jam, Cæsar, figuli tua castra sequantur.
Vicit digna viro sententia: noverat ille

Bellona, Belli Dea, Martis soror.

Divinat, &c. Prædicit futura, & Imperatorem alloquens, Habes, inquit, omen, &c.

Omen habes, &c. Hic piscis captus, certissimum tibi signum est victoriæ insignis à te brevi reportandæ.

De temone, &c. Idest, de curru, atque sensus est; Arviragus; Rex Britannorum, brevi Regnum Britanniæ amittet. Imperium enim sæpe cum curru comparatur, & habenas Imperii moderari Reges dicuntur.

Cernis, &c. Vides, ut pinnas in tergo, sudibus, & spinulis similes erigat. Sudes propriè sunt perticæ, aut baculi acuti, vel ferro præfixi.

Quidnam, &c. An censes, inquit Imperator, unū aliquem è vocatis Senatoribus alloquens, concidendum in frusta piscem?

Testa alta, &c. Vas grande ex argilla in qua piscis integer coquatur.

Quæ tenui, &c. Quæ esta magnum orbem, seu circuitum, habeat, & margine tenui, vel uti muro quodam ambiatur.

Debetur, &c, Opus est, ad patinam illam fingendam, perito aliquo figulo, ac novo veluti Prometheo, Prometheus, Japeti filius, homines è luto finxisse dicitur quos igne ex radiis Solis, Minervæ ope, subrepto postea animavit.

Properate. Cum festinatione apparate.

Sed ex ho, &c. Deinceps fac habeas in castris, in aula tua, paratos semper figulos, ut si quis ejusmodi casus accidat, in prōptu sint.

Vicit, &c. Probata est ejus sententia.

Imperii, &c. Imperatorum superiorum.

Luxuriam Imperii veterem, noctesque Neronis
Jam medias, aliamque famem, cùm pulmo Falerno
Arderet. Nulli major fuit usus edendi,
Tempestate mea: Circæis nata forent, an
Lucrinum ad saxum, Rutupinove edita fundo
Ostrea, callebat primo deprehendere morsu;
Et semel aspecti littus dicebat echini.
Surgitur, & misso proceres exire jubentur
Concilio, quos Albanam dux magnus in arcem
Traxerat attonitos, & festinare coactos;
Tanquam de Cattis aliquid, torvisque Sicambris

Noctesque Neronis. Epulas Neronis, de media die in mediam noctem protractas.

Aliamque famem. Irritamenta gulæ notat, stomachum reficientia, & novam veluti famem procurantia.

Cùm pulmo, &c. Idest, cùm nimio vino ferveret. Falernum vinum est ardens, ac fervidum, natum in Falerno monte Campaniæ in Italia.

Nulli major, &c. Sensus, est, nemo ætate mea majorem habuit peritiam in ciborum delectu; ut qui, ubi primùm ostrea degustaverat, dignosceret statim, ac deprehenderet, ubi nata essent, an Circæis, an ad saxum Lucrinum, an in fundo Rutupino, &c.

Circæis. Rupibus, sive promontorio in Campania. Circei, sive Circeii, & Circæi, olim Volscorum Civitas fuit, in Latio, in monte Circæo, qui è Pontinis paludibus procurrit in mare.

Lucrinum: Lucrinus olim lacus erat inter Puteolos, & Bajas, in intimo sinu Puteolano, nunc est palus lutosa.

Rutupinove, &c. Idest, profundo mari Britannico, ubi, & bona ostrea, Rutupiæ, civitas, & portus Cantiorum in magna Britannia.

Et semel, &c. Dicebat, quo littore esset natus, & captus echinus, ubi semel eum aspexerat. Est autem echinus, piscis è cancrorum genere, aculeis asper.

Dux. Domitianus Imperator.

Arcem. Palatium Imperatoris.

Attonitos. Anxios, & qui sibi timerent propter ejus crudelitatem.

Tanquam de Cattis, &c. Tamquam ipsos consulturus de bello Cattis, & Sicambris inferendo. Erant

hi

Dicturus, tanquam diversis partibus orbis
Anxia præcipiti venisset epistola penna.
Atque utinam his potiùs nugis tota illa dedisset
Tempora sævitiæ, claras quibus abstulit Urbi,
Illustresque animas impune, & vindice nullo:
Sed periit, postquam cerdonibus esse timendus
Cœperat: hoc nocuit Lamiarum cæde madenti.

hi populi Germaniæ ad Rheni ripam, ubi nunc ferè Gueldria, adversùs quos bellum gessit Domitianus. Dicuntur torvi, hoc est, feroces, & terribiles.

Anxia. Triste aliquid nuntians.

Præcipiti penna. Magna festinatione allata.

Nugis. Consultationibus de rhombo, & aliis, id genus rebus.

Tempora sævitiæ. Tempus Imperii, per quod in Romanos tam dire sævit.

Claras, &c. Quo eripuit nobis, necavitque tot viros nobiles.

Vindice nullo. Nemine tantam crudelitatem ulciscente.

Sed periit, &c. Sed tunc interfectus est domestica suorum conjuratione strangulatus, cùm in ignobiles, & vilem plebeculam sævire cœpit: cerdones enim sunt sordidi quilibet opifices, & in primis sutores veterum calceorum.

Hoc nocuit, &c. Hæc in cerdones crudelitas ipsi exitio fuit, qui tot nobilium sanguinem impune fuderat.

Lamiarum, &c. Hoc est, virorum nobilium. Lamiarum familia erat Romæ clarissima, & Domitianus, cum aliis multis nobilibus, Ælium Lamiam interfecerat.

SATYRA V.

Parasiti.

SIc te propositi nondum pudet, atque eadem est mens,
Ut bona summa putes, aliena vivere quadra?

Sic, &c. Nondumne mutas mentem? non te parasiticæ vitæ pudet? alloquitur parasitum, ad quem hanc satyram scribit. Scribunt aliqui. *Si te*. Hoc sensu, si dicis te delectari adhuc parasitorum vita, &c. tibi non credam.

Aliena quadra. Idest, aliena mensa: quadra enim significat patinam, sic di-

Vomer deficiat, ne marræ, & sarcula desint.
Felices proavorum atavos, felicia dicas
Sæcula, quæ quondam sub Regibus, atq; Tribunis,
Viderunt uno contentam carcere Romam.
His alias poteram, & plures subnectere causas;
Sed jumenta vocant, & sol inclinat; eundum est.
Nam mihi commotâ jam dudum mulio virga
Innuit: ergo vale nostri memor, & quoties te
Roma tuo refici properantem reddet Aquino;
Me quoque ad Eluinam Cererem, vestramque Dianam,
Convelle à Cumis: satyrarum ego, ni pudet illas,
Adjutor gelidos veniam caligatus in agros.

strumenta rustica, ligones, sarcula, &c.

Uno carcere. Solo carcere Tulliano, quam extruxit Tullus Hostilius, rex Romanorum tertius.

Causas. Cur velim Româ Cumas demigrare.

Sed jumenta, &c. Muli, qui ferunt meas sarcinas, qui rhedam trahunt, in qua est domestica mea supellex, & qui jam longè præcesserunt, monent me, ut sequar, inquit Umbricius.

Tuo Aquino. Id est, patriæ tuæ, ò Juvenalis Aquinum erat oppidum Volscorum, in via Latina, unde oriundus Juvenalis.

Refici properantem. Urbis tædio properè cupientem levari.

Eluinam Cererem. Templum Cereris, in agro Aquinate, sic dictum, à fonte quodam, juxta quem erat templum: qui fons Eluinus ab eluendo vocabatur.

Vestramque, &c. Quam vos illic colitis.

Convelle. Accerse vel invitum.

Satyrarum ego, &c. Adero, ut te adjuvem in conscribendis satyris.

Ni pudet, &c. Mei auxilii, utpote poetæ non satis boni.

Veniam caligatus. Id est, veniam armatus, & ocreatus; caliga enim genus erat calceamenti militaris; atque sensus est: veniam velut audax miles, paratus ad strenuè decertandum, hoc est, exagitanda acriter Urbis vitia.

SATYRA IV.

Crispinus, sævum Domitiani, adulatores.

Ecce iterũ Crispinus, & est mihi sępe vocandus
Ad partes, monstrum nulla virtute redemptũ
A vitiis, æger, solaque libidine fortis.
Quid refert igitur, quantis jumenta fatiget
Porticibus, quanta nemorum vectetur in umbra,
Jugera quot vicina foro, quas emerit ædes?
Nemo malus felix: minimè corruptor, & idem
Incestus, cum quo nuper vittata jacebat,
Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.

Ecce iterum, &c. Ecce iterum prodit in scenam Crispinus; iterum loquar de Crispino, de quo nempe jam egi. sat. 1.

Vocandus ad partes. Appellandus, ut suas veluti partes in meis satyris, & quasi personam agat: hoc est, sępè mihi de illo dicendũ. Sumpta est metaphora ab actoribus comędiarum, qui in iis suas dicũtur agere partes, & suã personam.

Nulla virtute, &c. Vitiorum omnium infamis servus; in quo nempe nulla est virtus, quæ ipsum veluti liberet, & redimat a servitute vitiorum.

Æger, &c. Natura mollis, & ignavus, strenuus tantùm, & audax, cùm est libidini indulgendum.

Quid refert, &c. Sensus est: quid confert ad ejus felicitatem, quòd dives sit? nemo enim malus verè felix est?

Quantis jumenta, &c. Quid refert, quòd per longas, magnificasque porticus in curru gestetur, & mulos, à quibus gestatur, fatiget? Solebant enim divites Romani extruere in hortis porticus opacas ad vitandum æstum, aut imbrem; in quibus, aut vehebantur jumentis, aut lectica gestabantur: Hinc ejusmodi porticus gestationes dicebantur.

Jugera quot, &c. Quid refert, quòd ædes, hortosque in multa jugera patentes, prope forum, ubi veneunt cariùs, emerit?

Minimè, &c. Minimè felix dicendus est alienæ pudicitiæ corruptor, qualis est Crispinus, qui virginem Vestalem temeravit.

Incestus. Incestum vocatur flagitium, quod committitur cum muliere, cum qua nefas est contrahere matrimoniũ ob sanguinis, aut religionis rationem.

Vittata. Vittę sunt tæniæ, & redimicula, quibus capita sacerdotum ornari, & præcingi solebant.

Sãguine, &c. Vestales virgines,

Sed tunc de factis levioribus, & tamen alter,
Si fecisset idem, caderet sub judice morum.
Nam, quod turpe bonis, Titio, Sejoque, decebat
Crispinum. Quid agas, cùm dira, & fœdior omni
Crimine persona est? Mullum sex millibus emit,
Æquantem sanè paribus sestertia libris,
Ut perhibent, qui de magnis majora loquuntur.
Consilium laudo artificis, si munere tanto
Præcipuam in tabulis ceram senis abstulit orbi;

gines, Vestę consecratæ, ignem alebant sacrum diu, noctuque. Nec fas illis nubere, ac si deprehenderentur in flagitio, defodiebantur humo vivæ.

Sed tunc, &c. Illud incestum Crispini tunc erat unum de illius peccatis levioribus.

Caderet sub, &c. Damnaretur à Censore; cujus nēpè munus erat mores civium emendare, & punire.

Nam quod, &c. Quod aliis, quod bonis civibus, quales erant Titius, & Sejus, turpe fuisset, & pęna dignum, hoc sibi honori ducebat Crispinus, vel hoc in ipso pulchrū cēsebatur, propter ipsius nempe apud Imperatorem gratiam.

Quid agas, &c. Quibus verbis eum insecteris, qui sit ipse omni vitio turpior?

Sex millibus, &c. Supple, nummorum, seu sestertiorum minorum, quorum mille valebātunum majus sestertium. Redit hæc summa ad libras Gallicas circiter sexcentas, quæ conficiunt nummos scutatos monetæ Romanæ admodùm centum triginta.

Æquantē sanè, &c. Sententia est: Non mirum, si tanto pretio emerit hunc mullū, siquidem pendebat totidem libras, nempe sex, quot sestertiis emptus est. Porrò hæc moles, pondus sex librarum, est aliquid inusitatum in mullo, & mirum: cùm maximi mulli, ut ait Plinius, vix duas, tresve ad summum libras excedant.

Qui de magnis, &c. Adulatores, qui res magnas verbis augent, & majores faciunt.

Consilium laudo, &c. Laudarem consilium, & calliditatem subdoli hominis, si tanti mullum emisset, ut eum daret alicui locupleti seni liberis carenti, & sic ejus captaret hæreditatē.

Si munere tanto. Mulli tanto pretio empti.

Præcipuam, &c. Si primum extorsit locum in testamenti tabulis, seu effecit hoc munere, ut præcipuus hæres in testamento scriberetur ab aliquo sene orbato liberis.

Ceram. Quia testamenta scribebant Romani in tabulis cera obductis: in prima autem tabula, & præcipua primi hæredes scribebantur.

An-

Est ratio ulterior, magnæ si misit amicæ,
Quæ vehitur clauso latis specularibus antro.
Nil tale expectes; emit sibi. Multa videmus,
Quæ miser, & frugi non fecit Apicius. Hoc tu
Succinctus patria quondam, Crispine, papyro?
Hoc pretium squamæ? potuit fortasse minoris
Piscator, quàm piscis emi: provincia tanti
Vendit agros: sed majores Apulia vendit.
Quales tunc epulas ipsum glutisse putemus
Induperatorem? cùm tot sestertia, partem
Exiguam, & modicę sumptam de margine cœnæ;

Antro. Lectica obscura, instar antri. Specularia fiebant è vitro, lino, lapide pellucido, & lucem admittebant excluso vento.

Nil tale expectes. Noli putare aliquid ejusmodi Crispino in mentē venisse.

Multa videmus, &c. Multa videmus nunc à Crispino fieri, quę nunquā fecit celebris ille ob gulam, & luxum Apicius, vir sanè moderatus, & frugi, si cum Crispino cōparetur. Vixit ille Apicius sub Tiberio, diciturque à Seneca millies sestertium impēdisse in dapes, & gulam, idest, librarum Gallicarum decem, ut loquuntur, milliones, qui Romanorum scutatorum nummorum efficiunt vicies centena millia cum ducentis quinquaginta millibus.

Hoc tu, &c. Supple, fecisti? tu, inquam, vile mancipiū olim ex Ægypto deportatum, eò usq; gulosus fuisti?

Succinctus. Vestitus.

Patria. Ægyptiaca.

Papyro. Papyrus est palustris arbuscula, quæ in Ægypto nascitur, ex qua fiunt navigia, funes, vestes, &c.

Hoc pretium, &c. Non te pudet tanto pretio unū piscem emere? Squamam poeticè dicit pro pisce.

Provincia tanti, &c. Sensus est: in provinciis, hoc est in regionibus adjunctis Romano Imperio extra Italiam, eodē pretio, quo iste piscis emptus est, agri integri, & fundi venduntur: imò & agri majores, ac ditiora prædia, non majori venduntur pretio in ipsa Apulia, quæ Italiæ regio est feracissima, in qua majores agri magno constant.

Quales tunc, &c. Idest: si Crispinus, mancipium Imperatoris, tā exquisitis usus est cibis, quantò lautiores ipse Imperator adhibebat?

Induperatorem. Domitianum. Antiqua vox; pro Imperatorem.

Tot sestertia. Piscem tot sestertiis emptum.

Partem exiguam, &c. Qui tamen piscis non erat, nisi pars exigua cœnæ, vel modicæ ipsius Imperatoris, ac veluti sumpta in margine, seu extremitate ipsius mēsæ; hoc est, è ferculis remotioribus, & vilioribus;

cùm

Purpureus magni ructaret scurra palatj:
Jam Princeps Equitum, magna qui voce solebat
Vendere municipes fracta de merce siluros?
Incipe Calliope, licet hìc considere; non est
Cantandum, res vera agitur: narrate puellæ
Pierides, prosit mihi vos dixisse puellas.
Cùm jam semianimum laceraret Flavius orbem
Ultimus, & calvo serviret Roma Neroni,
Incidit Adriaci spatium admirabile rhombi,

cùm in media mensa, & prope Imperatorem essent fercula multò pretiosiora, & exquisitiora.

Ructaret. Ad ructationem usque, & nauseam ederet.

Purpureus scurra. Crispinus. Scurra is dicitur, qui illiberalibus jocis risum aliis movet. Purpureus hic appellatur, hoc est, Imperatorius, ut qui in aula, seu palatio Domitiani scurræ munere fungeretur.

Jam Princeps, &c. Nunc Magister Equitum, olim pisciculorum in Ægypto sua venditor.

Municipes siluros. Hoc est populares suos, ex eadem terra ortos, & quasi municipio, quo Crispinus. Reperiuntur enim ferè tantùm in Ægypto siluri, viles pisciculi.

Fracta de, &c. Mercem frangendo, & eam minutatim quasi concisam, ac distributam vendendo, non corbes, & orcas totas vendendo: hoc autem faciunt vilissimi tantùm propolæ. Legût aliqui, *farta de merce*, id est, è vasculis, in quibus ejusmodi pisciculi conferti, & stipati sunt: alii *Pharia*, id est, Ægyptiaca.

Incipe Calliope. Facetè in argumento ridiculo Musas invocat, quasi rem arduam aggressurus sit.

Licet hìc, &c. Potestis profectò hìc sedere, & immorari: opus hìc est longiori mora.

Cantandum. Fingendum, poetarum more.

Pierides. Musæ, sic dictæ à Pierio, monte Thessaliæ ipsis sacro.

Puellas. Virgines.

Semianimum. Ejus crudelitate confectum, & enectum.

Flavius ultimus. Domitianus, è familia Flaviorum ultimus.

Calvo Neroni. Sic Domitianum vocat, qui Neroni crudelitate, & cæteris vitiis simillimus, hac una re ab illo discrepabat, quòd esset calvus. Calvitiem Domitiano maximè objiciebant inimici, quòd eam ferret ægerrimè.

Incidit. In piscatoris retia incidit; captus est.

Adriaci. In mari Adriatico nutriti, & capti.

Spatium, &c. Magnitudo ingentis rhombi, hoc est, rhombus magnitudinis admirabilis.

An-

Ante domũ Veneris, quã Dorica sustinet Ancon,
Implevitq; sinus; neque enim minor hæserat illis,
Quos operit glacies Mæotica, ruptaque tandem
Solibus, effundit torpentis ad ostia ponti
Desidia tardos, & longo frigore pingues.
Destinat hoc monstrum cymbæ, linique magister
Pontifici summo: quis enim proponere tantùm,
Aut emere auderet, cùm plena, & littora multo
Delatore forent? dispersi protinus algæ
Inquisitores agerent cum remige nudo,

Ante domum &c. Templum Veneris, quod est in urbe Italiæ Ancona, sita in littore maris Adriatici.

Dorica. Id est, Græca, quia condita fuit à Syracusanis, qui à Græcis oriundi sunt; cùm Dionysii tyrannidem fugientes, in Italiam venerunt,

Sinus. Retia; quæ, dum hinc, & inde adducuntur, sinum concavum efficiunt.

Neque enim &c. Sensus est: hic rhombus non erat minor rhombis, aut aliis piscibus, qui in Mæotica palude nutriuntur; qua congelata per hyemem fiunt pingues; dehinc re soluta per æstatem glacie, in Pontum Euxinum transeunt, ac effunduntur.

Hæserat. Id est, in reti piscatorio captus erat.

Mæotica. Est palus Mæotis extrema pars maris mediterranei in finibus Europæ, supra Pontum Euxinum, cui conjungitur angusto freto, quod Bosphorus Cimmerius dicitur.

Solibus. Solis calore æstivo.

Torpentis. Segniter fluentis, ac stagnantis.

Ostia Ponti. Bosphorum Cimmerium, per quem, ut per ostium, exit palus Mæotis, & exonerat se in Pontum Euxinum. Est autem Pontus Euxinus is, qui nunc mare nigrum, seu majus appellatur.

Desidia &c. Longa mora factos segnes.

Monstrum. Piscem portentosæ magnitudinis.

Linifer magister. Hoc est, piscator: per linum enim intelligit rete, quod ex lino fit.

Pontifici. Domitiano, qui nomen, munusque summi Pontificis, ut alii ante ipsum Cæsares, usurpabat.

Proponere. Venalem exponere.

Et littora. Ipsa quoq; littora, nõ tantũ agri, & urbes.

Algæ. Hoc est, littoris maritimi. Alga est herba marina, quæ in littus ejicitur ab æstu maris.

Inquisitores. Exploratores, delatores: vel, satellites Imperatoris, qui in maris littore excubabant, huc, illuc dispersi.

Agerent &c. Idest, litem intenderent pauperi piscatori.

Fu-

Non dubitaturi fugitivum ducere piscem,
Depastumque diu vivaria Cæsaris, inde
Elapsum, veterem ad dominum debere reverti.
Si quid Palphurio, si credimus Armillato,
Quidquid conspicuũ, pulchrumq; ex æquore toto
Res fisci est, ubicumque natat: donabitur ergo,
Ne pereat, jam lethifero cedente pruinis
Autumno, jam quartanam sperantibus ægris.
Stridebat deformis hyems, prædamq; recentem
Servabat, tamen hic properat, velut urgeat Auster.

Fugitivum. Elapsum ex Imperatoris vivariis.

Depastumque &c. Dicerent hunc piscem diu nutritum fuisse in vivariis Imperatoris. Sunt autem vivaria, stagna, piscinæ, alia id genus loca, piscibus alendis idonea.

Elapsum &c. Reddendum esse veteri ejus domino, hoc est, Imperatori, cujus è piscina fugisset.

Palphurio, Armillato. Delatoribus, & satellitibus Domitiani.

Res fisci est. Hoc est, ad Imperatorem pertinet: fiscus enim est hìc ærarium Principis; fisco aliquid dicitur addici, cùm Principi adjudicatur. Fiscus propriè, sicut fiscella, est calathus è vimine, aut sparto, in quo pecunia ponitur.

Donabitur ergo, &c. Dabitur igitur à piscatore piscis ille, ne ipsi per vim auferatur; vel, si mavis, quod per consequentiã videtur indicari, dabitur citò piscis, quasi metueret piscator, ne corrumperetur æstu piscis, si diutiùs servaretur; etsi jam inciperet hyems, quo tempore facilè piscis conservari diu posset.

Lethifero. Morbis infesto.

Cedente &c. Locum hyemi, & pruinis dante, hoc est, exeunte autumno.

Sperantibus. Timentibus, Ita Virgil. 4. Æn. dixit, *Sperare dolorem.* Solent enim febres sub finem autumni in quartanas converti; vel, revera sperantibus fore, ut morbi sui, qui per autumnum erant periculosissimi, converterentur appetente hyeme in febres quartanas, quæ periculosæ non sunt.

Prædamque &c. Impediebat, ne putresceret piscis recens captus.

Hìc. Piscator.

Auster. Ventus calidus, à Meridie flans, quo flante solent obsonia corrumpi.

Utque locus &c. Ubi piscator, & qui cum illo erãt satellites Imperatoris, prope lacus Albanos accesserunt, ubi tunc Domitianus erat. Legunt aliqui.

Ut-

Utque lacus superant, ubi, quamquam diruta, servat
Ignem Trojanum, & Vestam colit Alba minorē;
Obstitit intranti miratrix turba parumper.
Ut cessit, facili patuerunt cardine valvæ:
Exclusi spectant admissa obsonia Patres.
Itur ad Atriden. Tunc Picens, Accipe, dixit,
Privatis majora focis; genialis agatur
Iste dies: propera stomachum laxare saginis,
Et tua servatum consume in sæcula rhombum:

Utque lacus superant &c. Postquam superaverunt, seu, prætergressi sunt lacus, ubi &c.

Diruta. A Tullo Hostilio, qui Albanos vicit, & Albam diruit.

Ignem Trojanum. Ignem perpetuum, & inextinctum, quem Albani, è Trojanis orti, tāquam æterni pignus Imperii servabant; unde illum acceptum Tullus Hostilius Romam transtulit; prodigiis verò attonitus Albam referri jussit: quamquam & Romæ illius partem asservavit in templo Vestæ, quod tum extruxit.

Vestam. Hæc Dea igni præerat. In ejus templo ignis ille perpetuus fovebatur à virginibus, quæ Vestales dicebantur.

Alba. Urbs ab Ascanio Æneæ filio condita, Roma distans ferè 15000. passibus.

Minorem. In minori templo, ac minori religione, & pompa cultam, quàm Romæ, ubi ejus sacra insigni religione, & pompa fiebant.

Turba. Civium, vel aulicorum.

Ut cessit. Ubi mirantium turba sūmota est, ac piscatori facilem aditum dedit.

Facili &c. Palatii Imperatoris fores statim illi apertæ sunt.

Exclusi &c. Senatores non admissi intrò, stant foris, & vident introduci piscem, dum ipsi excluduntur. Legunt aliqui, *expectant*, dum nempe cibis intrò admissis vescātur.

Itur ad Atriden. Interea piscator ad Imperatorem introducitur. Atridem vocat, quia Romanorum Imperator erat, ut olim Agamemnon, Atrei filius, Græcorum; cui Atreo Domitianus erat crudelitate par.

Picens. Piscator ex agro Piceno, qui mari Adriatico adjacet.

Privatis majora &c. Fercula exquisitiora, & majoris pretii, quàm ut privati alicujus mensæ apponātur.

Genialis. Id est, lætus; Genius enim erat Deus lætitiæ dator.

Laxare saginis. Aperire, exonerare, ut has delicias capiat, hunc saginatum, & pinguem piscem.

Quid apertius? Quid est clarius, quàm verba illa pisca-

Ipse capi voluit. Quid apertius? & tamen illi
Surgebant cristæ. Nihil est, quod credere de se
Non possit, cùm laudatur Diis æqua potestas.
Sed deerat piscis patinæ mensura: vocantur
Ergo in consilium proceres, quos oderat ille;
In quorum facie miseræ, magnæque sedebat
Pallor amicitiæ. Primus, (clamante Liburno,
Currite, jam sedit,) rapta properabat abolla
Pegasus, attonitæ positus modò Villicus urbi.
Anne aliud tunc Præfecti? quorum optimus, atque
Interpres legum sanctissimus: omnia quamquam

scatoris meram esse adulationem?

Et tamen illi &c. Et tamen hinc Domitianus superbia efferebatur, quasi verè ista, & ex animo dicerentur. Metaphora sumpta est à gallis gallinaceis, qui in lætitia solent cristas attollere, quas demittunt in metu.

Nihil est &c. Hoc est, Reges, Principes, qui tanquam Dii coluntur ab hominibus, valdè proni sunt ad omnes laudes admittendas, quamvis falsissimas.

Sed deerat &c. Sed deerat vas, seu patina satis ampla, ut in ea piscis integer coqui posset, vel apponi.

In quorum &c. Quorum facies præ se ferebat metũ, in quo erant ob amicitiam Domitiani, plenam simulationis, & perfidiæ, quam sæpe in amicos exercebat, homo, ut ait Suet. callidæ, & inopinatæ sævitiæ.

Primus &c. Primus omnium Pegasus assumpta velociter toga Senatoria, accurrebat ad vocem præconis clamantis, Currite &c.

Liburno. Præcone aliquo, sic dicto, fortasse è Liburnia oriundo.

Currite, jam &c. O proceres, clamat præco, sedit jam ipse Imperator, & vos expectat; advolate, accurrite.

Pegasus. Jurisconsultus celeberrimus, Præfectus urbis à Domitiano creatus.

Attonitæ. Ob Domitiani immanitatem.

Villicus. Gubernator, seu Præfectus; quem hìc satyricè Villicum appellat, quasi non tam Urbis Gubernator, quàm Villicus Imperatoris fuisset.

Anne aliud &c. Et verò; an avaro Principe erant aliud tunc Præfecti, quàm meri Villici? nempe, qui nihil per se administrarent, sed redigendæ tantùm ex Urbe, ut ex villa, pecuniæ, & colligendæ curam haberent.

Quorum optimus &c. Supple, erat Pegasus.

Quamquã &c. Etsi in his miseris temporibus nõ putabat agendum esse cum ea omni severitate, quam justitia postulat, sed indulgendum sceleratis, quo s nem-

Temporibus diris tractanda putabat inermi
Justitia. Venit & Crispi jucunda senectus,
Cujus erant mores, qualis facundia, mite
Ingenium: maria, ac terras, populosque regenti
Quis comes utilior, si clade, & peste sub illa
Sævitiam damnare, & honestum afferre liceret
Consilium? sed quid violentius aure Tyranni?
Cum quo de pluviis, aut æstibus, aut nimboso
Verè locuturi fatum pendebat amici?
Ille igitur nunquam direxit brachia contra
Torrentem; nec civis erat, qui libera posset
Verba animi proferre, & vitam impendere vero.
Sic multas hyemes, atque octogesima vidit
Solstitia, his armis, illa quoque tutus in aula.
Proximus ejusdem properabat Acilius ævi,

nempe fovebat Imperator, & cum iis molliùs agendũ.

Crispi senectus. Crispus, mitis, & jucundus senex.

Maria, ac terras, &c. Sensus est: nemo utilior Imperatori comes, hoc est, adjutor, & administer fuisset in regendo orbe, si liberè loqui licuisset.

Clade &c. Sub Domitiano, qui clades, & pestis Imperii fuit.

Sed quid &c. Sed quid terribilius est, quàm loqui coram Tyranno? quid immanius Tyranno, coram quo verum dicere non licet.

Cum quo &c. Qui adeò morosus erat, suspicaxque, ut amicus loqui cum eo non posset vel de rebus levissimis sine mortis periculo, si ejus ipsi sermo nõ placeret.

Ille igitur &c. Itaque Crispus non se temere opponebat sævitiæ Domitiani, quæ omnia torrentis instar evertebat.

Nec erat &c. Nemo erat, vel Crispus non is erat, qui vellet vitam exponere periculo, ut verum diceret.

Octogesima &c. Id est, vixit octoginta annos. Solstitia sunt duo anni tempora, alterum mense Decembri, alterum mense Junio; in quibus Sol ita lentè versus Meridiem, aut Septentrionem procedit, ut stare videatur. Hìc utrumlibet eorum pro toto anno ponitur.

His armis. His artibus, hac prudentia, & dissimulatione, tempori cedendo.

Illa aula. Tam sævi Principis, in qua nemo securus erat.

Proximus &c. Sequebatur post Crispum proximè Acilius ejusdem cum illo ætatis, nempe octogenarius. Erat ille Acilius Glabrio, qui consulatum gessit, imperante Domitiano, cui ob egregias virtutes invisus fuit, & ab eo mori jussus.

Ju-

Cum juvene indigno, quem mors tam sæva maneret,
Et domini gladiis tam festinata: sed olim
Prodigio par est in nobilitate senectus:
Unde fit, ut malim fraterculus esse Gigantum.
Profuit ergo nihil misero, quòd cominus ursos
Figebat Numidas, Albana nudus arena
Venator. Quis enim jam non intelligat artes
Patricias? quis priscum illud miretur acumen,

Juvene. Filio suo, vel alio aliquo: Nam non constat, quis fuerit iste juvenis.

Indigno &c. Qui erat indignus tam crudeli nece, & tam immatura.

Domini. Domitiani.

Olim &c. Tunc, regnante Domitiano; vel, jampridem prodigio simile est videre nobilem, qui senex sit.

Fraterculus &c. Id est, ignobilis: Gigas enim sonat idem Grecè, ac Terrę filius: Terræ autem filii appellabantur homines obscuro, & humili loco nati; quare Poeta eos fratres minores Gigantum vocat, quòd eodem nomine appellarētur.

Profuit &c. Nihil igitur profuit infelici juveni ad mortem vitandam, quòd Domitiani benevolentiam, & gratiam captare niteretur, feras conficiendo, & alia præstando, quibus Imperatorem delectari sciebat; vel, quòd ad vilia gladiatorum munera, qui ferè cum istis belluis depugnabant, licèt nobilis, descenderet, ut ab Imperatore contemneretur, non timeretur.

Numidas. Allatos è Numidia, Africæ parte: sive illi reverà essēt ursi, sive leones, quos per catachresim Romani appellarent ursos.

Albana &c. In circo, & amphitheatro Albano, ubi Domitianus, in festis Minervæ celebrandis, feras à gladiatoribus, aliisque interficiendas exhibebat. Arena vocatur locus ejusmodi certaminum, quia erat arena conspersus.

Nudus. Inermis, vel sine vestibus, ut stultitiam simularet, mortemque sic effugeret.

Quis jam &c. Quis enim jam non novit ejusmodi artificia nobilium, quibus conantur Imperatoris captare gratiam, aut saltem sævitiam vitare? sed nunc ea omnia inutilia sunt. Patritii quinam essent, dictum Sat. 1.

Quis priscum &c. Quis jam miretur, ò Brute, artem illam, ac dolum, quo Tarquinium olim decepisti? Scilicet M. Junius Brutus, cùm videret nobiles passim occidi, simulando stultitiā effugit crudelitatem avunculi sui Tarquinii superbi. Sed nunc, inquit Poeta, inutiles essent ejusmodi doli.

Priscum illud. Priscis il-

lis,

Brute, tuum? facile est barbato imponere Regi,
Nec melior vultu, quamvis ignobilis, ibat
Rubrius, offensæ veteris reus, atque tacendæ,
Montani quoque venter adest abdomine tardus,
Et matutino sudans Crispinus amomo,
Quantum vix redolent duo funera. Sævior illo
Pompejus tenui jugulos aperire susurro;
Et qui vulturibus servabat viscera Dacis,
Fuscus, marmorea meditatus prælia villa;
Et cum mortifero prudens Vejento Catullo.
Grande, & conspicuum nostro quoque tempore monstrum,

lis, & rudioribus temporibus idoneum, non his nostris.

Barbato Regi. Id est, prisco & adhuc rudi, ac simplici. Barbatum vocat, quia illis primis temporibus nondum Romani barbam tondebant.

Nec melior. Non lætiore vultu, non minùs pallido.

Tacendæ. Reus infamis delicti.

Montani &c. Hoc est, Montanus Curtius, qui difficile incedebat propter abdomen, seu ventrem nimium, & obesum. Quare Poeta satyricè dicit ipsius venisse ventrem.

Matutino. Quò manè ungitur, non expectans cœnæ tempus, quo unguentis ungi vulgò Romani solebant.

Sudans amomo. Id est, unguento delibutus: est enim amomum genus quoddam fruticis provenientis in Syria, ex quo fit unguentum pretiosissimum.

Quantum vix &c. Quantum vix impenditur in funeribus duorum hominum: solebant enim adhiberi aromata ad condienda corpora.

Sævior illo &c. Adest cum illis & Pompejus Rufus, Crispino ipso crudelior ad jugulandos cives. Dicitur hìc sævior aperire per Hellenismum, pro, sævior ad aperiendum.

Susurro. Delatione occulta.

Vulturibus. Cadavera vorantibus.

Dacis. Dacia pars est Europæ, quæ nunc Transylvania, Moldavia, &c. dicitur.

Fuscus. Cornelius Fuscus, qui à Domitiano missus est contra Dacos, à quibus, magna accepta clade, occisus est.

Marmorea &c. Inexercitatus homo, & rudis belli, è deliciis villę suæ, ac otiosa armorum meditatione, ad bellum profectus.

Mortifero Catullo. Messalino: quem mortiferum vocat, quia multis exitio fuit ob suas delationes.

Grande &c. Ille Catullus

Mes-

Cæcus adulator, dirusque à ponte satelles,
Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes,
Blandaque devexæ jactaret basia rhedæ.
Nemo magis rhombum stupuit: nam plurima dixit,
In lævum conversus; at illi dextra jacebat
Bellua: sic pugnas Cilicis laudabat, & ictus,
Et pegma, & pueros inde ad velaria raptos.
Non cedit Vejento: sed ut fanaticus œstro

Messalinus instar portenti fuit, adeò corpore, & animo erat deformis, quippe cæcus, adulator, crudelis, &c.

Dirusque &c. Dirus satelles Imperatoris, & ejus sævitiæ minister, adscitus ad aulam, & assumptus à ponte: hoc est, ex humili loco ad summas opes evectus: mendici enim cæci, & ejusmodi homines in pontibus versari solent, ubi stipem petant.

Dignus &c. Dignus, qui stipem mendicaret à curribus, seu, hominibus, qui curru per clivum Aricinum vehebantur. Aricia est vicus situs in via Appia, in clivo positus, ubi lucus Dianæ fuit; eratque locus magna hominum frequentia celebratus, adeòque, ubi multi erant mendici.

Devexæ. Per clivum currenti, & inclinatæ.

Basia. Oscula, ut mendici factitant, qui ejusmodi gestibus, & osculis suppliciter conantur homines ad commiseratione movere.

Magis. Quàm hic Catullus.

Plurima &c. Pluribus verbis laudavit piscem, oculos, & ora convertens in sinistram partem, cùm tamen piscis à dextra esset, quem, utpotè cæcus, non videbat.

Cilicis. Gladiatoris cujusdam egregii è Cilicia, Asiæ minoris regione.

Et pegma &c. Machina erat lignea compacta eo artificio, ut surgeret sua sponte, & in varia tabulata sublimis attolleretur. Huic machinæ imponebantur pueri, & saltatores, qui inde usque ad vela, quibus theatrum supernè tegebatur ad arcendum solem, emicabant, ac rapiebantur.

Non cedit &c. Non concedit his Catulli adulationibus.

Fanaticus. Numine afflatus, ut Cybeles, aut Bellonæ sacerdotes, qui in fanis, (unde & fanatici dicebantur) tamquam furiosi se agitabant, ac divinabant.

Oestro &c. Oestrus propriè insectum est è muscarum genere, armenta vexans aculeo, & in furorem agens. Sumitur hìc pro stimulo à Numine incusso, seu, furore divinitus immisso.

Percussus, Bellona, tuo divinat, & Ingens
Omen habes, inquit, magni, clarique triumphi:
Regem aliquem capies; aut de temone Britanno
Excidet Arviragus: peregrina est bellua, cernis
Erectas in terga sudes? Hoc defuit unum
Fabricio, patriam ut rhombi memoraret, & annos.

Quidnam igitur censes? conciditur? absit ab illo
Dedecus hoc, Montanus ait: testa alta paretur,
Quæ tenui muro spatiosum colligat orbem;
Debetur magnus patinæ, subitusque Prometheus.
Argillam, atque rotam citiùs properare: sed ex hoc
Tempore jam, Cæsar, figuli tua castra sequantur.
Vicit digna viro sententia: noverat ille

Bellona, Belli Dea, Martis soror.

Divinat, &c. Prædicit futura, & Imperatorem alloquens, Habes, inquit, omen, &c.

Omen habes, &c. Hic piscis captus, certissimum tibi signum est victoriæ insignis à te brevi reportandæ.

De temone, &c. Idest, de curru, atque sensus est; Arviragus; Rex Britannorum, brevi Regnum Britanniæ amittet. Imperium enim sæpe cum curru comparatur, & habenas Imperii moderari Reges dicuntur.

Cernis, &c. Vides, ut pinnas in tergo, sudibus, & spinulis similes erigat. Sudes propriè sunt perticæ, aut baculi acuti, vel ferro præfixi.

Quidnam, &c. An censes, inquit Imperator, unū aliquem è vocatis Senatoribus alloquens, concidendum in frusta piscem?

Testa alta, &c. Vas grande ex argilla in qua piscis integer coquatur.

Quæ tenui, &c. Quæ esta magnum orbem, seu circuitum, habeat, & margine tenui, vel uti muro quodam ambiatur.

Debetur, &c, Opus est, ad patinam illam fingendam, perito aliquo figulo, ac novo veluti Prometheo, Prometheus, Japeti filius, homines è luto finxisse dicitur quos igne ex radiis Solis, Minervæ ope, subrepto postea animavit.

Properate. Cum festinatione apparate.

Sed ex hoc, &c. Deinceps fac habeas in castris, in aula tua paratos semper figulos, ut si quis ejusmodi casus accidat, in prōptu sint.

Vicit, &c. Probata est ejus sententia.

Imperii, &c. Imperatorum superiorum.

Luxuriam Imperii veterem, noctesque Neronis
Jam medias, aliamque famem, cùm pulmo Falerno
Arderet. Nulli major fuit usus edendi,
Tempestate mea: Circæis nata forent, an
Lucrinum ad saxum, Rutupinove edita fundo
Ostrea, callebat primo deprehendere morsu;
Et semel aspecti littus dicebat echini.
Surgitur, & misso proceres exire jubentur
Concilio, quos Albanam dux magnus in arcem
Traxerat attonitos, & festinare coactos;
Tanquam de Cattis aliquid, torvisque Sicambris

Noctesque Neronis. Epulas Neronis, de media die in mediam noctem protractas.

Aliamque famem. Irritamenta gulæ notat, stomachum reficientia, & novam veluti famem procurantia.

Cùm pulmo, &c. Idest, cùm nimio vino ferveret. Falernum vinum est ardens, ac fervidum, natum in Falerno monte Campaniæ in Italia.

Nulli major, &c. Sensus, est, nemo ætate mea majorem habuit peritiam in ciborum delectu; ut qui, ubi primùm ostrea degustaverat, dignosceret statim, ac deprehenderet, ubi nata essent, an Circæis, an ad saxum Lucrinum, an in fundo Rutupino, &c.

Circæis. Rupibus, sive promontorio in Campania. Circei, sive Circeii, & Circæi, olim Volscorum Civitas fuit, in Latio, in monte Circæo, qui è Pontinis paludibus procurrit in mare.

Lucrinum: Lucrinus olim lacus erat inter Puteolos, & Bajas, in intimo sinu Puteolano, nunc est palus lutosa.

Rutupinove, &c. Idest, profundo mari Britannico, ubi, & bona ostrea, Rutupiæ, civitas, & portus Cantiorum in magna Britannia.

Et semel, &c. Dicebat, quo littore esset natus, & captus echinus, ubi semel eum aspexerat. Est autem echinus, piscis è cancrorum genere, aculeis asper.

Dux. Domitianus Imperator.

Arcem. Palatium Imperatoris.

Attonitos. Anxios, & qui sibi timerent propter ejus crudelitatem.

Tanquam de Cattis, &c. Tamquam ipsos consulturus de bello Cattis, & Sicambris inferendo. Erant hi

Dicturus, tanquam diversis partibus orbis
Anxia præcipiti venisset epistola penna.
Atque utinam his potiùs nugis tota illa dedisset
Tempora sævitiæ, claras quibus abstulit Urbi,
Illustresque animas impune, & vindice nullo:
Sed periit, postquam cerdonibus esse timendus
Cœperat: hoc nocuit Lamiarum cæde madenti.

hi populi Germaniæ ad Rheni ripam, ubi nunc ferè Gueldria, adversùs quos bellum gessit Domitianus. Dicuntur torvi, hoc est, feroces, & terribiles.

Anxia. Triste aliquid nuntians.

Præcipiti penna. Magna festinatione allata.

Nugis. Consultationibus de rhombo, & aliis, id genus rebus.

Tempora sævitiæ. Tempus Imperii, per quod in Romanos tam dire sævit.

Claras, &c. Quo eripuit nobis, necavitque tot viros nobiles.

Vindice nullo. Nemine tantam crudelitatem ulciscente.

Sed periit, &c. Sed tunc interfectus est domestica suorum conjuratione strangulatus, cùm in ignobiles, & vilem plebeculam sævire cœpit: cerdones enim sunt sordidi quilibet opifices, & in primis sutores veterum calceorum.

Hoc nocuit, &c. Hæc in cerdones crudelitas ipsi exitio fuit, qui tot nobilium sanguinem impune fuderat.

Lamiarum, &c. Hoc est, virorum nobilium. Lamiarum familia erat Romæ clarissima, & Domitianus, cum aliis multis nobilibus, Ælium Lamiam interfecerat.

SATYRA V.

Parasiti.

SIc te propositi nondum pudet, atque eadem est mens,
Ut bona summa putes, aliena vivere quadra?

Sic, &c. Nondumne mutas mentem? non te parasiticæ vitæ pudet? alloquitur parasitum, ad quem hanc satyram scribit. Scribunt aliqui. *Si te.* Hoc sensu, si dicis te delectari adhuc parasitorum vita, &c. tibi non credam.

Aliena quadra. Idest, aliena mensa: quadra enim significat patinam, sic di-

Sic potes illa pati, quæ nec Sarmentus iniquas
Cæsaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset?
Quamvis jurato, metuam tibi credere testi.
Ventre nihil novi frugalius: hoc tamen ipsum
Defecisse puta, quod inani sufficit alvo:
Nulla crepido vacat? nusquam pons, & tegetis pars
Dimidià brevior? tantine injuria cœnæ?
Tam jejuna fames? cùm possis honestiùs illic

ctam, quia quadrata erat. Erat eadem plana, aut leviter in medio depressa, & concava, cujusmodi fere sunt apud nos orbiculi plumbei, quibus impositos cibos dissecamus. Aliquando fiebat è tritico ipso, & erat panis quadratus, cui imponebantur oblonia.

Sarmentus. Eques Romanus scurra, & parasitus Augusti; de quo Hor. sat. 5. l. 1. parasiti dicuntur, qui alienas mensas captant.

Iniquas. Duras, molestas, ubi multa perferre probra, & sannas devorare cogebatur.

Galba. Alter scurra Augusti, homo ignobilis, & abjectus.

Quamvis, &c. Licèt jures te nec pudore, nec tædio hujus vitæ affici, tibi credere tamen nolim.

Ventre, &c. Idest, parvo contenta est natura, & venter; paucis egemus ad satiandam famem.

Hoc tamen, &c. Finge tamen illud exiguum, quod ad placandum ventrem famelicum necessarium est, tibi deesse.

Nulla, &c. Sensus est: nullane urbis pars, nullus pons vacuus est, ubi liberè potiùs mendices, quàm mensas alienas captes turpiter? Sedere solent in pontibus mendici ob hominum transeuntium frequentiam.

Crepido. Est propriè littoris, vel ripæ locus editior, & margo, projectura ædificii in muro, ubi mendici sedent.

Tegetis pars. Teges propriè est genus storeæ, seu straguli, factum è scirpo: sumitur hic pro veste obsoleta, & vili.

Dimidià brevior. Decurtata, dimidio brevior, quàm par est ad corpus tegendũ.

Tantine, &c. An æstimas tanti cœnam unam tot emptam injuriis? in qua tam indignum in modum acciperis? Injuria cœnæ, pro cœna contumeliosa, & injuriosa ponitur.

Tam jejuna, &c. An tam vehementer esuris? adeòne jejunus es, & famelicus, ut istas injurias pati possis ad pellendam famem?

Cùm possis? Lubinus legit, *quin poscis?* hoc sensu; quin tu poscis stipem potiùs? Longè est honestius postulare, & mendicando tremere,

Et tremere, & sordes farris mordere canini,
Primò fige loco, quòd tu discumbere jussus
Mercedem solidam veterum capis officiorum
Fructus amicitiæ magnæ cibus, imputat hunc Rex,
Et quamvis rarum, tamen imputat. Ergo duos post
Si libuit menses neglectum adhibere clientem,
Tertia ne vacuo cessaret culcitra lecto,
Unà simus, ait: votorum summa: quid ultra
Quæris? habet Trebius, propter quod rumpere somnum

mere, ac sordidum panem comedere, quàm turpiter adulando uti divitum mensis: Alii scribunt *cùm possit*, nempe tua fames, licèt jejuna, & canina.

Illic. In pontis crepidine.

Tremere Frigore scilicet.

Sordes, &c. Sordidum panem ex furfure, vel ex hordeo factum, Caninum vocat, quia ejusmodi panis vulgò datur canibus.

Primò, &c. Primùm id tibi persuade; primum illud sit, ex quo intelligas, quàm sit misera parasitorum conditio.

Discumbere jussus. Cùm vocaris ad cœnam divitis.

Mercedem, &c. Hoc est, cœna una tibi datur instar mercedis veterum officiorum omnium: teque satis videtur patronus dives remuneratus esse, si te semel mensa dignatus sit.

Fructus, &c. Eò denique recidit omnis utilitas, quam ex amicitia divitis capis, ut cibum aliquando cum illo sumas.

Imputat. Tanquam beneficium magnum, à se tibi datum, jactat & obiicit.

Rex. Dives patronus, qui clientibus, & parasitis superbum, & regium in morem imperat.

Adhibere. Te convivio excipere, toties neglectum.

Tertia. Ut sit, qui tertiam culcitram, hoc est, postremum locum impleat in lecto, quo discumbitur ad cœnam. Romani enim non sedebant ad mensam, ut hìc fit, sed in lectulis accumbebant; illi autem lecti circa mensam vulgò tres erant, in singulis tres convivæ.

Culcitra. Pulvinus, aut aliud ejusmodi, quod jacenti in lectulo substernitur.

Cessaret. Vacua esset: ut esset, qui repleret tertium lectulum, vel locum tertium in uno è tribus lectulis vacuum, eo quod aliquis ex invitatis deesset.

Simus. Cœnemus, vescamur.

Summa. Hoc illud est, quod optabas scilicet; jam beatus es, jam votorum compos.

Habet. Mutat orationem à secunda persona in tertiam, ut ironia plus habeat salis, licèt eumdem

Debeat, & ligulas dimittere, solicitus, ne
Tota salutatrix jam turba peregerit orbem,
Syderibus dubiis, aut illo tempore, quo se
Frigida circumagunt pigri sarraca Bootæ,
Qualis cęna tamen? vinum quod succida nolit
Lana pati: de conviva Corybanta videbis:
Jurgia proludunt: sed mox & pocula torques
Saucius, & rubra deterges vulnera mappa;

Trebium semper alloquatur. Sententia igitur est: habes amplam mercedem officiorum; en causa justissima, cur toties summo manè abrumpas somnum, ut patronum salutare possis, &c.

Ligulas. Vestium, vel calceorum corrigias, & funiculos omittere, non ligare.

Tota salutatrix, &c. Ne reliqui clientes, suo quique ordine, & loco admissi, alii post alios, velut in orbem salutent patronum, antequam venerit.

Syderibus dubiis. Prima luce, cùm stellæ ob Solis adventum vix apparent, oculosque jam fugiunt; ut meritò dubites, an eas videas, an vidère te putes.

Illo tempore, &c. Nocte intempesta, cùm sydera suos cursus peragunt, cum Bootes suum currum in gyrum volvit.

Frigida. Est enim signum septentrionale.

Pigri. Quia polo vicinior est, atque adeò minorem circulum conficit.

Sarraca. Plaustra: videntur enim in cœlo circa polum stellæ septem incompositæ, ut tres priores, boum, aut equorum, à quibus currus trahatur, quatuor sequentes rotarum speciem referant.

Bootæ. Signum est proximū istis septem stellis, quod eas quasi sequitur, & plaustrum veluti agitat; unde Gręco vocabulo Bootes, hoc est bubulcus, appellatur.

Vinum. Subaudi: vobis apponitur.

Quod succida, &c. Lana recens tonsa, & ab ove succida, succi adhuc, & humoris plena, præparatur, & imbuitur vino, quò meliùs tingatur purpurà, aut ut expurgetur. Hæc tamen lana (inquit) respuit vinum, quod tibi datur, adcò tetrum est.

De conviva, &c. Tu, qui veneras, ut esses conviva, fies Corybantibus similis, hoc est, insanus, & furens Corybantum instar, ob rixas, quæ tibi cum ministris, & servis intercedent.

Corybanta. Corybantes erant Sacerdotes Deæ Cybeles, qui inter sacrificandum caput rotabant, & tympanis pulsatis, inconditoq; clamore perstrepebant.

Proludunt. Convicia prę-ludia sunt hujus pugnæ, & initia: incipit à verbis, mox venit ad verbera.

Torques. Jacis in ministros,

Inter vos quoties, libertorumque cohortem,
Pugna Saguntina fervet commissa lagena.
Ipse capillato diffusum consule potat,
Calcatamque tenet bellis socialibus uvam,
Cardiaco nunquam cyathum missurus amico.
Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis, cujus patriam, titulumque senectus
Delevit, multa veteris fuligine testæ;
Quale coronati Thrasea, Helvidiusque bibebant,

stros, & libertos divitis, à quibus vulneratus es, verberibus affectus.

Rubra. Cruenta.

Vos. Clientes, parasitos.

Cohortem. Turbam: cohors propriè est decima pars legionis in exercitu.

Saguntina. Fictili, è Sagunto, urbe in Hispania, ubi laudatæ testæ fiebant.

Fervet. Magno cum tumultum committitur.

Ipse, &c. Patronus dives optimu vinum potat.

Capillato. Antiquo: prisci enim Romani erant intonsi. Fortè Lucium Opimium innuit, quo Consule diffusa sunt vina, quæ in ducentesimum annum servata deinde sunt.

Diffusum. In testas, & amphores fusum.

Bellis socialibus. Sexto Julio Cæsare, & M Philippo Coss. anno ab V.C. 663. bellum gestum est cum Latinis, & aliis Italiæ populis, Romanorum sociis, præcipuè Marsis, qui jus civitatis à Livio Druso promissum armis extorquere conati sunt. Vide Florum lib. 3. c. 18. hoc autem anno vinum optimum perceptum est.

Cardiaco. Laboranti, cordis dolore, vel, stomachi vitio: ad quem morbum sanandum, vino imprimis generoso opus esse medici docent.

Cyathum. Poculum, calicem vini plenum.

Albanis. Vinum Albanum, quod eximium habebatur, natum in collibus propè Albam.

Setinis. Montibus juxta Setiam, oppidum Campaniæ, in Italia.

Cujus patriam, &c. Quod in testa conditum est adeò vetusta, & fuliginosa, ut non possit commodè legi inscriptio testæ affixa, declarans vini patriam, seu, quo in loco natum esset. Solebant enim amphoras claudere diligenter, & obturare gypso, ac pice, tum imponebant inscriptionem, seu titulum, in quo scribebant, ubi genitum vinum esset, quo Consule diffusum.

Fuligine. Mucore, situ, & fumo.

Testa. Vasis fictilis, quo vinum servabatur.

Quale coronati, &c. Quale eximium vinum bibebant Thrasea Pœtus, & ejus gener Helvidius Priscus, nobiles Romani, Neronis

Brutorum, & Cassi natalibus. Ipse capaces
Heliadum crustas, & inæquales beryllos,
Virro tenet phialas: tibi non committitur aurum;
Vel, si quando datur, custos affixus ibidem,
Qui numeret gemmas, unguesque observet acutos.
Da veniam: præclara illic laudatur jaspis;
Nam Virro, ut multi, gemmas ad pocula transfert
A digitis; quas in vaginæ fronte solebat
Ponere zelotypo juvenis prælatus Hiarbæ,

tempore, cùm celebrarent diem natalem Junii Bruti primi Consulis, qui Tarquinium Roma exegerat, necnon Marci Bruti, & Cassii, qui Cæsarem interfecerant. Hunc autem diem celebrabant, & genio indulgebant, caputque sertis coronabant, quia illos, ut patriæ liberatores, colebant: idque faciebant odio Neronis, qui tum tyrannidem sævissimam exercebat.

Ipse capaces, &c. Ipse Virro patronus dives, ad cujus mensam accumbis tenet manu ingentes phialas, seu scyphos, quæ phialæ sunt crustæ Heliadum, sunt berylli; sive confectæ sunt ex electro, beryllis, ac gemmis ornatæ sunt.

Heliadum crustas. Electrum in crustas concretum, & durescens, poculum ex electro factum. Heliades fuere Solis filiæ, & Phaetontis sorores in alnos, sive populos, cum extinctum fratrem inconsolabiliter flerent, conversæ: earum verò lacrymæ in electrum, sive succinum mutatæ sunt.

Inæquales. Inæqualibus angulis incisos, ut gemmæ solent incidi, ad lucem commodiùs reflectendam.

Beryllos. Beryllus est gemma viridis.

Custos, &c. Servus, qui manus tuas observet, tibi apponitur, & quasi tuo lateri est affixus.

Ungues. Tuos ungues aduncos, ne quid abradas, & fureris.

Da veniam. Noli iniquè ferre, si tam diligenter observaris; namque in poculo, quod tibi datur, est jaspis egregia, quam metuunt, ne tu furto rapias.

A digitis, &c. Sensus est, annulis detractas gemmas poculis ornandis inserit; contra exemplum Æneæ, & antiquorum omnium, qui ab his deliciis alieni, non pocula, sed gladios talibus lapillis ornabant.

Fronte. Manubrio ensis, vel in superiori parte vaginæ.

Juvenis prælatus, &c. Æneas, quem Dido prætulit Hiarbæ Regi Lybiæ, cujus nuptias repudiavit, ut Æneæ nuberet. Dicit autem Virgilius de Ænea, *illi stellatus*

Tu Beneventani sutoris nomen habentem
Siccabis calicem nasorum quatuor, ac jam
Quassatum, & rupto poscentem sulphura vitro.
Si stomachus domini fervet vinoque, ciboque,
Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.
Non eadem vobis poni modò vina querebar;
Vos aliam potatis aquam. Tibi pocula cursor
Getulus dabit, aut nigri manus ossea Mauri,
Et cui per mediam nolis occurrere noctem,
Clivosæ veheris, dum per monumenta Latinæ:

latus jaspide fulva ensis erat.

Tu, &c. Sensus est: dum dives in aureis poculis bibit, tu in vili aliquo, & deformi calice bibes.

Beneventani, &c. Vitreum calicem, Vatinianum appellatum, quatuor angulos extra oras calicis prominentes, velut totidem nasos, & rostra habentem. Hos calices invenerat Vatinius quidam, sutor Beneventanus, à quo dicti sunt Vatiniani.

Et rupto, &c. Erit ille cyathus vitreus jam fractus, ideoque permutandus cum sulphuratis: Romani enim solebant vitra fracta permutare cum sulphuratis, seu ramentis ligneis sulphure illitis. Vel sensus est, illum cyathum, utpote fractum, indigere sulphure, ut quodammodo resarciatur.

Si stomachus, &c. Si vino fervet dives patronus, dabitur ipsi aqua frigidissima.

Decocta. Aqua cocta, mox fusa in lagenas, & dimissa in nives, ut refrigeretur: quò enim magis coquitur, eò frigidior fit postea, & nihil vitii à nive accipit.

Geticis pruinis. Idest, frigidissimis. Getæ enim populi sunt ad septentrionem, Scythis vicini; apud quos frigus perpetuum.

Vobis. Clientibus, parasitis,

Aliam. Non decoctam, non refrigeratam, qualis domino apponitur.

Cursor, &c. Non delicatus aliquis servulus, sed deformis aliquis Maurus, & ex iis, qui munere cursoris duntaxat funguntur, hoc est, currendi quocumque dominus miserit.

Getulus. Ex Getulia, Africæ parte; unde servi vulgò nigri, & sordidi Romam deportabantur.

Ossea. Macilenta, quæ solis ossibus videtur constare.

Et cui &c. Tam deformis, ut pro spectro, & monstro illum acciperes, si per noctem illi occurreres in via Latina.

Monumenta. Erant in via Latina sepulchra nobilium Romanorum: in eadem via erant clivi multi, seu, colliculi.

Flos Asiæ ante ipsum, pretio majore paratus,
Quàm fuit, & Tulli census pugnacis, & Anci:
Et, ne te teneam, Romanorum omnia Regum
Frivola. Quod cũm ita sit, tu Getulum Ganymedem
Respice, cùm sities: nescit tot millibus emptus
Pauperibus miscere puer; sed forma, sed ætas
Digna supercilio. Quando ad te pervenit ille?
Quando vocatus adest calidæ, gelidæque minister?
Quippe indignatur veteri parere clienti,
Quodque aliquid poscas, & quòd, se stante, recumbas;
Maxima quæque domus servis est plena superbis.
Ecce alius, quanto porrexit murmure panem

Flos Asiæ, &c. Virroni astabit, ut ipsi ministret, formosus ex Asia puer, emptus pretio majori, quàm fuerint opes, redditus, & supellex omnis Anci Martii, & Tulli Hostilii, Regum Romanorum. Tullus dicitur pugnax, quia fuit maximè bellicosus.

Et, ne te, &c. Ut uno verbo dicam.

Frivola. Propriè sunt vasa fictilia, & vilia, qualibus Romani olim reges utebantur, cùm Roma tenuis adhuc esset.

Tu Getulum, &c. Si vis bibere, pete, non a formoso illo puero, sed a Getulo illo Ganymede, idest, deformi, & nigro colore, de quo supra. Illum Ganymedē ironicè appellat, fuit enim Ganimedes filius Trois, Regis Trojanorum, qui à Jove in aquilã converso raptus fuisse dicitur, ut Superis ad mẽsam pocula ministraret.

Miscere. Præbere poculum, vinum, & aquam temperare.

Puer. Delicatus ille, formosus servulus.

Supercilio. Fastu, & superbia: sensusque est, non mirum, si pauperibus abnuit ministrare, quippe qui sit adeò elegans, ac ætate florens, ut meritò inde superbus esse possit.

Quando, &c. Quandonam ad te venit formosus ille, ac delicatus pincerna.

Calidæ, gelidæque. Aquã calidam per hyemem maximè potabant, gelidã æstate.

Quippe, &c. Ille formosus pincerna fert ægrè, & indignum putat tibi ministrare, qui homo vilis, & pauper es, vetusque cliens: veteres autem clientes negligebant, ut jam partos, & devinctos; novis blandiebantur, ut eos allicerent.

Recumbas. Mensæ accumbas, in lectulo nempe, ut solebant Romani.

Ecce alius. Servus, minister.

Quanto, &c. Quasi indignans,

Vix fractum, solidæ jam mucida frusta farinæ,
Quæ genuinum agitent, non admittentia morsum:
Sed tener, & niveus, mollique siligine factus,
Servatur domino: dextram cohibere memento;
Salva sit artoptæ reverentia. Finge tamen te
Improbulum; superest illic, qui ponere cogat;
Vis tu consuetis audax conviva canistris
Impleri, panisque tui novisse colorem?
Scilicet hoc fuerat, propter quod, sæpe relicta

gnans, & exprobrans tibi.

Vix fractum. Qui ita vetustate induruit, ut vix secari potuerit, sed frangi potiùs debuerit: vel non sectum decorè cultro, sed manu negligenter fractum, & ruptum.

Solidæ. Non bene tostæ, gravioris, & incoctæ.

Farinæ, &c. Idest, panis massam, jam mucrone corruptam.

Quæ, &c. Quæ frusta vexabunt, & exercebunt tuos dentes ob duritiem, & morsum vix admittent.

Genuinum. Dentes ultimi, & majores, qui molares vulgò dicuntur, iidem genuini appellantur à genis, quòd propè genas sint.

Siligine. Siligo est farina, sine ullo furfure.

Salva sit, &c. Sensus est: reverere, ut par est, panis dispensatorem, & velut inspectorem, cujus est videre, quem cui det panem: hoc est, noli attingere panem illum candidum, quem non tibi, sed domino destinat. Artoptes vox est Græca, cujus prima pars panem significat, altera observatorem, seu inspectorem, vel pistorem etiam, ἄρτος, *panis*: ὄπτομαι, *inspicio*: ὀπτάω, *coquo*. Erat enim artopta vas quoddam, campanæ formam referens, testum vulgò dictum, in quo panem delicatiorem igne lento coquebant. Noli ergo panem hunc tenerum attingere, qui non in furno, ut cæteri panes, sed in artopta est coctus. Sacer ille tibi sit, ac venerabilis.

Finge tamen, &c. Tamen finge te paulò audaculum, ut velis hunc niveum, & Domino destinatum panem tangere: statim præstò est aliquis, qui cogat panem illum deponere, & dicat; Vis tu &c.

Consuetis, &c. Hoc est, pane, quo uti dominus consuevit, & qui in canistris servatur. Canistrum est vas vimineum.

Novisse colorem. Videre, ater, an albus sit.

Scilicet, &c. Clientis indignantis, & conquerentis verba sunt.

Hoc fuerat, &c. Hęccine mihi tot laborum merces rependitur? nempe hæc fuerat causa, cur de nocte surgerem &c.

Conjuge, per montem adversum, gelidasque cucurri
Esquilias, fremeret sæva cùm grandine vernus
Jupiter, & multo stillaret pænula nimbo.
Aspice, quàm longo distendat pectore lancem,
Quæ fertur domino squilla, & quibus undique septa
Asparagis, qua despiciat convivia cauda
Cùm venit excelsi manibus sublata ministri.
Sed tibi dimidio constrictus cammarus ovo
Ponitur, exigua feralis cœna patella.
Ipse Venafrano piscem perfundit, at hic, qui
Pallidus offertur misero tibi caulis, olebit
Laternam: illud enim vestris datur alveolis, quod

Adversum. Arduum, quem ægrè conscenderem.
Cucurri. Patronum manè salutaturus.
Esquilias. Collem Romæ ventis expositum.
Jupiter. Aer nimbosus, ut sæpè est verno tempore.
Pænula. Vestis crassior, & villosior, qualis tempore pluvio sumi solet.
Nimbo. Nimbus propriè est pluvia repentina, & vehemens.
Aspice, &c. Sensus est: vide, ut impleat, & quasi extendat lancem, hoc est, quàm grandis sit, quæ domino affertur squilla, & quàm undique circumdata, & condita delicatis herbis, dum tibi vix affertur cammarus, &c.
Squilla. Piscis exquisitus.
Asparagis. Olera sunt, quæ ad cibos interdum condiendos adhibentur.
Qua despiciat, &c. Ut ceteris dapibus altior, & pretiosior, eas quasi cōtemnat, & infra se positas despiciat.
Constrictus. Conditus parcè, & malignè.
Cammarus. Marini cancri genus, vilis pisciculus.
Feralis cœna. Hoc est; similis illi, quæ mortuis apponebatur. Solebant enim Romani, quòd animas mortuorum cibis uti putarent, vel, ut sacrificia quædam in mortuorum honorem facerent, eorum sepulchris imponere dapes, easque, ut facilè intelligitur, non exquisitas, aut egregie conditas
Venafrano. Oleo optimo, ex agro Venafrano, in Italia.
Olebit. Præ se fert odorem olei vilissimi, quale adhibetur lucernis.
Illud enim &c. Oleum graveolens ex Africa delatum instillatur in vestras patinas. Alveoli sunt patinæ viles, & ligneæ, instar alvei excavatæ, quales in illis conviviis dabantur aliquando parasitis, cùm domini uterentur vasis, lancibusque pretiosis.

Can-

Canna Micipsarum prora subvexit acuta;
Propter quod Romæ cum Bocchare nemo lavatur;
Quod tutos etiam facit à serpentibus atris.
Mullus erit domino, quē misit Corsica, vel quem
Taurominitanæ rupes, quando omne peractū est,
Et jam defecit nostrum mare, dum gula sævit,
Retibus assiduis penitùs scrutante macello
Proxima, nec patitur Tyrrhenū crescere piscem.
Instruit ergo focum provincia: sumitur illinc,
Quod captator emat Lenas, Aurelia vendat.
Virroni muræna datur, quæ maxima venit
Gurgite de Siculo: nam dum se continet Auster,

Canna. Doliolum è cannis factum, vel etiam navicula.

Micipsarum. Idest, Afrorum, quos hoc in loco sic appellat à Micipsa, qui Rex fuit Africæ, Masinissæ filius.

Prora, &c. Hoc est, in navi: prora est pars navis anterior.

Propter quod, &c Idest, quod oleum adeò tetri odoris est, ut idcircò nemo Romæ lavari velit cum Mauris, & Numidis, qui vulgò solent illud oleum redolere. Per Boccharem enim intelligit Maurum, vel Afrum quemlibet, à Bocchare, Maurorum Rege veteri, ut tradit Livius lib. 29.

Quod, &c. Hoc est, cujus olei tetrum odorem non ferunt serpentes ipsi, atque adeò fugiunt, & tutum relinquunt hominem, qui hoc oleum oleat.

Corsica. Insula in mari Tyrrheno, propè Sardyniam.

Taurominitanæ, &c. Rupes juxta Taurominium, oppidum Siciliæ. *Taormini*

Quando, &c. Siquidem mare Italiæ vicinum, dum tantopere gulæ inservitur, jam piscibus exhaustum est, quos parvulos, antequam crescant, in macellum deferunt.

Retibus, &c. Hoc est, piscatoribus, mare nostrum assiduè perlustrantibus, & scrutantibus, ut possint pisces in macellum afferre.

Proxima. Maria Italiæ proxima.

Instruit, &c. Sensus est: sunt igitur advehendi ex remotis provinciis pisces, qui Romæ in foco nostro, & culina coquantur, & mensæ apponantur.

Captator, &c. Qui hereditates viduarum, & orborum captat, illis dando ejusmodi pisces care emptos.

Aurelia. Mulier, quæ pisces vendit, vel, mulier locuples, & orba liberis, quæ datos ab hæredipetis pisces vendit, tantam eorum copiam habet.

Nam dum, &c. Sensus est: nam si paululùm quiescant

ven-

Dum sedet, & siccat madidus in carcere pennas,
Contemnunt mediã temeraria lina Charybdim.
Vos anguilla manet, longæ cognata colubræ,
Aut glacie aspersus maculis Tiberinus, & ipse
Vernula riparum, pinguis torrente cloaca,
Et solitus mediæ cryptam penetrare Suburræ.
Ipsi pauca velim, facilem si præbeat aurem:
Nemo petit, modicis, quæ mittebantur amicis
A Seneca, quæ Piso bonus, quæ Cotta solebat
Largiri: namque & titulis, & fascibus olim

venti, non verentur piscatores in mari Siculo piscati, licet periculosissimo.

Se continet. In suo carcere; hoc est, mare non agitat.

Carcere. Æolio antro, in quo dicũtur includi venti ab Æolo, ipsorum Rege.

Lina. Hoc est, piscatores cum linis, & retibus suis.

Charybdim. Vorticem periculosissimum in freto interjecto inter Siciliam, & Italiam.

Vos anguilla, &c. Dum Virroni datur muræna, vobis, parasitis servatur, seu, vos expectat anguilla, &c.

Cognata. Ejusdem formæ, & generis fere cum colubris.

Tiberinus. Lupum indicat, marinum piscem, qui in Tiberi capiebatur, eratque vilioris pretii, si maculosam haberet pellem. Dicitur glacie aspersus maculis, idest, propter hyemen, & glaciem maculosus, quia maculæ, quibus ejus pellis aspergitur, per hyemem maximè apparent.

Vernula, &c. Alumnus riparũ, natus in ripis Tiberinis, in iisque enutritus.

Pinguis, &c. Qui pastus sit, & saginatus sordibus, quæ per cloacas in Tiberim devolvuntur cum impetu instar torrentis. Erant autem cloacæ meatus quidam subterranei, per quos sordes ex Urbe tota in Tiberim deferebantur.

Cryptam. Cavernas, & fornices subterraneos, per quos sordes è Suburra, Urbis vico, defluunt in Tiberim.

Ipsi, &c. Virroni, patrono diviti, & avaro dicere velim pauca.

Nemo, &c. Nemo petit à te egregia illa munera, quę pauperibus amicis mittebat Seneca, &c.

Seneca, &c. L. Annæus Seneca, Neronis preceptor, optimus vir fuit, & in amicos munificentissimus. C. Piso Calpurnius, & Aurelius Cotta, viri pariter liberales erga amicos; hic sub Nerone, ille sub Claudio vixit.

Namque, &c. Nam munificentiã, & liberalitatem exercere, apud majores nostros majori in gloria ponebatur, quàm tituli, quæ sunt insignia nobilitatis, abun-

Major habebatur donandi gloria: solùm
Poscimus, ut cœnes civiliter: hoc face, & esto,
Esto, ut nunc multi, dives tibi, pauper amicis.
Anseris ante ipsum magni jecur, anseribus par
Altilis, & flavi dignus ferro Meleagri
Fumat aper: post hunc raduntur tubera, si ver
Tunc erit, & facient optata tonitrua cœnas
Majores. Tibi habe frumentum, Aledius inquit,
O Libye, disjunge boves, dum tubera mittas.

abundare, aut magistratus, & dignitates adipisci. Fasces erant insignia magistratuum: duodecim ante Consulem à totidem lictoribus ferebantur, sex ante Prætorem. Vide Sat. 8.

Poscimus, &c. Petimus, ut honestè accipias tuos clientes, & patiaris illos iisdem tecum uti cibis, (ut decet ejusdem civitatis cives) non aliis, & separatis.

Hoc face, &c. Fac istud, & permittam tibi, ut in cęteris rebus, v. g. in muneribus mittendis, ita te cum amicis geras, quasi si pauper esses; tibi tuas soli divitias serves. Face dicebāt prisci Romani pro fac.

Anseris, &c. Exta anseris apud Romanos in deliciis erant. Ante Virronem igitur, inquit Poeta, apponitur jecur anseris, aut aliud ejusmodi exquisitum ferculum.

Altilis. Avis aliqua domestica, quæ ad saginam alitur, v. g. gallina.

Dignus ferro, &c. Dignus, qui ab aliquo Meleagro interfectus fuisset; hoc est, non minor illo, quem occidit Meleager. Is erat Oenei filius; aper autem, quem interfecit, a Diana, ægrè ferente, quòd ab Oeneo contempta in sacrificiis fuisset, immissus fuerat, & omnem late regionem vastabat. *Ovid. lib. 8. Metam.*

Post hunc, &c. Idest, postquam appositus fuit ille aper.

Raduntur. Purgantur, abraso levi cortice.

Tubera. Quidam fungi, qui verno tempore sunt teneriores.

Optata. Lurconibus optata: tonitruis enim tubera maximè juvantur, ut nascantur, & crescant. *Plin. lib. 19.*

Facient cœnas majores. Idest, augebunt ferculorum numerum, & dignitatem, sunt enim tubera, dapes exquisitæ, & in pretio.

Aledius. Gulosus quidam, & helluo.

O Libye, &c. O Africa, serva tibi tuum frumentum; imò ne junge boves aratro, ne colas terram ad fruges, modò mittas tubera: sunt enim laudatissima Africæ tubera.

Structorem. Eum, qui curam habet mensæ struendæ, & carnium peritè secandarum.

Ne

Structorem intereà, ne qua indignatio desit,
Saltantem spectes, & chironomonta volanti
Cultello, donec peragat dictata magistri
Omnia: nec minimo sanè discrimine refert,
Quo gestu lepores, & quo gallina secetur.
Duceris planta, velut ictus ab Hercule Cacus,
Et ponere foris, si quid tentaveris unquam
Hiscere, tamquam habeas tria nomina. Quando propinat
Virro tibi, sumitque tuis contacta labellis
Pocula? quis vestrûm temerarius usque adeò, quis
Perditus, ut dicat regi; Bibe? Plurima sunt, quæ
Non audent homines pertusa dicere læna.

Ne qua, &c. Ne qua indignationis causa tibi desit.

Saltantem. Expedite se moventem in omnem partem, ut scitè, ac decorè apponat fercula, scindat cibos.

Chironomonta. Vox Greca est: significat eum propriè, qui manu aliquid dividit; vel, qui leges quasdam manibus dat, ut aptè moveantur: qui certo gestu utitur, nempe ad secandas carnes

Volanti Celeriter, ac scitè ducto in omnem partem.

Donec, &c. Donec omnia exequatur præcepta, quæ à magistro hujus artis didicit. Erant enim Romæ, qui docerent artem ciborum peritè secandorum.

Nec minimo, &c. Ironicè: non parum interest scilicet, quo gestu lepores, & gallinæ secentur.

Duceris planta, &c. Sensus est: aliud tibi imminet periculum: nempe, si fortè aliquid audeas inter cœnandum loqui, illicò arripieris per pedes, & protraheris foras, ut olim Cacus ab Hercule.

Cacus. Vulcani filius fuit, qui cùm Herculis per Italiam transeuntis boves furto subduxisset, ab eo interfectus fuit, & pedibus ex antro protractus. *Virg. lib. 8. Æneid.*

Hiscere. Loqui, vel conqueri, & expostulare, quòd ita malè tracteris.

Tanquam, &c. Hoc est, tanquam sis nobilis, & liber. Tria nomina sunt, prænomen, nomen, cognomen, qualia sunt, Marcus Tullius Cicero; quæ nemo nisi ingenuus ferebat: servi enim uno tantùm utebantur, ut Dromo, Davus.

Propinat. Propinare est poculum delibare, & prælibere, ac deinde alteri bibendum tradere.

Regi. Patrono diviti.

Homines pertusa læna. Pauperes, quibus detrita & perforata vestis: læna crassioris est vestis genus.

Quadringenta. 400 sestertia, quæ summa censum Eque-

Quadraginta tibi, si quis Deus, aut similis Diis,
Et melior fatis, donaret, homuncio, quantus
Ex nihilo fieres! quantus Virronis amicus!
Da Trebio, pone ad Trebium; vis, frater, ab illis
Ilibus? O nummi, vobis hunc præstat honorem;
Vos estis fratres. Dominus tamen, & domini rex
Si vis tu fieri, nullus tibi parvulus aula
Luserit Æneas: nec filia dulcior illo:
Jucundum, & carum sterilis facit uxor amicum.
Sed tua nunc Mycale pariat licèt, & pueros tres
In gremium patris fundat simul; ipse loquaci
Gaudebit nido: viridem thoraca jubebit
Afferri, minimasque nuces, assemque rogatum,
Ad mensam quoque parasitus venerit infans.
Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,

questrem conficiebat. Vide Sat. 1.

Similis Diis. Beneficus: dare enim, divinum est.

Melior fatis. Idest, tibi magis propitius, quàm fata ipsa, quàm Dii, qui te pauperem esse voluerunt.

Homuncio. Tu priùs homuncio, & despectus cliens, quanto mox fores in pretio apud ipsum Virronem?

Da Trebio &c. Virro imperabit structori mensæ, his verbis: Da trebio, &c.

Vis, frater, &c. Frater mi, dicet Virro, vis aliquid dari tibi de ilibus, idest, intestinis, verb. gr. anseris, &c.

Dominus tamen &c. At si vis non tantùm esse amicus Virronis, sed quasi dominus ejusque rex, qui tibi nunc dominatur, & imperat, debes filiis carere: tunc enim illis eris carissimus; quia inhiabit hæreditati tuæ, ideoque te blandissime accipiet.

Nullus &c. Si sis orbus, nullus tibi filius sit. Alludit ad hæc Didonis verba: *Si quis mihi parvulus aula luderet Æneas.* lib. 4. Æneid.

Illo: Tibi carior, quàm filius; vel, tibi carior ipso Virrone.

Sed tua nunc &c. At nunc si te uxor tua tribus filiis auxerit; nihil aliud iis dabit, nisi nuces, assem, & alia id genus munuscula; te, illosque contemnet.

Mycale. Uxor tua.

Ipse loquaci &c. Garrulis, & loquacibus pueris delectari videbitur. Metaphora ducta est ab aviculis in nido garrulis.

Viridem thoraca. Quem det uni è tuis filiis.

Rogatum. A puero rogatum ad poma, nuces, & nugas emendas.

Vilibus. Vobis parasitis, clientibus.

Ancipites. Periculosi, & lethales, quibus non bene creditur; vel, non probè selecti, & purgati.

Bo-

Boletus domino, sed qualem Claudius edit,
Ante illum uxoris, post quem nil ampliùs edit.
Virro sibi, & reliquis Virronibus illa jubebit
Poma dari, quorum solo pascaris odore:
Qualia perpetuus Phæacum autumnus habebat:
Credere quæ possis surrepta sororibus Afris.
Tu scabie frueris mali, quod in aggere rodit,
Qui tegitur parma, & galea, metuensque flagelli,
Discit ab hirsuto jaculum torquere Capella.
Forsitan impensæ Virronem parcere credas:

Boletus &c. Idest, fungus delicatus Virroni apponetur: boleti enim sunt fungi vulgò innocui, & exquisiti.

Sed qualē Claudius &c. Dabuntur Virroni boleti exquisiti, quales comedere solebat Claudius, quintus Romanorum Imperator, qui boletis maximè delectabatur, antequam illum sumeret, quem ipsi uxor Agrippina veneno infectum dedit: quo sumpto nihil amplius manducavit, quia statim veneno est interfectus, quod in illo boleto ultimo hauserat.

Virronibus. Sui similibus divitibus, suis affinibus, & propinquis.

Qualia &c. Idest, qualia nascebantur in perpetuò virentibus, & fructiferis Phæacum hortis. Habitabant Phæaces in Insula Corcyra, nunc, *Corfù*, prope Epirum in Jonio mari. Illorum Rex fuit Alcinous, quem Homerus ait habuisse hortos perpetuis, & pulcherrimis fructibus virentes; ita ut pirus piro succederet, & malus malo.

Perpetuus &c. Perpetuum dicit autumnum Phæacum, quia arbores apud ipsos omni tempore ferebant fructus, cùm in his nostris regionibus autumno tantùm ferre soleant.

Sororibus &c. Tribus Atlantis filiabus, quæ Hesperides vulgò appellantur. Illis hortus erat, in quo poma aurea nascebantur, hortum draco pervigil custodiebat; quo interfecto, Hercules aurea mala subripuit, & in Græciam intulit.

Scabie &c. Scabioso, & modici saporis pomo.

Aggere. Castris. Agger propriè est humus aggesta, quæ castris prætenditur: vallum.

Qui &c. Tyro aliquis, qui bellum docetur, & vilibus cibis, pomis scabiosis, &c. vescitur.

Parma. Parma est scutum brevius, quo utebantur milites recens in militiam adscripti, præsertim pedites.

Capella. Nomen est Centurionis, à quo exercebantur tyrones, & vapulabant flagellis, ac loris, nisi jaculo scopum attingerent. Hirsutus appellatur Centurio, hoc est, pilosus, intonsus, severus.

Hoc agit, ut doleas: nam quæ comœdia, mimus
Quis melior plorante gula? Ergo omnia fiunt,
Si nescis, ut per lacrymas effundere bilem
Cogaris, pressoque diu stridere molari,
Tu tibi liber homo, & regis conviva videris:
Captum te nidore suæ putat ille culinæ:
Nec malè conjectat; quis enim tam nudus, ut illum
Bis ferat, Hetruscum puero si contigit aurum,
Vel nodus tantùm, & signum de paupere loro?
Spes bene cœnandi vos decipit. Ecce dabit jam
Semesum leporem, atq; aliquid de clunibus apri.
Ad nos jam veniet minor altilis: inde parato,
Intactoque omnes, & stricto pane tacetis.
Ille sapit, qui te sic utitur: omnia ferre

Hoc agit &c. Sensus est: falleris, si putas id facere Virronem, ut impensæ parcat: hoc ejus consilium, ea mens est, ut tibi stomachum moveat.

Nam quæ &c. Nam quæ comœdia est ridicula magis, & apta ad movendum risum, quam parasitus famelicus, & iratus.

Mimus: Genus erat comœdiæ solutioris, quæ tota ferè constabat gestibus, plerumque ridiculis.

Effundere bilem. Evomere bilem, & quasi explere lacrymando, dentibusq; compressis frēdere, ut irati solēt.

Molari. Molares sunt dentes ultimi, & aliis crassiores, sic dicti, quia molunt cibum, atque frangunt.

Nidore. Nidor est fumus odoratus, quem cibi cocti expirant.

Quis enim &c. Quis enim tam pauper, ac miser est, modò sit ingenuus, qui bis ferre possit se ita illudi ab ejusmodi Virrone?

Hetruscum &c. Si contigit, si accidit, ut puer olim gestaverit aurum Hetruscum; hoc est, si natus est liber, & ingenuus. Est enim Hetruscum aurum, bulla aurea pueris ingenuis collo appendi solita; qui mos ab Hetruscis fluxit; hæc autem bulla vel rotunda erat, vel, in morē cordis acuminata.

Vel nodus &c. Libertinorum pueri coriaceam bullam, vel, nodum è loro gerebant in signum libertatis, ut auream bullam nobiles.

Ecce dabit &c. Fingit loquentes parasitos: En dabit nobis, &c.

Minor altilis. Nam majores Virro comedit.

Inde &c. Sensus est: ob eam rem, quòd speretis scilicet vos aliquid ex iis habituros, panem non manducatis, sed illum stringentes, idest, carpentes, & leviter delibantes, tacetis, & expectatis taciti illas dapes, sed frustra.

Ille sapit &c. Sanè Virro homo

Si potes, & debes: pulsandum vertice raso
Præbebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati, his epulis, & tali dignus amico.

homo vafer, & ingeniosus est, qui te sic tractat.

Omnia &c. Si potes illa omnia tam indigna ferre, æquum est, ut illa patiaris, dignus es, qui illa feras.

Pulsãdum &c. Brevi fies illius mancipium: omnibus contumeliis, & plagis te excipiet: tonderi tibi, ac radi jubebit caput, illudque feriet; flagris quoque malè mulctabit.

Quandoque. Aliquando.

SATYRA VI.

Vt amicum ab uxore ducenda deterreat, varia commemorat mulierum vitia.

CRedo pudicitiam, Saturno rege, moratam
In terris, visamque diu, cùm frigida parvas
Præberet spelunca domos; ignemque, Laremque,
Et pecus, & dominos communi clauderet umbra:
Sylvestrem montana torum cùm sterneret uxor
Frondibus, & culmo, vicinarumque ferarum
Pellibus: haud similis tibi, Cynthia, nec tibi, cujus
Turbavit nitidos extinctus passer ocellos:
Sed potanda ferens infantibus ubera magnis,
Et sæpè horridior glandem ructante marito.

Saturno &c Sæculo illo aureo, ac simplici, quo Saturnus à Jove cœlo pulsus regnavit in Italia.

Cùm frigida &c. Hoc est, quando homines in speluncis habitabant, unà cum gregibus, & armentis suis.

Laremque. Aras, & Deos domesticos: Larem enim vocabant Deum unicuique domui peculiarem, ejusque quasi custodem, & patronũ.

Communi &c. Eadẽ subterranea, & obscura spelunca.

Sylvestrem &c. Cùm mulier agrestis, & rustica lectum sterneret, ac vestiret pellibus ferarũ, culmo &c.

Cynthia. Mulier, quam Propertius suis versibus celebravit.

Cujus &c. Lesbia, à Catullo poeta celebrata, quæ mortuum passerculum graviter flevit.

Potanda. Sugenda.

Horridior. Neglectior, & incomptior.

Glandem &c. Marito, qui sa-

Quippe aliter tunc orbe novo, cæloque recenti,
Vivebant homines, qui rupto robore nati,
Compositive luto, nullos habuere parentes.
Multa pudicitiæ veteris vestigia forsan,
Aut aliqua extiterint, & sub Jove, sed Jove nondum
Barbato; nondum Græcis jurare paratis
Per caput alterius, cùm furem nemo timeret
Caulibus, aut pomis, & aperto viveret horto.
Paulatim deinde ad superos Astræa recessit,
Hac comite, atque duæ pariter fugere sorores.
Antiquum, & vetus est, alienum, Posthume, lectum
Concutere, atque sacri genium contemnere fulcri.
Omne aliud crimen mox ferrea protulit ætas:

saturatus glande ructabat: glans enim hominum tunc cibus erat.

Recenti. Recens extructo, & ab elementis nuper distincto.

Qui rupto, &c. Finxerunt poetæ aliquos primorum mortalium natos esse ex truncis arborum; vel, quia tunc erant homines feri, & agrestes, vel, quia in arborum truncis noctem exigebant.

Compositive, &c. A Prometheo ex argilla effecti.

Sub Jove. Etiam ætate argenteà, quæ cœpit, regnante Jove.

Nondum. Nondum adulto, & adultero: tunc enim ejus exempla multùm valuerunt ad pudicitiam, aliasque virtutes profligandas, & omnia in deterius abierunt.

Nondum Græcis, &c. Antequam homines (maximè Græci, ob perfidiam noti) jurare, & pejerare cœpissent.

Alterius. Solemne erat jurare per suum, per filiorum, aut amicorum caput.

Aperto. Incustodito, sepimentis haud munito.

Astræa Jovis, & Themidis filia, justitiæ præses.

Hac comite. Pudicitia comite, fugit Astræa.

Duæ, &c. Simul fugerunt ad Superos sorores illæ duæ, nempè Pudicitia, & Justitia, sive, Astræa. Aliqui duas illas sorores volunt esse fidem, & pudicitiam, quæ Astræa comite fugerint.

Vetus, &c. Non est novum crimen, alienum torum temerare.

Genium. Deum præsidem fulcri, id est, lecti maritalis. Fulcra sunt ligna, quibus fulcitur, & sustinetur lectus, quos pedes vulgò dicunt. De genio dictum Sat. 4.

Omne aliud, &c. Post adulteria, cætera vitia in mundum statim irruperũt.

Viderunt primos argentea sæcula mœchos,
Conventum tamen, & pactum, & sponsalia nostrâ
Tempestate paras? jamque à tonsore magistro
Pecteris, & digito pignus fortasse dedisti?
Certè sanus eras. Uxorem, Posthume, ducis?
Dic qua Tysiphone, quibus exagitare colubris?
Ferre potes dominam salvis tot testibus ullam?
Cùm pateant altæ, caligantesque fenestræ?
Cùm tibi vicinum se præbeat Æmilius pons?
Sed placet Ulfidio lex Julia, tollere dulcem

Conventum, &c. Sensus est: vis uxorem ducere? jam paras conventum? idest, vis congregare amicos, ut intersint sponsalibus, &c.

Pactum. Nuptiarum contractum: pactionem, & conditiones.

A tonsore, &c. Peritum adhibet tonsorem, à quo pectaris, ut nitidior placeas uxori futuræ.

Pignus. Hoc est, annulum, quem sponsus dabat puellæ, antequam illam duceret, ut fidei, & amoris pignus.

Sanus eras. Hoc est: olim sapuisti, sed jam planè desipis: vel, cum interrogatione, an sapiebas, quando de uxore ducenda cogitasti? vel, an sanus es? ita ut imperfectū pro præsenti positū sit. *Vide Horatium nostrū* ode 31. l. 1

Dic qua, &c Age; quibus furiis, qua vesania agitaris? Tysiphone enim una est ex tribus Furiis Inferorum, ad tormenta scelera-arū mentium, & insaniam illis incutiendam destinatis. Finxerunt poetæ serpentes illis esse pro crinibus.

Ferre potes, &c. Idest: potes cogitare de uxore ducenda? Satyricè uxorem dominam appellat, quasi quæ marito imperet.

Salvis, &c. Dum restant tot funes, quibus te possis suspèndere; quasi hoc minùs miserum sit, quàm uxorem ducere.

Caligantesque, &c. Quæ, propter altitudinem, caliginem oculis obducant.

Fenestræ. Unde scilicet te præcipitare possis.

Cùm tibi, &c. Cùm propè sit pons Æmilius, unde te in aquam deiicias. Erat illè pons in via Flaminia, non longè ab Urbe, sic dictus, quia ab Æmilio Scauro conditus fuerat. Dicitur etiam Pons Milvius, nunc *Ponte Molle.*

Sed placet. Sed alicui, v.g. Ursidio, placet lex ab Augusto lata de cælibus: vult uxorem ducere. Augustus, ut Urbem bellis civilibus exhaustam suppleret, matrimonia frequētari jussit pena constituta, si quis cęlebs ętatem duceret.

Tollere. Suscipere, educare.

Cari-

Cogitat hæredem, cariturus turture magno,
Mullorumque jubis, & captatore macello.
Quid fieri non posse putes, si jungitur ulla
Ursidio? si mœchorum notissimus olim
Stulta maritali jam porrigit ora capistro?
Quid quòd, & antiquis uxor de moribus illi
Quæritur? ò medici, mediam pertundite venam
Delicias hominis! Tarpejum limen adora
Pronus, & auratam Junoni cæde juvencam,
Si tibi contigerit capitis matrona pudici.
Paucæ adeò Cereris vittas contingere dignæ,
Quarum non timeat pater oscula. Necte coronam
Postibus, & densos per limina tende corymbos

Cariturus. Licèt cariturus sit muneribus, quæ illi anteà dabantur ab iis, qui cùm eum viderent cœlibem, & sine liberis, captabant hæreditatem ipsius, illi turtures, mullos, & alia è macello obsonia mittebant.

Jubis. Isti pisces pilos ab ore prominentes habent, instar barbæ, & jubarum.

Captatore. In quo hæreditatum captatores multa emunt.

Jungitur. Nubit.

Capistro. Capistrum est lignum, aut lorum, quod equorum rhedam, aut aratrum trahentium collo inseritur: hìc matrimonii jugum significat, & vinculum.

Antiquis. Probis, severis.

O medici, &c. Certè ille insanit; & illi, ut amentibus, & phreneticis fieri solet, media in fronte, aut brachio, vena est aperienda.

Pertundite. Aperite, perforate.

Delicias, &c. Næ hominem lepidum, ac delicatum, qui uxorem probam, & antiquis illis similem à se repertum iri, sibi uni servatam, credat.

Tarpejum, &c. Gratias age sanè Jovi Capitolino, cujus templum est in arce Tarpeja.

Auratam. Pictis auro cornibus ornatam.

Cereris, &c. Idest, quæ possent esse Cereris Sacerdotes: illæ enim vittis, seu tæniolis redimitum habebant caput. Portò mysteria Cereris apud Græcos erant sanctissima, & celeberrima; nec fœminis licebat iis initiari, nisi quę probarentur esse castissimæ.

Quarum. Quia suspicatur esse parùm pudicas.

Coronam. Qui ducebant uxores, foribus appendebant corollas è lauro, hedera, floribus. Corymbi sunt hederarum baccæ.

Ut

Ut testudineo tibi, Lentule, conopeo
Nobilis Euryalum mirmillonem exprimat infans.
Nupta Senatori comitata est Hippia Ludium
Ad Pharon, & Nilum, famosaque mœnia Lagi,
Prodigia, & mores Urbis damnante Canopo.
Immemor illa domus, & conjugis, atque sororis,
Nil patriæ indulsit; plorantesque improba natos,
Utque magis stupeas, ludos, Paridéque reliquit.
Sed quamquam in magnis opibus, plumaque paterna,
Et segmentatis dormisset parvula cunis,
Contempsit pelagus; famam contempserat olim,

Ut, *&c.* Uxor tua adultera pariet tibi filium ignobilem, & similem patri suo Euryalo mirmilloni cuidam, adultero. Mirmillo, gladiatorum genus. Lege Sat. 2.

Conopeo. Conopeum est velum, quo lectus involvitur. Pro cubili toto ponitur.

Testudineo. Ornato sectis testudinum putaminibus.

Lentule. Pro quolibet Romano prænobili accipitur id nominis hoc in loco.

Nupta, *&c.* Quàm paucæ mulieres pudicæ reperiantur, ostendit exemplo Hippiæ, quæ cùm esset nupta Senatori, nempè Fabricio Vejentoni, virum tamen deseruit, ut Sergium nescio quem athletam, & gladiatorem sequeretur usque in Ægyptum. Gladiatores vocabantur Ludij, à ludo gladiatorio, imò etiam *Ludi*: unde legitur à quibusdam *Ludum*, idest, gladiatorem, lanistam. Si legas Ludium, tunc postrema hujus vocis syllaba elidetur propter positam in sequenti versu vocalem, *ad Pharon*. Aut legenda erit eadem dictio, tamquam esset disyllaba. *Ludium*. Vide quæ diximus lib. 15. Metaph. n. 14.

Pharon. Est insula Ægypti contra Alexandriam, in ea turris excelsa, in qua erat fax, quæ navigantibus portum ostenderet. Lagus fuit Ægypti Rex, primus post Alexandri M. obitum, cognomento Ptolemæus, à quo cæteri deinde Reges Ægypti appellati sunt Ptolemæi.

Prodigia Immania scelera.

Canopo. Urbe Ægypti primaria.

Urbis. Romæ. Ægyptus ipsa Romanas libidines damnavit.

Ludos. Circenses, & alios, quibus maximè Romani delectabantur. Paris erat Histrio famosus, de quo in Sat. 7.

Segmentatis. Segmenta sunt fasciolæ, seu tæniolæ, auro, & serico intextæ, quæ assuuntur extremis vestium

Cujus apud molles minima est jactura cathedras.
Tyrrhenos igitur fluctus, latèque sonantem
Pertulit Jonium constanti pectore, quamvis
Mutandum toties esset mare. Justa pericli
Si ratio est, & honesta, timent, pavidoque gelantur
Pectore, nec tremulis possunt insistere plantis:
Fortem animum præstant rebus, quas turpiter
audent.
Si jubeat conjux, durum est conscendere navim;
Tunc sentina gravis, tunc summus vertitur aer.
Quæ mechū sequitur, stomacho valet. Illa maritū
Convomit: hæc inter nautas & prandet, & errat
Per puppim, & duros gaudet tractare rudentes.
Qua tamen exarsit forma? qua capta juventa est
Hippia? quid vidit, propter quod Ludia dici
Sustinuit? Nam Sergiolus jam radere guttur
Cœperat, & secto requiem sperare lacerto.

stium oris, ornatus causa, *des passemenis*.

Cathedras. Fœminas, quæ in mollibus sedent cathedris, idest, lecticis, & sellis gestatoriis, molli pluma, & tomento fartis vectantur.

Jonium. Hoc mare est inter Siciliam, & Cretam

Justa, &c. Si sit aliqua honesta causa periculosæ navigationis suscipiendæ, tunc timent: si flagitium obeundum, audent.

Fortem, &c. Forti animo sunt in rebus turpissimis.

Sentina. Navis fundus, quò sordes confluunt, unde gravis odor.

Tunc summus, &c. Tunc illa corripitur vertigine, & aerem susque, deque verti, ac volvi queritur.

Quæ, &c. At illa, quæ navim conscendit, ut adulterum sequatur, stomacho adversùs nauseam firmo, & valenti est, altera, quæ navim conscendit, ut sequatur maritum, vomere non cessat, eumque fœdo vomitu conspergit.

Hæc inter, &c. Altera, quæ est adulteri comes, vagatur per puppim alacris, & nauseæ expers, &c.

Qua tamen, &c. Quid amavit in Sergio Hippia? an juventutem, an formam? minimè.

Ludia. Uxor Ludii, seu gladiatoris.

Sergiolus. Vox diminuta, pro, *Sergius*, ut blandientes, & irridentes solent. Nomen est istius gladiatoris ab Hippia tantopere amati.

Radere, &c. Jam erat ætate provectior, cùm nimirum in ipso gutture barba fruticat.

Et secto, &c. Cœperat spe-

Præterea multa in facie deformia, sicut
Attritus galea, mediisque in naribus ingens
Gibbus, & acre malum semper stillantis ocelli:
Sed gladiator erat; facit hoc illos Hyacinthos:
Hoc pueris, patriæque, hoc prætulit illa sorori,
Atque viro: ferrum est, quod amant. Hic
Sergius idem.
Accepta rude cæpisset Vejento videri.
Quid privata domus: quid fecerit Hippia, cura?
Respice rivales Divorum: Claudius, audi,
Quæ tulerit. Dormire virum cùm senserat uxor,
Ausa palatino tegetem præferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos,
Linquebat, comite ancilla non ampliùs una.
Optima sed quare Cesennia, teste marito?

sperare otium, & vacationem à gladiatorio munere, quia brachium ipsi ab adversario gladiatore, cum quo pugnabat, sectum, & fractum fuerat. Gladiatores, membro aliquo capti, aut truncati, facilè rudem, & missionem impetrabant.

Sicut, &c. Adeò ut haberet frontem galea attritam, deformis esset in naso tumor, ex aliquo vulnere olim accepto, esset etiam lippus.

Facit hoc. Ars hæc, & nomen gladiatorium, facit illos gladiatores, licèt deformes, tamen formosos, instar Hyacinthi, qui olim ab Apolline adamatus, & per imprudentiam interfectus, mutatus ab eodem fuit in florem cognominem. Vide Ovid. lib. Metamorph. 13.

Rude. Bacillo, seu virgâ, sive ut quidam volunt, gladio ligneo, quo donabantur gladiatores emeriti. Sententia est: si artem gladiatoriam non exerceret ampliùs Sergius, tam fuisset invisus Hippię, quàm suus ipse maritus Vejento, quem deseruit, ut Sergium sequeretur.

Quid, &c. Miraris hoc flagitium à privata, & obscura muliere admissum? Cæsares ipsos aspice, illos Deorum velut æmulos: audi quid Claudio Imperatori contigerit.

Dormire, &c. Ordo est: Uxor Claudii linquebat virum, cùm dormire illum senserat, ac lupanar petebat.

Uxor. Messalina.

Palatino. Imperatorio.

Tegetem. Vile stragulum, lodicem, infamem lectum.

Cucullos. Cucullus, plebejum capitis tegmen: sæpe nauticum, à vertice in humeros defluens.

Sed quare, &c. Cur tamen, cùm Cesennia non ma-

Bis quingenta dedit, tanti vocat ille pudicam.
Nec Veneris pharetris macer est, aut lampade
fervet;
Inde faces ardent, veniunt à dote sagittæ.
Libertas emitur: coram licèt innuat, atque
Rescribat, vidua est locuples, quæ nupsit avaro.
Cur desiderio Bibulæ Sertorius ardet?
Si verum excutias; facies, non uxor, amatur.
Tres rugæ subeant, & se cutis arida laxet;
Fiant obscuri dentes, oculique minores;
Collige sarcinulas, dicet libertus, & exi;
Jam gravis es nobis, & sæpe emungeris, exi
Ocyùs, & propera; veniet sicco altera naso.
Intereà viget, & regnat, poscitque maritum
Pastores, & ovem Canusinam, ulmosque Falernas;

magis pudica sit, quam Hipia, & aliæ mulieres, proba tamen, & casta dicitur ab ipso suo marito? Nempe, quia dedit illa in dotem, mille sestertia, id est, centum millia librarum Turonicarum, seu nummorum Francicorum, & nummos Italicos scutatos quingentos supra viginti duo millia. Hoc pretio captus ejus maritus, hac mercede illam pudicam vocat, amatque; non vero amore, quem Veneris, aut Hymenæi fax accenderit, sed quem pecunia, dosque inflammaverit.

Sagittæ. Cupidinis. Deos ingens amoris causa.

Libertas. Illa ingenti dote emit Cesennia libertatem agendi, quidquid libuerit: ac licèt innuat adultero, & coram marito illi blandiatur, rescribat ipsi, tamen mulier locuples, si avaro alicui nupserit, æquè est libera, ac sui juris, ac si verè esset vidua, maritumque non haberet.

Laxet. Quia deficiente succo, & sanguine, cutis marcida in rugas contrahitur, decrescunt oculi, &c.

Libertus. Aderit continuò aliquis servus, aut libertus à Sertorio missus, & dicet Bibulæ, Albi, reculas tuas, & frivola collige. Est formula sumpta à re militari, ad significandum divortium, cujus usitata hæc apud Romanos erat formula, *Res tibi tuas habe.*

Emungeris. Muccosi enim sunt senes, & illis è naso stiria frequens fluit.

Intereà. Interim dum est formosa Bibula, marito imperitat, petit ab eo pastores, greges, vites, servos, &c.

Canusinam. Ad Canusium, Apuliæ oppidum erant pascua lætissima, & boves egregiæ.

Ulmos, &c. Vites in agro

Quantulum in hoc? pueros omnes, ergastula tota,
Quódque domi non est, quod habet vicinus, ematur,
Mense quidem brumæ, cùm jam mercator Jason
Clausus, & armatis obstat casa candida nautis,
Grandia tolluntur crystallina, maxima rursus
Myrrhina, deinde adámas notissimus, & Berenices
In digito factus pretiosior: hunc dedit olim
Barbarus; incestæ dedit hunc Agrippa sorori,

Falerno: solent ulmis applicari vites, ut iis nitantur.

Quantulum, &c. Hoc parum est.

Ergastula. Propriè sunt loca, in quibus mancipia opus faciebant, ubi claudebantur, & vinciebantur, ne fugerent.

Mense: Ipso Decembri mense, cùm clausæ sunt porticus septorum, ubi Jason pictus est; & cùm ipsæ septorum domunculæ plenæ sunt candidatis, honores petentibus; quo tempore mercatorum tabernæ in Argonautarū porticu clausæ sunt; tamen inde auferuntur, jubente importuna muliere, & viro emuntur vasa crystallina, myrrhina, adamantes.

Jason. In Septis (qui locus erat in campo Martio, tabulatis instar septorum clausus) fiebant comitia, maximè Decembri mense, ad eligendos sequentis anni Consules. In iisdem solebant, alio anni tempore, mercatores vendere pretiosas merces, & exoticas omnis generis, habebantque ibi suas tabernas, & casas; quæ, dum haberentur comitia, vix patebant. Porrò in Septis variæ erant viæ, & porticus, in primis una celeberrima, in qua Jason cum Argonautis pictus erat: quem ideò vocat mercatorem, quòd videretur mercatoribus hic præesse; & clausum eum esse dicit, cùm hæc porticus clausa esset.

Candida. Casæ mercatorum nivibus opertæ.

Obstat nautis. Argonautas, seu mercatores, in Argonautarum porticu habitantes, impedit candidatorum turba, solemnitas comitiorum, quominus merces suas publice vendent, aperiant tabernas.

Myrrhina. Vel, murrhina, erant pocula magni pretii, è lapide quodam coloris, & odoris eximii, ex Oriente advecto, & Murrha dicto.

Berenices. Ejus frater fuit Agrippa, Herodis nepos, qui cum ea parùm pudicè vivere dicebatur. Ambo venerunt Romam, itaque ista gemma Romæ haberi, & vendi potuit. Erat autem ille adamas præstanti for-

Obſervant ubi feſta mero pede ſabbata Reges,
Et vetus indulget ſenibus clementia porcis.
Nullane de tantis gregibus tibi digna videtur?
Sit formoſa, decens, dives, fœcunda, vetuſtos
Porticibus diſponat avos, intactior omni,
Crinibus effuſis, bellum dirimente Sabina;
Rara avis in terris, nigroque ſimillima cygno:
Quis feret uxorem, cui conſtant omnia? malo,
Malo Venuſinam, quàm te, Cornelia, mater

forma, & pondere, quem à muliere curioſa emptum dicit Juvenalis. Fuit & altera Berenice, Ptolemæi in Ægypto ſoror, de qua locum hunc ita interpretatur vetus ſcholiaſtes, ut illi à Ptolemæo barbaro, ſeu Ægyptio, datus annulus, poſteà venerit in Agrippæ manus, à quo datus ſit ſorori ſuæ.

Ubi, &c. Datus eſt ille adamas ſorori ab Agrippa in Judæa, ubi Reges obſervant, & colunt ſabbata, ideſt, feſta Judæorum, mero, ideſt, nudo pede. Solebant enim Judæi in feſtorum ſuorum pervigilijs jejunare, nudare pedes, &c.

Et vetus, &c. Et ubi porci vivunt uſque ad ſummam ſenectutem, Judæis eorum vitæ parcentibus: nefas enim iis erat porco veſci.

Nullane, &c. An, inquiet aliquis, ex tanta mulierum multitudine, penitùs nulla tibi videtur digna, quæ in uxorem ducatur?

Vetuſtos, &c. Hoc eſt, ſit maximè nobilis. Solebant enim nobiles Romani in atriis ſuis ordine diſponere imagines majorum cereas, ad antiquitatis, & nobilitatis oſtentationem.

Intactior omni, &c. Continentior, quàm fuerint Sabinæ illæ mulieres, quæ captæ ſunt à Romanis, imperante Romulo: illæ enim pudiciſſimæ habebantur. Dicuntur hìc bellum dirimentes; quia, cùm ipſarum occaſione bellum exortum eſſet Romanos inter, & Sabinos, ipſæ inter utramque aciem, effuſis crinibus, intervenientes, pacis, & fœderis conciliandi cauſa extiterunt.

Rara avis, &c. Quæ quidem res (nempe ut Sabinarum pudicitiam imitetur, aut ſuperet) tam eſt rara, quàm phœnix, aut cygnus niger. Sed concedamus hanc talem eſſe, quis tamen mulierem egregiis omnibus ornatam dotibus, atque adeò ſuperbam, & inſolentem, ferre poterit?

Conſtant omnia. Inſint omnes egregiæ dotes.

Malo Venuſinam, &c. Malim pauperem, & ignobilem uxorem, oriundam ex oppido Apuliæ Venuſio, quàm nobilem aliquam Romanam, qualis fuit Cornelia, Scipionis Africani majoris filia, & Gracchorum ma-

Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers
Grande supercilium, & numeras in dote triumphos.
Tolle tuum, precor, Hannibalem, victumque Syphacem
In castris, & cum tota Carthagine migra.
Parce, precor, Pæan; & tu depone sagittas;
Nil pueri faciunt, ipsam configite matrem,
Amphion clamat: sed Pæan contrahit arcum.
Extulit ergo gregem natorum, ipsamque parentem,

mater Caii & Tiberij, de quibus sat. 2. Illa enim, teste Plutarcho, eximiæ virtutis erat, sed ob nobilitatem paulò superbior.

Grande supercilium, &c. Hoc est, superbiam, & fastum, quæ in supercilio apparent, & quasi sedem habent.

Et numeras, &c. Si propter majorum tuorum triumphos, non secus, ac si magna dos esset, mihi imperiosè insultas.

Tolle tuum, &c. Desine, amabò, jactare mihi prætereà, & ostentare victos à patre tuo Scipione Hannibalem, & Syphacem; aufer te hinc cum ista tua, quæ tibi tantos affert spiritus, Carthagine. Fuit Syphax Numidiæ Rex, qui, cùm se Hannibali conjunxisset, victus est, & captus à Scipione. Contigit hoc in secundo bello Punico, anno ab U. C. 551.

Parce, &c. Ostendit Poeta, exemplo Niobes, mulierum insolentiam, quæ se Diis ipsis quandoque præferant, eosque meritò sentiant ultores. Amphion clamat, Parce, ò Pæan, &c.

Pæan. Apollo, Jovis ex Latona filius: sic dictus à voce Græca, quæ ferire significat, quòd sagittis ferire dicatur, dum calore nimio, vel pestilentia, mortalibus incommodat.

Et tu. Supple, Diana: erat illa soror Apollinis.

Nil pueri, &c. Parcite filiis meis, qui nihil in vos peccaverunt; ac si placet ulcisci, ipsam potiùs matrem configite, quæ sola nocens est.

Matrem. Nioben. Fuit illa Tantali filia, uxor Amphionis, Regis Thebani: quæ cùm se quatuordecim filiorum matrem videret, ausa est se Latonæ anteponere. Quam audaciam ulturi, Apollo septem ejus filios, Diana septem filias sagittis confixerunt. Ovid. VI. Metam.

Contrahit. Idest, tendit, dum enim adducitur nervus, cui sagitta imponitur, duæ extremæ partes arcus contrahuntur, & coeunt.

Extulit. Sic Amphion perdidit, ad regum extulit

Dum sibi nobilior Latonæ gente videtur,
Atque eadem scrofâ Niobe fœcundior albâ.
Quæ tanti gravitas, quæ forma, ut se tibi sẽper
Imputet? Hujus enim rari, summique voluptas
Nulla boni, quoties animo corrupta superbo
Plus aloes, quam mellis habet. Quis deditus autem
Usque adeò est, ut non illam, quam laudibus effert,
Horreat, inque die septenis oderit horis?
Quædam parva quidem, sed non toleranda maritis:
Nam quid rancidius, quam quòd se non putat ulla
Formosam, nisi quæ de Thusca, Græcula facta est?
De Sulmonensi, mera Cecropis? Omnia Græcè:

lit suos omnes liberos; & ipsam eorum matrem Nioben.

Scrofâ, &c. Alludit ad scropham illam, seu, suem albam, quam invenit Æneas; quæ, teste Virgilio, uno partu triginta porcellos ediderat.

Quæ tanti, &c. Quæ tanti pretii esse potest in muliere virtus, & pulchritudo, ut proptereà pati velis perpetuas ejus contumelias, quibus suas virtutes, aut formam venditat, & obiicit?

Hujus enim, &c. Sensus est: quamvis magnum aliquid sit, & rarum, uxorem habere formosam simul, & pudicam; tamen hoc nihil te juvabit, si superba illa erit.

Plus aloes, &c. Hoc est; plus ex ea tibi erit amaritudinis, quàm suavitatis. Est enim aloe, herba amarissimi succi.

Deditus, &c. Supple, uxori: quis ita uxorem amat?

Laudibus effert. Laudat propter virtutes.

Horreat, &c. Propter superbiam odio habeat, dimidia parte diei, & amplius; adeò molesta est. Romani enim duodecim tantùm horas tribuebant diei, & totidem nocti.

Quædam, &c. Sunt in mulierum vitiis alias nonnulla momenti quidem levioris, sed maritis non leviter molesta.

Nam quid, &c. Sensus est, quid enim est putidius, quàm quòd nulla mulier sibi placet, nisi de Romana, seu Italica, veluti Græca fiat; hoc est: perinde omnia Græcè loquatur, ac si Græca esset?

Tusca. Idest, Itala, Latina. Etruria, seu Thuscia, est pars Italiæ, ubi nunc Florentia.

Sulmonensi. Hoc est, Italica. Est enim Sulmo civitas Italiæ, Ovidii patria.

Cecropis. Atheniensis, à Cecrope, qui in Attica regnavit.

Omnia Græcè. Supple, loquitur.

Cùm ſit turpe magis noſtris neſcire Latine
Hoc ſermone pavent: hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi ſecreta: quid ultrà?
Si tibi legitimis pactam, junctamque tabellis
Non es amaturus, ducendi nulla videtur
Cauſa, nec eſt quare cęnam, & muſtaceà perdas.
Si tibi ſimplicitas uxoria, deditus uni
Eſt animus, ſubmitte caput, cervice parata
Ferre jugum: nullam invenies, quæ parcat amanti:
Ardeat ipſa licèt, tormentis gaudet amantis,
Et ſpoliis. Igitur longè minus utilis illi
Uxor, quiſquis erit bonus, optanduſque maritus.
Nil unquam invita donabis conjuge: vendes
Hac obſtante nihil; nihil, hæc ſi nolit, emetur.

Cùm ſit, &c. Hoc eſt, etſi mulieri Latinæ turpiùs ſit, ſi neſciat loqui Latinè eleganter, quod illis mulierculis interdum evenit, quàm laudabilius, ſi Grę cè ſciat.

Hoc ſermone, &c. Ideſt, Græcè omnes animi affectus exprimnnt, timorem, iram, &c.

Quid ultra? Supple, addi poteſt. Quid vis ampliùs?

Si tibi, &c. Utitur Poeta disjunctione, ut amicum deterreat ab uxore ducenda. Aut enim, inquit, uxorem amaturus es, aut non? ſi non es amaturus, cur ducis, & fruſtrà ſumptus facis? ſi amaturus es, miſer eris, & veluti ſervus.

Legitimis, &c. Hoc eſt, legitimo matrimonio: per tabellas enim intelligit ea ſcripta, & inſtrumenta, quæ matrimonij contractum continent.

Cænam. Nuptialem, quæ non ſine magno plerumque ſumptu fit.

Muſtacea. Erant placentę quędam è muſto, ſeu recenti vino, confectæ, quæ apud Romanos, in cœnis nuptialibus, convivis dari ſub finem ſolebant.

Si tibi, &c. Si ita ſimplex es, & uxorius, ut in omnibus velis morem uxori gerere.

Deditus uni, &c. Si animus tuus eſt uni tuæ uxori deditus; ſi eam unicè amas.

Submitte, &c. Hoc eſt, paratus eſto ad ſerviendum. Ducta eſt metaphora à bobus, qui jugum cervicibus excipiunt.

Parcat amanti. Moleſta non ſit viro, à quo amatur.

Ardeat ipſa, &c. Ipſa licèt te redamet, gaudet tamen torquere te moleſtiis, & bonis ſpoliare.

Igitur longè, &c. Senſus eſt: quanto uxor faciliorem, & amantiorem habebit

Hæc dabit affectus: ille excludetur amicus
Jam senior, cujus barbam tua janua vidit.
Testandi cùm sit lenonibus, atque lanistis
Libertas, & juris idem contingat arenæ;
Non unus tibi rivalis dictabitur hæres.
Pone crucem servo. Meruit quo crimine servus
Supplicium? quis testis adest? quis detulit? audi;
Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.
O demens! ita servus homo est? nil fecerit, esto,
Hoc volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.
Imperat ergo viro. sed mox hæc regna relinquit.
Permutatque domos, & flammea conterit; inde

bit maritum, tantò ipsi damnosior erit, & magis importuna. Ordo verborum est: quisquis erit, &c. illi minùs utilis uxor.

Hæc dabit, &c. Idest, maritus nullos habebit affectus, nisi quos uxor volet.

Cujus barbam, &c. Cujus primam domus tua barbam vidit: hoc est, qui te ab adolescentia sua coluit, amavitque.

Testandi, &c. Quamvis homines vel turpissimi, & fœdarum ministri libidinum, necnon lanistæ, facultatem habeant condendi testamenti, idemque jus tribuatur gladiatoribus in arena depugnantibus, hoc tamen jure, hac libertate non gaudebis: tua te uxor coget hæredes illos in testamento tuo scribere, quos ipsa dictabit, in iisque multi ejus adulteri, & rivales tui, recensebuntur.

Lanistis. Vide Sat. 3. De arena dictum etiam ibidem.

Pone, &c. Volo, inquit uxor tua, ut hunc servum agas in crucem.

Meruit, &c. Respondet maritus.

Detulit. Accusavit.

Audi, &c. Attende, inquit maritus: quando de morte hominis agitur, nunquam res nimis diligenter examinari potest; nulla mora potest esse longior.

O demens! &c. O te fatuum, respondet uxor! Itane servum putas hominem censeri debere?

Nil fecerit, &c. Esto, nihil sceleris admiserit; volo tamen cruci affigi; hoc tibi rationis instar sit.

Hæc regna, &c. Aliud mulieris imperiosæ vitium. Deserit maritum, ut alteri nubat: relinquit ipsius domum, ubi veluti domina regnabat.

Flammea, &c. Priora flammea lacerat, & nova sumit: vel, flammea sua sæpius nubendo terit. Flammea erant vela rubei coloris, quibus novæ nu-

Avolat, & spreti repetit vestigia lecti,
Ornatas paulò ante fores, pendentia linquit
Vela domûs, & adhuc virides in limine ramos.
Sic crescit numerus: sic fiunt octo mariti,
Quinque per autumnos: titulo res digna sepulchri.
Desperanda tibi salva concordia socru:
Illa docet spoliis nudi gaudere mariti.
Scilicet expectas, ut tradat mater honestos,
Aut alios mores, quàm quos habet? utile porrò
Filiolam turpi vetulæ producere turpem.
Nulla ferè causa est; in qua non fœmina litem
Moverit; accusat Manilia, si rea non est.
Componunt ipsæ per se, formantque libellos,

ptæ caput cooperiebatur.

Inde avolat, &c. Idest, novum maritum statim deserit, & à secundo illo ad tertium transit, à tertio ad quartum, &c. & quandoque revertitur etiam ad priorem illum maritum, cujus consortium spreverat.

Ornatas paulo, &c. Sensus est: statim post initas nuptias, novum maritum deserit. Solebant enim in celebrandis nuptiis limina domus ornari frondibus, & pendentibus velis.

Adhuc virides. Qui nondum aruerunt; adeò citò ab eo marito evolavit.

Crescit numerus. Maritorum.

Sic fiunt, &c. Sic intra quinque annorum spatium pervenitur ad numerum octo maritorum à lege concessum: nam ultra octavum maritum non licebat nubere.

Titulo, &c. Ironicè. Res digna scilicet, quæ ejus sepulchro inscribatur: solebant enim mulierum sepulchris inscribi maritorum nomina.

Desperanda, &c. Si mater uxoris tuæ vivit adhuc, frustrà speras te uxorem habiturum concordem, & probam.

Illa, &c. Illa filiam docebit, quo pacto maritum queat nummis emungere, ac spoliare.

Mater. Tuæ uxoris.

Producere. Erudire, informare, assuefacere. E filiæ furtis, ac flagitiis fructum capit.

Nulla ferè, &c. Sensus est, etiam in foro mulieres causas agere, vel, nullam esse in foro causam, & litem, quæ à fœmina orta, & mota non fuerit.

Manilia. Mulier litigiosa.

Si rea, &c. Si ipsa non accusatur.

Libellos. Supplices libellos, vel, alia scripta, ut solet in litibus, quando non

viva

Principium, atque locos Celso dictare paratæ.
Endromidas Tyrias, & fœmineum ceroma
Quis nescit? aut quis non vidit vulnera pali,
Quem cavat assiduis sudibus, scutoque lacessit?
Atque omnes implet numeros: dignissima prorsus
Florali matrona tuba. Nisi si quid in illo
Pectore plus agitat, veræque paratur arenæ.
Quem prestare potest mulier galeata pudorem?
Quale decus rerum, si conjugis auctio fiat

viva voce, sed scripto res agitur.

Principium, &c. Exordium, & argumenta ad causam tuendam.

Locos. Oratorios.

Celso, &c Quasi dicas, quę possint ipsi Celso, oratori, & jurisconsulto peritissimo, dare documenta.

Endromidas, &c. Sensus est: quis nescit mulieres jam passim exercere se ad artes gladiatorias? ungi ceromate, ut gladiatores? & endromidas sumere, non crassas quidem, & viles, ut vulgus gladiatorum, sed Tyrias, hoc est, purpureas, & molles? Endromis vestis erat crassa, & villosa, quam post certamina athletæ induere solebant, ne perfrigescerent.

Ceroma. Erat unguentum ex oleo, & terra, quo ungi solebant in ludis gladiatoriis. Vide Sat. 3.

Quis non vidit, &c. Quis non vidit mulieres ad palum se, tyronum instar, exercere? appetere illum crebris ictibus, & totidem veluti vulneribus excavare? Tirones enim, & gladiatores contra palum in terra defixum, clava, vel fuste oblongo, aut ligneo gladio, ac viminea crate, velut vero gladio, & scuto armati, se exercebant.

Sudibus. Fuste, vel gladio ligneo.

Omnes numeros. Omnia præcepta artis gladiatorię.

Dignissima. Planè idonea, quæ in ludis Floralibus decertet cum fœminis sui similibus.

Nisi, &c. Nisi forte cogitat in ipso amphitheatro cum viris etiam depugnare.

Florali tuba. Florales ludi, seu Floralia, celebrabantur in honorem Deæ Floræ, insigni cum licentia. Indicebantur tubarum sono: in iisdem mulieres, instar gladiatorum, inter se dimicabant.

In illo pectore. Audaci videlicet, ac plusquam fœmineo.

Quem, &c. An habere potest pudorem aliquem mulier, quæ instar viri galeam sumit, & tractat arma?

Quale decus, &c. Quàm decorum, & gloriosum est viro, si fortè publica in au-

Balteus, & manicæ, cristæ, crurisque sinistri
Dimidium tegmen. Vel, si diversa movebit
Prælia; tu felix ocreas vendente puella.
Hæ sunt, quæ tenui sudant in cyclade, quarum
Delicias & panniculus bombycinus urit.
Aspice, quo fremitu monstratos perferat ictus?
Et quanto galeæ curvetur pondere? quanta
Poplitibus sedeat, quàm denso fascia libro?
Dicite vos, Neptes Lepidi, cœcive Metelli,
Gurgitis, aut Fabii, quæ Ludia sumpserit unquam

ctione, balteus, manicæ, & alia ejusmodi uxoris arma vendantur?

Manicæ. Manuum tegmina.

Cristæ. Pinnæ, quę in vertice galeæ vulgò extant.

Crurisque, &c. Dimidium tegmen vocat, quia à pede usque ad genu crus tantùm tegebatur; reliqua verò pars nuda erat, scuto eam tegente. Benè autem cruris sinistri tegmen dicit, quia in pugna crus sinistrum semper protendebant milites, ideòque illud unum vulgò clypeo tegebant.

Vel si, &c. Quòd si uxor illa tua levioribus aliquibus præliis, & exercitationibus delectetur, in quibus non ferrea ejusmodi tegmina, & galeam adhibere sit opus, sed ocreas tantùm è corio, &c. nonne tu felix eris, cùm ejusmodi ocreas vendet? ironia. Nonnulli gladiatores ocreas tantùm induebant.

Hæ sunt, &c. Illæ tamen, inquit Poeta, quas vides tam fortiter arma tractare, illæ eædem sunt, quæ sudant in tenuissima gestanda veste. Cyclas enim vestis est muliebris tenuissima, & levissima.

Quarum, &c. Quarum delicatum corpus gravant vestes bombycinæ, id est, sericæ.

Quo fremitu, &c. Qua vociferatione ferat, & dirigat in adversarium ictus, quos à magistro didicit.

Et quanto, &c. Ut incurvetur sub ponderosa galea.

Quàm denso, &c Quàm multa fascia corticem densum adstringat, applicetque poplitibus. Ne inter pugnandum fatiscerent genua, & inflecterentur poplites, eos muniebant mollibus corticibus multiplici fascia obvolutis. Liber, libri, corticem tenuiorem significat.

Sedeat. Firmè compacta, & obvoluta sit fascia.

Gurgitis. Fabii, sic denominati, eò quòd, dum juvenis esset, patrimonium devoraverat: qui vir postea fuit eximiæ virtutis, & moribus severissimis, ut & Æmilius Lepidus, Princeps Senatus, & Metellus ille cæcus, de quo Sat. 3.

Ludia, &c Uxor mimi alicu-

Hos habitus? quando ad palum gemat uxor Asyli?
Semper habet lites, alternaque jurgia lectus,
In quo nupta jacet: minimùm dormitur in illo,
Tunc gravis illa viro, tunc orba tigride pejor,
Cùm simulat gemitus occulti conscia facti:
Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat,
Uberibus semper lacrymis, semperque paratis
In statione sua, ipsis expectantibus illam,
Quo jubeat manere modo. Tu credis amorem,
Tu tibi tunc curruca places, fletumque labellis
Exsorbes: quæ scripta, & quas lecture tabellas,
Si tibi Zelotypæ retegantur scrinia mœchæ!
Unde hæc monstra tamen, vel quo de fonte requiris?
Præstabat castas humilis fortuna Latinas
Quondam: nec vitiis contingi parva sinebat
Tecta labor, somnique breves, & vellere Thusco
Vexatæ, duræque manus, ac proximus Urbi

licujus, vel gladiatoris.

Hos habitus. Gladiatorios scilicet, vel, athleticos.

Quando, &c. Quando visæ sint uxores gladiatorum ad palum gemere, hoc est, cum magna vociferatione se exercere. Asylus, nomen est gladiatoris.

Semper, &c. Uxor tot jurgiis, ac litibus maritum vexat, ut eum dormire non patiatur.

Orba. Catulis spoliata.

Occulti. Cùm adulterii à se admissi conscia, fingit pellicem amari à marito, idque se dolere simulat, & pueros ex eo susceptos odio habet.

Credis amorem. Credis lacrymas uxoris ab amore proficisci, & in sinu gaudes, currucæ simillimus.

Curruca, Est avicula, quę ovis sibi à cuculo suppositis incubat, & ea excludit, quasi essent sua.

Exsorbes. Lacrymas, tibi ex oculis præ gaudio manentes in labra, tacitus sorbes. At heu! quas litteras, quos libellos amatoris legeres, si tibi paterent arculæ, & capsæ, in quibus eos recondit uxor adultera, quæ fingit se zelotypam!

Unde hæc, &c. Sed quæ tandem est causa, quę origo tam prodigiosæ nequitiæ? Otium, & opulentia.

Præstabat, &c. Veteres Latinas olim castas faciebat, & immunes à vitiis, paupertas, labor, vigilię, &c.

Vellere Tusco. Idest, tractando, carminando, trahendo lanam Thuscam. Erant enim optimæ lanæ in Etruria.

Duræ. Induratę, callosę

Et

Hannibal, & stantes Collina in turre mariti.
Nunc patimur longæ pacis mala: sævior armis
Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem.
Nullum crimen abest, facinusque libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit; hinc fluxit ad istos
Et Sybaris colles, hinc & Rhodos, & Miletos,
Atque coronatum, & petulans, nitidumque
Tarentum.
Prima peregrinos obscœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt sæcula luxu.
Divitiæ molles: quid enim Venus ebria curat?
Grandia, quæ mediis jam noctibus ostrea mordet;

Et proximus, &c. Bella pro foribus, hostis in Italia.

Et stantes, &c. In excubiis ad portam Collinam, unam è Romę portis; cùm Hannibal tertio ab Urbe lapide castra posuisset.

Nunc patimur, &c. Pax diuturna multorum malorum nobis, & scelerum causa fuit. Luxuries, bellis & quolibet hoste crudelior, nos invasit, & orbem à nobis victum vindicat; nosque vicissim perdit, ac superat.

Nullum, &c. Sensus est: ex quo Roma imperio, & opibus aucta est, vitiis omnibus abundare cœpit.

Hinc fluxit, &c. Ex amissa paupertate, ex victoriis nostris, & rerum affluentia, natæ sunt voluptates; venerunt in Urbem deliciæ Sybaritarum, &c. facti sunt Romani similes Sybaritis, Rhodiis, Tarentinis. Romam, colles vocat, quia Romæ septem sunt monticuli.

Sybaris. Est fluvii nomen, juxta urbem ejusdem nominis, in ea Italiæ parte, quæ magna Græcia dicta est, deliciis, & luxu olim infamis.

Rhodos & Miletos. Idest: luxuria Græca, & Asiatica in Urbem delata est; Miletus enim civitas est Græca, in finibus Joniæ, & Cariæ, in Asia minori: Rhodus autem est insula, è regione Ciciliæ, quæ est pars Asiæ minoris ad Austrum.

Atque coronatum, &c. Pervenit ad nos mollities, & ebrietas Tarentinorum; qui rosis coronati, delibuti unguentis, & madidi, potabant. Tarentum est civitas Calabriæ, in extrema Italiæ parte. *Taranto.*

Peregrinos. Græcorum, & exterorum.

Fregerunt, &c. Corruperunt prisci temporis frugalitatem, & pudicitiam.

Quid enim, &c Quid sceleris non facilè suscipit impudicitia, ubi ad illam accessit ebrietas, cibi delicati, &c.?

Grandia, &c. Cùm homo im-

Cùm perfusa mero spumant unguenta Falerno:
Cùm bibitur concha; cùm jam vertigine tectum
Ambulat, & geminis exurgit mensa lucernis?
Audio, quid veteres olim moneatis amici:
Pone seras, cohibe. Sed quis custodit ipsos
Custodes? Cauta est, & ab illis incipit uxor.
Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,
Cùm virides gemmas collo circumdedit, & cùm
Auribus extensis magnos commisit elenchos:
Intolerabilius nihil est, quàm fœmina dives.
Multis res angusta domi est, sed nulla pudorem
Paupertatis habet, nec se metitur ad illum,
Quem dedit hæc, posuitque modum: tamen utile, quid sit
Prospiciunt aliquando viri; frigusque, famemque

impurus, [illegible], si mavis, mulier aliq[illegible] impudica, epulas in [illegible]am usque noctem producit, [illegible] exquisitas dapes, ut ostrea, comedit, &c.

Perfusa mero, &c. Vino unguenta, & odores miscebantur, ad majorem luxum; & sic odorata fiebant vina. Porrò unguentum in imo poculo ponebatur, cui superinfundebatur vinum, ut ambo faciliùs miscerentur.

Concha. Poculo capaci, facto è piscis testa, seu concha, aut instar conchæ excavato.

Vertigine, &c. Quia scilicet ebriis videtur domus circumagi, nutare: iisdem pro una, lucernæ apparent duæ.

Audio, &c. Audire mihi videor monentes amicos, ut omnia domi meæ curem obseranda, & à servis custodienda, ne quid uxor mea rapiat, liguriat, bibat.

Ab illis incipit. Primùm id satagit, ut eos deliniat, sibique conciliet.

Virides, &c. Monile è smaragdis.

Cùm auribus, &c. Cùm auribus demissis, ac veluti extensis ob gemmæ pondus, grandes appendit uniones. Sunt enim elenchi, margaritæ majores, & oblongę, instar ovi.

Multis res, &c. Quamvis multis fœminis exiguæ sint opes domi, nulla tamen pudore paupertatis inhibetur, quominus prodiga sit, modumque suarum fortunarum excedat in sumptu faciendo; nulla est moderata, & frugalis, ut pauperem decet.

Quem dedit hæc Paupertas: idest, non spectat, non sequitur modum, quem ipsi sua paupertas præscribit.

Tamen, &c. Viri tamen, quantumlibet prodigi, quęrunt aliquando, quę sibi utilia sunt: & saltem de culina,

Formica tandem quidam expavere magistra:
Prodiga non sentit pereuntem fœmina censum;
Ac velut exhausta recidivus pullulet arca
Nummus, & è pleno semper tollatur acervo,
Non unquam reputant, quanti sibi gaudia constent.
Jamque eadem summis pariter, minimisq; libido;
Nec melior, pedibus silicem, quæ conterit atrum,
Quàm quæ longorum vehitur cervice Syrorum.
Ut spectet ludos, conducit Ogulnia vestem,
Conducit comites, sellam, cervical, amicas,
Nutricem, & flavam, cui det mandata, puellam.
Hæc tamen, argenti superest, quodcumq; paterni,
Levibus Athletis, ac vasa novissima donat.

tu, ac victu soliciti, sibi prospiciunt.

Formica, &c. Formicæ exemplo didicerunt timere vitæ incommoda, & res necessarias parare.

Prodiga, &c. At fœmina, si prodiga est, nullam quærendi, aut retinendi census curam habet.

Censum. Opes, rem familiarem.

Recidivus. Recidivum dicitur, quod postquam cciderit, resurgit, ac restituitur: cùm perierit, renascitur. Legunt aliqui, *redivivus*.

Libido. Dandi, profundendi.

Summis. Plebeis, & nobilibus.

Silicem quæ &c. Quæ per vicos silice stratos pedes incedit.

Syrorum. Lecticariorum Servi conplures ventitabant è Syria, parte Asiæ propè Palestinam.

Conducit. Adeò pauper est, ut vestes pretiosas, comites, idest, pedissequas, deductores, &c. hæc omnia, inquam, utenda, & mox reddenda, pretio comparet.

Sellam. Gestatoriam, in qua vehatur.

Cervical. Pulvinum, quem capiti, & dorso substernat.

Nutricem. Honorariam intellige fœminam, quæ nobilibus puellis custos addi solet.

Puellam. Ancillam, cui, tanquam domina, imperet.

Argenti paterni. Patrimonii.

Levibus. Tonsis, comptis, imberbibus.

Vasa, &c. Omnem supellectilem, usque ad vasa ultima, donat juvenibus athletis, quos isto pretio ad pugnandum invitat.

Si gaudet, &c. Mulier, si canendo delectatur, emit citharam pretiosam, in qua gemmæ pretiosæ radiant, &c. numerat, idest, numero, & ordine percutit chordas

Si gaudet cantu, radiant testudine tota
Sardoniches; crispo numerantur pectine chordæ,
Quo tener Hedymeles operam dedit; hunc tenet, hoc se
Solatur, gratoque indulget basia plectro.
Quædam de numero Lamiarum, ac nominis alti,
Cum farre, ac vino Janum, Vestamque rogabat.
An Capitolinam deberet Pollio laurum
Sperare, & fidibus promittere. Quid faceret plus,
Ægrotante viro? medicis quid tristibus erga
Filiolum? stetit ante aram, nec turpe putavit
Pro cithara velare caput, dictataque verba
Protulit, ut mos est, & apertà palluit agnà.

das ejusdem testudinis, cum plectro, quo Hedymeles citharœdus operam dedit, idest, usus olim est, citharam percussit.

Testudine. Cithara vocata primùm est testudo, quia olim è putamine testudinis confecta fuit, nervis super inductis, & extensis.

Sardonyches. Sardonyx est gemma, duarum alarum, unde nomen habet, colorem referens, nempè sardi subrubrum, & onychis subalbum.

Crispo. Tremente, palpitante, subsiliente.

Pectine. Pecten citharæ idem est, ac plectrum, sive instrumentum, quo percutiuntur chordæ. Fiebat olim è ligno, seu ebore denticulato, nunc ferè fit ex equinis setis, oblongo bacillo, & paulùm incurvo, impositis.

Quædam de &c. Nempe femina nobilissima: familia enim Lamiarum erat inter Romanas antiquissima.

Cum farre &c. Cùm sacrificaret Jano, & Vestæ; in sacrificio Deos illos consulebat, ac sciscitabatur, an Pollio citharœdus sperare deberet victoriam, & coronam è quercu in musico certamine, quod Domitianus instituerat in honorem Jovis Capitolini. Arguit ridiculum studium, quo mulieres favebant citharœdis.

Farre. Far, purioris cujusdam frumenti genus.

Janum. In omnibus sacris primus invocabatur, In Italia regnasse fertur, & Saturnum à Jove pulsum excepisse. De Vesta dictum Sat. 4.

Fidibus &c. An suæ citharæ polliceri laurum posset Pollio.

Stetit. Sacrificaturi stabant ante aras, velato capite, & certa verba pronunciabant, dictante, & præeunte haruspice.

Pro cithara. Pro citharœdo: pro felici successu ejus cantus, & citharæ.

Aperta. Victimarum cæsarum exta, & viscera extracta consulens, timuit, ne

Dic mihi nunc, quæso, dic, antiquissime Divum,
Respondes his, Jane pater? magna otia Cœli!
Non est, ut video, non est, quod agatur apud vos.
Hæc de comœdis te consulit; illa tragœdum
Commendare volet: varicosus fiet haruspex.
Sed cantet potiùs, quàm totam pervolet Urbem
Audax, & cætus possit quàm ferre virorum,
Cumque paludatis ducibus, præsente marito,
Ipsa loqui. Novit, toto quid fiat in orbe,
Hæc eadem, quid Thraces agant, quid Seres,
& Indi:
Instantem regi Armenio, Parthoque Cometen
Prima videt: famam, rumoresque illa recentes
Excipit ad portas; quosdam facit iste Niphatem

ne quid infaustum præsagirent.

Antiquissime. Quia Deus est temporis.

Magna, &c. O Jane, an habes satis otii, ut mulierculis te consulentibus, & orantibus de citharœdo respondeas? oportet otiosos valdè in cœlo Deos esse, neque vobis esse, quod agatis.

Comœdis. Comœdia est poema, in quo personis in scenam inductis exhibetur actio plebeja, & sumpta e communi hominum vita. Tragœdia imitatur actionem heroicam, & illustrem. Vide Horat. in Arte Poet.

Varicosus. Is est, qui venas crurum nimio sanguine tumentes habet; quo laborare morbo solent ii, qui nimis diu pedibus insistunt. Hoc timere se haruspici, id est, sacerdoti & victimarum inspectori, Poeta dicit, quia frequentibus muliercularum sacrificiis adesse stans cogitur.

Sed &c. Invehitur jam in mulieres curiosas, & rerum novarum avidas. Præstat illas, inquit, cantare, & cantu delectari, quàm circumcursare totam Urbem: quàm versari in virorum cœtibus, &c.

Paludatis. Indutis paludamento; quæ vestis erat Imperatorum, cùm ad bellum graderentur.

Seres. Populi sunt Asiæ, ad Orientem, vicini Sinis, & Tartaris. Thraces, supra Macedoniam, & Mare Ægeum sedent.

Instantem. Minitantem.

Armenio. Armenia pars est Asiæ, inter montes Taurum, & Caucasum. Parthi Persarum, ac Medorum vetus imperium obtinebant.

Cometen. Sunt Cometæ partes densiores aeris, quæ figuram stellæ, gladii, comæ, referunt, ac solis radios reflectunt: terricula plebis imperitæ.

Facit &c. Fingit, narrat, flu-

In populos, magnoque illic cuncta arva teneri
Diluvio, nutare urbes, subsidere terras,
Quocumque in trivio, cuicumque est obvia, narrat.
Nec tamen id vitium magis intolerabile, quàm quòd
Vicinos humiles rapere, & concidere loris,
Exorata solet. Nam, si latratibus alti
Rumpuntur somni, Fustes huc ocyus, inquit,
Afferte; atque illis dominum jubet ante feriri,
Deinde canem. Gravis occursu, teterrima vultu,
Balnea nocte subit, conchas, & castra moveri
Nocte jubet, magno gaudet sudare tumultu,
Cùm lassata gravi ceciderunt brachia massa,
Convivæ miseri intereà somnoque, fameque
Urgentur: tandem illa venit rubicundula, totum
Oenophorum sitiens, plena quod tenditur urna

fluvium Niphatem (est ille in Armenia, regione Asiæ) supra ripas effusum irruisse in agros, & populos totos mersisse.

Subsidere. Deprimi, excavari.

Nec tamen. Crudeles fœminas jam insectatur.

Humiles. Pauperes, infimos.

Exorata. Cùm se passa est exorari, & id à se impetrari, ne eos planè occidat.

Latratibus. Canis vicini.

Dominum. Canis.

Balnea &c. Cùm adire balnea de die posset, id noctu facit, importuno tempore.

Conchas. Vasa majora, in morem concharum facta, quibus in balneo utebantur.

Castra. Supellectilem ad lavandum necessariam, & instrumenta, non minori tumultu, & trepidatione, quam à militibus moventur castra deportari jubet.

Sudare. Sudorem projicere. Excitare hunc solebat plumbea massa in manus sumpta, & in aerem sæpe jactata. Hanc igitur massam mulier cùm sæpè agitarit, & defessa est, tunc sudat, addit clamores; & ingenti strepitu hoc facit ambitiosè.

Convivæ. Clientes, & alii, qui expectant, dum ea redierit è balneis.

Rubicundula. Sudans nimirum, & fatigata è balneo, & massæ plũbeæ jactatione.

Oenophorum. Vas vinarium ingens.

Sitiens. Parata exhaurire, ita sitiens, ut videatur haustura.

Tenditur. Quod vas vina-

Admotum pedibus; de quo sextarius alter
Ducitur ante cibum, rabidam facturus orexim,
Dum redit, & terram luto ferit intestino:
Marmoribus rivi properant, aut læta Falerno
Pelvis olet: nam sic tamquam alta in dolia longus
Deciderit serpens, bibit, & vomit. Ergo maritus
Nauseat, atque oculis bilem substringit opertis.
Illa tamen gravior, quæ, cùm discumbere cœpit,
Laudat Virgilium, perituræ ignoscit Elisæ:
Committit vates, & comparat: inde Maronem,
Atque alia parte in trutina suspendit Homerum.
Cedunt grammatici, vincuntur rhetores, omnis
Turba tacet, nec causidicus, nec præco loquatur;

narium plenum est, ac distenditur, quia urnam totam capit; & ipsi ante pedes adducitur.

De quo &c. Ex hoc œnophoro ducitur, idest, hauritur, & bibitur à muliere, antequam cibum sumat, unus sextarius, itemque alter. Vini mensura est, quantum ferè uno grandiori haustu bibi potest. Sexta pars congii, uncias capiens 20.

Rabidam &c. Sententia est. Geminus ille sextarius faciet, ac provocabit mulieri rabidam, idest, magnam orexim, idest, famem, seu appetitum cibi; dum redit, idest, dum ab ea vomitur, & ex ejus stomacho redibit, terramque luto intestino, idest, abluto stomacho, & lavato feriet; cùm expuetur in terram. Solebant stomachum exonerare, & lavare crebro vini haustu, & vomitu.

Rivi. Vinum regestum à muliere fluit rivis in pavimentum stratum marmore.

Pelvis. Aliquando vomit in pelvim, seu lancem amplam, quæ vinum ideò redolet.

Serpens. Dicuntur serpentes vinum amare, cùmque illo se ingurgitarint, revomere, iterùmque haurire.

Bilem, &c. Iracundiam coercet clausis oculis: vel, temperat sibi à vomitu, quem uxoris fœditas provocat, oculos evertendo.

Illa tamen &c. Insectatur mulieres eruditas.

Discumbere. Ad mensam accumbere.

Ignoscit &c. Excusat Didonem, quòd sibi mortem attulerit. Elisa etiam vocabatur Dido.

Committit. Inter se componit: alterũ opponit alteri.

Suspendit. Librat, inspicitque, uter utri præponderet, anteponi debeat.

Cedunt. Coguntur silere, adeò loquax, & verbosa est mulier.

Nec præco. Ipsi præcones, quam-

Altera nec mulier. Verborum tanta cadit vis:
Tot pariter pelves, tot tintinnabula credas
Pulsari. Jam nemo tubas, atque æra fatiget:
Una laboranti poterit succurrere lunæ,
Imponit finem sapiens & rebus honestis.
Nam, quæ docta nimis cupit, & facunda videri,
Crure tenus medio tunicas succingere debet,
Cædere Sylvano porcum, quadrante lavari.
Non habeat matrona, tibi quæ juncta recumbit,
Dicendi genus, aut curtum sermone rotato
Torqueat enthymema, nec historias sciat omnes,
Sed quædam ex libris, & non intelligat. Odi

quamvis vulgò clamosi; immò aliæ mulieres, præ illa non audiuntur.

Jam nemo &c. Putabat vulgus superstitiosum lunam ideò deficere, ac lumine suo spoliari, quia magorum incantationibus vexabatur: ac, ne magica audiret carmina, pelves pulsabat, inflabat tubas. Jam, inquit Vates, id opus non erit. Satis magnum hæc una mulier strepitum edet.

Imponit &c. Eadem, Sapientium, ac Philosophorum more, de virtute disputat: præscribit finem, quem spectare debent honestæ actiones.

Nam, quæ. Quod si doctrinæ reconditioris famâ, & eloquentiæ ambit, omnino debet tunicam, oratorū more, paulùm infra genua demissam gerere; porcum Deo Sylvano, poetarum instar, immolare; Demum tenui pretio, & quadrante (quarta pars assis erat) in publicis balneis, ut egentes philosophi factitant, lavari.

Crure tenus. Oratorum, ait Quintilianus libro XI. tunicæ prioribus oris infra genua paulùm; posterioribus, ad medios poplites usque perveniant. Nam infra, mulierum est; supra, centurionum.

Sylvano. Erat Sylvarum Deus; amant autem viri litterati sylvas, otia, & secessum. Itaque sacrificabant Sylvano; mulieres Junoni vulgò, aut Cereri.

Non habeat &c. Matrona tibi juncta matrimonio non habeat peculiarem, & exquisitum loquendi, ac scribendi stylum: non concisum, & enthymematis quasi rotatum, præcipitem, abruptum.

Enthymema. Est genus oratoriæ ratiocinationis, sive Syllogismus aliqua è tribus propositione carens, vulgò majori, quæ facile subauditur: ut Castitas est virtus, ergo amabilis. Hinc vocatur curtum, breve, diminutum.

Torqueat. Concitato sermone jaculetur in adversarium enthymemata.

Pala-

Hanc ego, quæ repetit, volvitq; Palęmonis artem
Servata semper lege, & ratione loquendi,
Ignotosque mihi tenet antiquaria versus:
Nec curanda viris Opicæ castigat amicæ
Verba. Solæcismum liceat fecisse marito.
Intereà fæda aspectu, ridendaque multo
Pane tumet facies, aut pinguia Poppæana
Ne quicquam spirat: quamquam illo lacte fovetur,
Propter quod secum comites educit asellas,
Exul hyperboreum si dimittatur ad axem.
Sed, quæ mutatis inducitur, atque fovetur
Tot medicaminibus, coctæque siliginis offas
Accipit, & madidæ, facies dicetur, an ulcus?
Est operæ pretium penitus cognoscere, toto
Quid faciant, agitentque die. Si nocte maritus
Aversus jacuit; periit libraria, ponunt.
Cosmetæ tunicas; tardè venisse liburnus

Palæmonis. Q. Rhemmius Palæmon, insignis fuit grãmaticus, Tiberio Imperat.

Artē. Regulas grãmaticę.

Antiquaria. Vocantur antiquarii, qui antiquas historias, priscos scriptores, obsoleta vocabula, sectantur, & callent.

Nec curanda &c. Quæ si audiat amicam barbarè, ut olim Opici, loquentem, ejus voces corrigit, errorésque castigat. Hæc verò sermonis quasi ad trutinam exigendi cura postulanda non est à viris. De voce *Opicus* consule Sat. 3.

Interea. Fœminas plus æquo formæ studiosas reprehendit.

Pane. Madefacto pane vultum oblinebant, ac poliebant.

Poppęana. Unguenta quędam inventa à Poppæa, Neronis uxore. Hæc panem inducendum vultui lacte asinino madefaciebat, cùmque Roma discederet, eam semper asinæ 50. sequebantur.

Hyperboreum. Boreæ subjectum, Septentrionalem.

Si. Quamvis.

Axem. Polum. Orbis ultimi regionem.

Siliginis. Est siligo, farinæ flos purissimus; panis siligineus, qui nihil, aut perparum habet furfuris. Offa, frustum panis: pars ejusdē interior, & mollior.

Est opera pretium Juvat, lepidum est. Exagitat mulierum crudelitatem.

Aversus. Ore in aliam partem converso, quasi iratus.

Periit libraria. Vapulat ancilla, quę ab epistolis est.

Cosmetæ. Servi, qui operam ornandæ, & comendæ mulieri dant, coguntur tunicas deponere, ut cædantur. Κοσμέω, orno, como.

Liburnus. Servus è Liburnia.

Dicitur, & pœnas alieni pendere somni
Cogitur. Hic frangit ferulas, rubet ille flagellis,
Hic scutica: Sunt, quæ tortoribus annua præstent.
Verberat, atque obiter faciem linit; audit amicas,
Aut latum pictæ vestis considerat aurum;
Et cædens longi relegit transacta diurni,
Et cædit: donec lassis tortoribus, exi,
Intonat horrendum, jam cognitione peracta.
Præfectura domùs Siculà non mitior aulà.

Nam si constituit, solitòque decentior optat
Ornari, & properat, jamque expectatur in hortis:
Componit crinem laceratis ipsa capillis
Nuda humeros Psecas infelix, nudisque mamillis.
Altior hic quare cincinnus! Taurea plectit

nia, Illyrici parte, è regione Italiæ, ad sinum Adriaticum. Sat. 3. Erant illi vulgò proceri, & lecticis gestandis adhibebantur.

Alieni. Quem maritus minùs commodum habuit, nulla certè servi culpa, qui tamen ideò plectitur.

Hic frangit. Hujus in tergo crebris ictibus rumpuntur virgæ è ferularum ramis confectæ. Ferula est arbuscula similis marathro, sed altior, & fortior. Ex ea fiebant scipiones, bacilla, virgæ, &c.

Scutica. Est flagellum è loris.

Sunt, quæ &c. Reperiuntur, quæ tortores annua mercede conducant.

Verberat. Dum servos coram cædi jubet, ipsa quasi aliud agens vultum cerussa oblinit.

Diurni. Diarii, ephemeridis. In codice diurno legit, quæ in ipso singulis diebus notata sunt, v. g. sumptus factos &c.

Cognitione. Sæpe sumitur ea vox pro quæstione, quæ de crimine habetur, inquisitione facti alicujus, judicio, &c.

Præfectura &c. Domus, cui talis hera præest, æquè crudelis est, atque aula Phalaridis, tyranni Siciliæ. Regnavit ille Agrigenti, (est urbs Siciliæ) vivos homines includebat æreo tauro, subjectis flammis candente, &c.

Constituit. Si condixit, idest, promisit se venturam, hora constituta, in aliquem locum.

Laceratis &c. Psecas (est ancillæ nomen) jussa tam maturè, tam properè surgere, ut spatium non habuerit componendi capillos, & vestes omnino induendi.

Altior. Vox heræ objurgantis.

Cincinnus. Cirrus, capillus calamistro flexus.

Taurea. Subaudi, scutica.

Fla-

Continuò flexi crimen, facinusque capilli.
Quid Psecas admisit? quænam est hic culpa puellæ,
Sic tibi displicuit nasus tuus? Altera lævum
Extendit, pectitque comas, & volvit in orbem,
Est in consilio matrona: admotaque lanis
Emerita, quæ cessat acu. Sententia prima
Hujus erit: post hanc ætate, atque arte minores
Censebunt: tamquam famæ discrimen agatur,
Aut animæ. Tanti est quærendi cura decoris!
Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput. Andromachen à fronte videbis:
Post, minor est. Aliam credas. Cedo, si breve parvi
Sortita est lateris spatium, breviorque videtur
Virgine Pygmæa, nullis adjuta cothurnis?
Nulla viri cura intereà: nec mentio fiet

flagellum è corio taurino.

Altera. Ancilla. Hæc sinistram herilis comæ partem in cincinnos flectit.

Matrona. Mulier senior, & nobilior consulitur.

Admotaque &c. Et alia quædam ancilla, quæ diu suendis acu vestibus adhibita, nunc vacationem hujus laboris adepta, lanas carpit, trahitque.

Emerita. Emeriti dicebantur milites, qui diuturna, & legitima meruerant stipendia; item gladiatores suo tempore defuncti, qui rude donabantur.

Censebunt. Sententiam de capitis ornatu ferent.

Ordinibus. Capillorum quasi substructionibus.

Compagibus. Varias comarum inter se nexarum veluti contignationes, & tabulata, alia aliis altiora, imponit capiti, tamquam si turrim extrueret.

A fronte. Si à fronte illam aspicias, tam procera videbitur, quàm Andromache. Uxor Hectoris fuit, ab Homero celebrata.

Post. Si à tergo illã aspicias.

Cedo. Quid agas? Videtur excusanda, siquidem staturę est brevissimæ, & Pygmæa minor, cùm nullos induit cothurnos. Vel: Age, quid faciet, si exiguum corporis modum à natura sortita est; si puella Pygmæa cùm sit brevior, nullis adjuvari cothurnis potest, ut crescat? Ringetur, seque iratis natam superis dolebit.

Pygmæa. Pygmæi Thraciam, vel Indiam incoluisse narrantur, homunciones, quorum statura major cubitali non erat.

Cothurnis. Cothurnus, calceus altior, quo utebantur actores tragœdiarum.

Dam-

Damnorum. |Vivit tanquam vicina marito:
Hoc solo, propter quòd amicos conjugis odit,
Et servos: Gravis est rationibus. Ecce furentis
Bellonæ, matrisque Deûm chorus intrat, & ingens
Antistes, cui rauca cohors, cui tympana cedunt
Plebeja, & Phrygia vestitur bucca tiara.
Grande sonat, metuique jubet Septembris, & Austri
Adventum, nisi se centum lustraverit ovis,
Et xerampelinas veteres donaverit ipsi:

Damnorum. Quæ marito affert, impensis inutilibus, & inepto luxu.

Vicina. Non ut conjux, adeò illum negligit, oditque.

Bellonæ, &c. Increpat jam mulieres superstitiosas, quæ consulunt Bellonæ, Cybelesque sacerdotes, atque iis nimiùm credunt. Bellona Dea est, quæ bello præsidet; dicitur fuisse Martis soror.

Matrisque Deûm. Cybeles: cujus sacerdotes orgia sua, & sacra celebrabant, rotantes caput, tympana, & ferramenta percutientes, brachia cultris dissecantes, &c. tunc veluti numine afflati divinabant,

Chorus intrat. Turba sacerdotum Bellonę, & Cybeles, domum alicujus mulieris ingreditur; ubi suas superstitiones, & insanas divinationes exponat, indeque aliquid lucri faciat.

Ingens Antistes. Sacerdotum illorum princeps, & spectatissimus, cui cedunt reliqui, tiaram gerens, grande sonat, &c.

Rauca. Ob assiduos cantus.

Cui tympana, &c. Idest, cui reliqui inferioris dignitatis, ac veluti plebeii sacerdotes, qui pulsant tympana, velut plebs Principi, & Regi, cedunt.

Et Phrygia &c. Cujus os, vel genæ tectæ sunt tiaræ redimiculis. Erat enim tiara, pilei genus quoddam, seu potiùs infula, cujus lobi, seu retinacula, & ligulę, sub mento connectebantur. Phrygiam vocat, quia Phryges tiara vulgò utebantur; quare & tiaram gerebant Cybeles sacerdotes, ut qui in Phrygia primùm fuerant instituti.

Grande sonat. Ore terrifico futura prædicit, & funesta quædam minatur.

Metuique, &c. Denunciat mulieri autumnum, ac ventum australem, qui vulgò per autumnum flat, ipsi morbos allaturum, ac perniciem, nisi &c.

Nisi se &c. Nisi ad placandos superos, morbosque avertendos sacrificium fecerit, seque expiaverit, &c.

Ovis. Ova enim in lustrationibus adhibebantur.

Xerampelinas. V. stes co-

 loris

Ut quidquid subiti, & magni discriminis instat,
In tunicas eat, & totum semel expiet annum.
Hybernum, fracta glacie, descendet in amnem;
Ter matutino Tiberi mergetur, & ipsis
Vorticibus timidum caput abluet: inde superbi
Totum Regis agrum gelida, ac tremebunda, cruentis
Erepet genibus: si candida jusserit Io,
Ibit ad Ægypti finem, calidaque petitas
A Meroe portabit aquas, ut spargat in æde
Isidis, antiquo, quæ proxima surgit ovili;

loris siccæ rosæ, vel, cujusmodi est in autumnalibus vitis frondibus quales vestes vulgò matronæ Romanæ ferebant. ξηρός. *aridus*: ἄμπελος, *vitis*. hinc ξηραμπελινὸς, *xerampelinus*: aridis pampinis similis.

Ipsi. Sacerdoti.

Ut quidquid, &c. Ut omne periculum, quod imminet mulieri, derivetur in vestes. Solebant enim vestes, & imagines interdum ex lana factas suspendere, in quas putabant iratos Manes bilem velut effundere, atque ipsis hominibus parcere.

Et totum, &c. Et mala totius anni avertat illa donatio vestium facta sacerdoti, & quasi consecratio.

Hybernum, &c. Jubente sacerdote illo, mulier timida, & superstitiosa ter se lavabat in Tiberi per hyemē.

Vorticibus. Fluctibus.

Superbi, &c. Id est, campum Martium, qui priùs ager Tarquinii superbi fuerat; Marti posteà a Bruto consecratus.

Cruentis, &c. Percurret rependo nudis genibus, & ob varia offendicula cruentatis.

Si candida, &c. Si à sacerdote dicatur Jo, hoc jubere. Fuit illa Inachi filia; quæ à Jove in candidam vaccam mutata, mox pristinæ formæ restituta, Isis dicta est, & ab Ægyptiis culta fuit, necnon à Romanis posteà: vide Ovid. lib. 1. Meta.

A Meroe, &c. Sensus est: afferet aquam Niliacam, quam spargat in templo Isidis, quod est propè campum Martium) etiam petenda illa foret ab extrema Africa. Est enim Meroe insula, quam Nilus efficit in Æthiopia. Aquas calidas vocat, quia est illa insula sub Zona torrida, ubi ardere omnia veteres putabant.

Antiquo, &c. Ovile locus erat in campo Martio; sic dictus, vel, quòd ibi Remus, & Romulus oves olim pavisse dicerentur; vel, quòd Tarquinii Priscus, & Superbus, Romani reges, ibi armenta sua olim habuerint: unde & antiquum ovile appellat.

Cre-

Credit enim ipsius dominæ se voce moneri:
En animam, & mentem, cum qua Dii nocte loquantur!
Ergo hic precipuũ, summumq; meretur honorẽ,
Qui grege linigero circumdatus, & grege calvo,
Plangentis populi currit derisor Anubis.
Cùm dedit ille locum; cophino, fœnoque relicto,

Credit enim, &c. Credit enim ab ipsa Iside omnia imperari, quæ sacerdotes jubent; vel, se in somnis ab Iside moneri.

En animam, &c. Ironia est in sacerdotẽ. Dignũ enimverò hominem, cum quo loquantur nocte Dii, quem de futuris admoneant! vel, in ipsam mulierẽ, quę se ab Iside cõpellari noctu credat.

Ergo hic, &c. Sensus est: igitur inter eos, qui mulieres superstitione illigatas tenent, precipuè colitur hic Isidis sacerdos, quem putant colloquia cum Iside habere. Proximus ab illo est Judæus, vel, Chaldæus aliquis.

Qui grege, &c, Describitur sacerdos Isidis. Ille nimirum, qui cum sacrificulis suis, linea indutis veste, (ita enim solebant Isidis sacerdotes) & rasum caput habentibus currit per urbem, populum sequentem, & plangentem, ejusque superstitionem in sinu ridens.

Plangentis. Apis, vitulus erat certis notis insignitus, Ægyptiorum Deus primarius. Hunc annorum aliquo exacto spatio mactabant sacerdotes, alterum vitulum currentes, plangentesque perquirebant: lugebat Ægyptus tota, tondebant omnes caput, donec similis vitulus reperiretur.

Currit. Ejusmodi cęremoniam, & vituli investigationem, sacerdotes Isidis Romæ certis temporibus imitabantur.

Anubis. Hoc in loco nomen est istius sacerdotum antistitis. Eodem nomine appellabatur Deus quidam Ægyptiorum, quem pingebant capite canino, &c.

Cùm dedit, &c. Postquam abiit sacerdos Isidis ex alicujus superstitiosæ mulieris domo: ex Aricina sylva venit Judæus, & furtim, quasi sacro quodam, & religioso tremore percitus, aliquid superstitiosum illi in aurem insusurrat, ut ab ea extorqueat nummos.

Cophino, &c. Idest, relicta suppellectile in sylva Aricina, ubi judæi ejecti Roma degebant. Sunt, qui dicant cophinum, & fœnum à Judæis ferri solita, non tam ob egestatem, quàm ex instituto, & religionis causa, quasi monumenta toleratæ servitutis in Ægypto, ubi fæces, & stercora è civitatibus cophino, seu corbe, exportare cogebantur, atque paleas, fœnum, & stipulas colligere, ad lateres

Arcanam Judæa tremens mendicat in aurem,
Interpres legum Solymarum, & magna sacerdos
Arboris, ac summi fida internuntia Cœli;
Implet & illa manum, sed parciùs: ære minuto,
Qualiacumque voles, Judæi somnia vendunt.
Testamentum ingens spondet, pulmone columbæ
Tractato, Armenius, vel Comagenus haruspex;
Pectora pullorum rimatur, & exta catelli,
Interdum & pueri; faciet, quod deferat ipse.
Chaldæis sed major erit fiducia: quidquid
Dixerit astrologus, credent à fonte relatum

res conficiendos.

Judæa. Judæi sacerdotes.

Solymarum. Judaicarum.

Sacerdos arboris. Alludit ad Dodoneos sacerdotes, qui responsa velut ex quercubus fatidicis deprompta reddebant. Ita illi Judæi, in Aricina sylva habitantes, e suis arboribus videbantur oracula promere.

Summi fida, &c. Promittit se arcana, solis Superis cognita, ut fidelem interpretem, revelaturum.

Implet, &c. Judæi divinationibus suis lucrum faciunt, & implent manum suam; sed non tamen facilè, ac large, quàm sacerdotes Isidis, aut Chaldæi. Vel, mulier Romana, ac superstitiosa manum implet Judæorum, &c.

Ære minuto, &c. Exiguo pretio vendunt Judæi suas prædictiones, seu potiùs, somnia mera, & ea quidem ficta ad voluntatem consulentium, qualia optabis tu, qui eos consulis, &c.

Testamentum, &c. Haruspex, idest, sacerdos, qui ex hauræ idest, victimæ visceribus aspectis, consultisque, prædicit futura, spondet alicui obventuram opimam hæreditatem, postquam aspexit, & tractavit; versavitque in omnem partem pulmonem columbæ à se immolatæ.

Armenius, &c. Armenia est in Asia, inter montes, Taurum, & Caucasum. Comagena verò est pars Syriæ, supra Ciliciam, in ortum excurrens usque in Mesopotamiam, à qua dividitur Euphrate fluvio.

Rimatur. Scrutatur.

Exta. Viscera, intestina.

Catelli. Exigui canis.

Interdum, &c. Immò non dubitabit puerum aliquem, fortè filium ipsius, à quo consulitur, interficere, ut illius exta consulat: facietque homicidium, cujus posteà ipse delator, & accusator erit.

Chaldæis. Astrologis Babyloniis, & Syris, fides à superstitiosa muliere major habebitur.

Credent. Putabunt illud ab ipso Jove Ammone pronuntiatum: illinc enim petuntur nunc oracula, quæ nul-

Ammonis; quoniam Delphis oracula cessant,
Et genus humanum damnat caligo futuri.
Præcipuus tamen est horum, qui sæpiùs exul,
Cujus amicitià, conducendàque tabellà,
Magnus civis obit, & formidatus Othoni.
Inde fides arti, sonuit si dextera ferro,
Lævaque; si longo castrorum in carcere mansit.

nulla jam eduntur Delphis.

Ammonis, &c. Jovis Ammonis. qui in Lybia sub arietis specie colebatur, in templo, propè quod erat fons sacer. Dicitur illud conditum à Baccho, quia, cùm siti perirent ejus milites in arenosis Lybiæ desertis, ab occurrente ariete deducti sunt ad fontem; quo reperto, aries non ampliùs visus est: quare Jovem esse arbitrati sunt, qui filio Baccho opē ferret.

Delphis. Oppido Phocidis in Græcia, ubi templum, & oraculum erat Apollinis. Hoc oraculum defecit, ac siluit nato Christo. Vide Plut. de def. orat.

Et genus, &c. Sensus est: homines ignorant futura: vel, ignoratio futuri homines vexat, & anxios habet, quasi ea pœna ob scelera damnatos.

Qui sępiùs, &c. Qui ob scelera, vel ob vaticinia, sæpe exulaverit: ut Ptolemæus ille (de quo agit Tacitus llib. 1. histor.) qui Othoni, in exilium à Nerone misso, & graviora metuenti, affirmavit eum Neroni fore superstitem, immò imperaturum: quod alter mathematicus nomine Seleucus, eidem confirmavit

Cujus, &c. Cujus Ptolemæi, vel Seleuci, amicitia erga Othonem, & pretiosa illa tabella, qua Imperium ipsi prædixerat, causa fuit, cur Galba interficeretur.

Conducendàque. Idest, digna, quæ magno pretio ab Othone emeretur, utpote quæ imperium ipsi promitteret.

Tabellà. Charta, in qua scripserat Ptolemæus, vel Seleucus, ea, quæ ex syderum inspectione de fortúna Othonis, & fato, ex astris coniiciebat.

Magnus civis. Sergius Galba, septimus Romanorum Imperator, Othonis æmulus, eique idcircò invisus, & formidatus: quem magnum civem appellat, fortè quia vir optimus fuit, & Reipublicæ amantissimus.

Obit. Pro, obiit. Hinc producitur ultima syllaba ob syncopen.

Inde fides, &c. Faciliùs creditur alicui mathematico, si fuit aliquando in vincula coniectus: si manus ejus ferreis catenis vinctæ sonuerunt.

Castrorum, &c. Scilicet, si

Nemo Mathematicus genium indemnatus habebit:
Sed qui pœne perit, cui vix in Cyclada mitti
Contigit, & parva tandem caruisse Seripho.
Consulit ictericæ lento de funere matris,
Ante tamen de te Tanaquil tua: quando sororem
Efferat, & patruos: an sit victurus adulter
Post ipsã: quid enim majus dare numina possunt?
Hæc tamen ignorat, quid sidus triste minetur
Saturni, quo læta Venus se proferat astro,
Qui mensis damno, quæ dentur tempora lucro.

quis astrologus alicui duci exercitus victoriam promitteret, detinebatur sæpe in castrorum carcere, donec rei eventus veritatem prædictionis comprobasset.

Nemo, &c. Nemo creditur genium, sive animum præscium, & scientiam futuri habere, qui non fuerit damnatus ob suas vaticinationes.

Sed qui pęnè, &c. Sed ille felix in divinando, & certus creditur, qui pęnè morti addictus fuit, idque instar beneficii vix obtinuit, ut in insulam aliquam è Cycladibus, putà Seriphum, mitteretur in exilium; & ab ea tandem revocaretur.

Consulit, &c. Uxor tua astrologos consulit de morte matris suæ, quam ictero laborantem lentiùs, & tardiùs mori dolet: sed tamen priùs de tua, quàm de matris morte consulit.

Ictericę. Ictero laborantis Icteros, ut Græci vocant, & aurugo, ut Latini, est morbus colorem flavum inducens vultui, ob fel, seu bilem toto corpore diffusam.

Tanaquil tua. Tanaquil fuit uxor Tarquinii Prisci, Romanorum Regis, astrologiæ studiosissima: ponitur hoc in loco pro qualibet uxore, scientię istius curiosa.

Efferat. Sepeliat.

Quid enim, &c. Hoc in votis habet, hoc unicè a Diis petit, ut adulterum superstitem relinquat.

Hęc tamen. Tamen ista mulier astrologiæ perita non est: ignorat malignam Saturni vim, faustam Veneris: qui sint damnosi, & infausti menses, qui fausti, & auspicati.

Saturni. Distat à terra longissimè frigidum sidus, & ut ajunt, maleficum.

Venus. Locum inter planetas sextum obtinet: circa Solem volvitur cum Mercurio. Si cum Luna jungatur, salutare sidus est pueris nascentibus, teste Tullio lib. 1. de Divin.

Qui mensis. Certos dies, mensesque faustos, & bene ominatos putabant: alios contrà. Lege Virgil. 1. Georg. ver. 276.

Il-

Illius occursus etiam vitare memento,
In cujus manibus, ceu pinguia succina, tritas
Cernis ephemeridas; quæ nullum consulit, & jam
Consulitur, quæ, castra viro, patriamque petente,
Non ibit pariter, numeris revocata Thrasylli.
Ad primum lapidem vectari cùm placet, hora
Sumitur ex libro; si prurit frictus ocelli
Angulus, inspecta genesi, collyria poscit.
Ægra licèt jaceat, capiendo nulla videtur
Aptior hora cibo, nisi quam dederit Petosiris.
Divitibus responsa dabit Phryx augur, & Indus
Conductus dabit, astrorum, mundique peritus,

Illius, &c. Si carere debes, ne ducas mulierem astrologiæ deditam, licèt ejus imperitam: debes ipsum occursum ejus fugere, quæ artem hanc profitetur, & callet.

Tritas. Crebro attritu pingues, & pellucidas, quale est electrum, seu succinum.

Ephemeridas. Libellos, in quibus notatur, quæ sit astrorum singulis diebus collocatio, motus, compositio cum aliis sideribus, & ordo. Significat etiam ephemeris, diarium, sive commentarium, in quem refertur quid quoque die gestum sit, ἐπί, in, per: ἡμέρα, dies.

Consulitur. Quasi magistra, & divinandi scientissima.

Quæ castra, &c. Quę maritum castra, aut patriam petentem non comitabitur, impedita Thrasylli computationibus, divinationibus, vaticiniis. Fuit is nobilis astrologus; qui Tiberii tempore florebat.

Ad primum, &c. Idest, si velit curru vehi, vel ad unum usque ab Urbe milliare, milliaria enim singula lapide notabantur; ita ut primus lapis primum milliarium significaret, secundus secundum, &c.

Hora sumitur, &c. Consulit ephemerides, qua hora proficiscendum sit.

Si prurit, &c. Si dolet angulus oculi, attritus fricando, & exasperatus: inspicit genesim, hoc est, natalem diem suum, & horam, sive horoscopum, antequam petat, & admoveat collyria, idest, remedia, quæ curandis oculorum morbis vulgò adhibentur. Quasi dicat illam vel in rebus minimis astrologiã consulere.

Petosiris. Idest, nisi quam præscripserit Petosiris, Astrologus Ægyptius, nisi quæ in ejus notata libris fuerit.

Divitibus. Mulieribus ditioribus dabit responsa, & quasi oracula pronunciabit aliquis augur e Phrygia, Phryges auguriis maximè erant dediti.

Indus. Dabit etiam res-

Atque aliquis senior, qui publica fulgura condit.
Plebejum in circo positum est, & in aggere fatum
Quæ nullis longum ostendit cervicibus aurum,
Consulit ante Phalas, Delphinorumque columnas
An saga vendenti nubat, caupone relicto.
Hæ tamen & partus subeunt discrimen, & omnes
Nutricis tolerant, fortuna urgente, labores:
Sed jacet aurato vix ulla puerpera lecto,
Tantum artes hujus, tantum medicamina possunt,
Quæ steriles facit, atque homines in ventre necandos
Conducit. Gaude infelix, atque ipse bibendum

sponsa Indus aliquis, mercede ad id conductus, &c.

Qui, &c Denique aliquis è senioribus Romani sacerdotibus, qui solent condere, & claudere loca fulmine percussa. In iis locis aram excitabant, bidentes mactabant, spatium claudebant aliqua sepe, aut parietina; denique res tactas fulmine humo defodiebant, addita quadam prece: hoc vocabatur fulmina condere. Vide Pers. sat. 2.

Publica. Quæ putabantur calamitatem publicam portendere.

Plebejum, &c. Plebejæ, & infimæ sortis mulieres fata sua èxquirunt ab hariolis, in circo, & platea publica versantibus, aut in aggere Tarquinii, qui nempe ab Esquilina porta ad Collinam munitus, & ductus fuit à Tarquinio superbo.

Quę, &c. Quæ mulier non fert aureum in collo torquem. Nullis cervicibus ferre, pro, non ferre in cervicibus: sic, nullus dubito, pro, non dubito.

Phalas Consulit Astrologum vilem ante Phalas. Phalæ sunt ligneæ turriculæ, & fabricæ, quæ in circo ad spectandum extruebantur. Erant ad ejusdem circi ornatum columnæ marmoreæ, & iis impositi Delphines è saxo; propè quas columnas versabãtur isti plebeii astrologi, & tralatitii.

An saga. Consulit, an debeat nubere potiùs venditori sagorum, quàm cauponi alicui. Saga sunt pallia militaria.

Hęc tamen, &c. Tamen istæ mulieres infimæ sortis, labores partus, & pericula perferunt, necnon molestias alendæ prolis, nutrices ipsæ sunt, inopia cogente. At nobilem feminam, & divitem vix reperias, quæ vivos infantes in lucem edat.

Tantum, &c. Adeò præsentia sunt veneficarũ pharmaca, quæ aut sterilitatem afferunt, aut fætus in alvo materna interficiendos pacta mercedē suscipiunt.

Gaude Ne dubita, o marite infelix, dare uxori poculum,

Porrige quicquid erit. Nam si distendere vellet,
Et vexare uterum pueris salientibus, esses
Æthiopis fortasse pater: mox decolor hæres
Impleret tabulas, nunquam tibi mane videndus.
Transeo suppositos, & gaudia, votaque sæpe
Ad spurcos decepta lacus, atque inde petitos
Pontifices salios, Scaurorum nomina falso
Corpore laturos. Stat Fortuna improba noctu
Arridens nudis infantibus, hos fovet omnes,
Involvitque sinu: domibus tunc porrigit altis,
Secretumque sibi mimum parat. Hos amat, his se
Ingerit, atque suos ridens producit alumnos.
Hic magicos affert cantus, hic Thessala vendit

culum, etiam si prolem eo necandā suspiceris: immò, præclarè tecum agi puta.

Nam, si. Si enim uterum ferre vellet uxor tua, & maturum fœtum in lucem edere, pareret tibi Æthiopem, adulterio conceptum.

Salientibus. Cùm se in utero materno commovent.

Mox &c. Deformis infans, quem mane obvium habere nolles, tibi scribendus hæres in testamento foret.

Mane. Si qua res fœda, & sordida, prodeuntibus domo mane occurreret, id in sinistri ominis loco ducebant.

Transeo, &c. Nihil dico de partubus suppositiis, cùm feminæ pro legitima prole, quam ipsarum viri natam optabant, gaudebantque, spurium infantem è lacu Velabrensi sumunt, spemque maritorum, & vota turpiter deludunt.

Lacus. Erat Romæ lacus Velabrensis, ita dictus à Velabro, urbis regione; spurcus, ac cœnosus, ob viarum sordes eò derivari solitas. Ibi meretrices deponebant suos partus; quos matronæ nobiles aliquando tollebant, ac pro suis educabant.

Petitos. Sumptos ex hoc lacu pueros, qui posteà cooptabantur in collegium Saliorum Erant illi Martis sacerdotes, opulenti, ac nobiles. De Scauris facta mentio Sat. 2.

Improba. Proterva. Jocosa.

Mimum. Risum captat ex his infantibus, quos sordido loco natos introducit in domos nobilium. Mimus quid sit, vide Sat. v.

His se ingerit. Sua prolixè dona largitur.

Produxit. Quasi in orbis theatrum, illustrem acturos personam.

Hic magicos, &c. Invehitur in magicas artes mulierum. Hic, inquit, hoc est, magus aliquis, & incantator, incantamenta mulieri propon it, quibus illa sceleris aliquid moliatur.

Hic Thessala, &c. Alter

Philtra, quibus valeat mentem vexare mariti:
Inde animi caligo, & magna oblivio rerum,
Quas modò gessisti: tamen hoc tolerabile, si non
Et furere incipias, ut avunculus ille Neronis,
Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli
Infudit. Quæ non faciet, quod Principis uxor?
Ardebant cuncta, & fracta compage ruebant;
Non aliter, quàm si fecisset Juno maritum
Insanum: minùs ergo nocens erit Aggrippinæ
Boletus; siquidem unius præcordia pressit
Ille senis, tremulumque caput descendere jussit

quispiam veneficus philtra vendit, hoc est, potiones amatorias. Thessalas vocat, quia Thessalia olim veneficiis, & magicis artibus fuit famosa.

Mentem vexare, &c. Maritos dementes reddere, insanos præ amoris impotentia facere.

Inde animi, &c. Ex his philtris fit maritus quasi stupidus, & amittit memoriam rerum recentissimarum.

Avunculus, &c. Caligula, tertius Romanorum Imperator, Agrippinæ matris Neronis frater; qui ab uxore Cæsonia creditur potatus amatorio quodam medicamento, quod eum in furorem verterit.

Tremuli, &c. Idest, caruunculam è fronte recens nati, nec dum pedibus insistere valentis, pulli equini decerptam, quod vocant, hippomanes, ipsi in jusculum infudit. Porrò hippomanes in veneficiis, philtrisque conficiendis, valere plurimùm dicebatur.

Quæ non, &c. Quænam privata mulier non audebit facere, quòd Imperatoris uxor fecit?

Ardebant. Caligula in furorem verso, deflagrabat totum Imperium, idest, perturbatum, & veluti ruptis compagibus, quibus continebatur, dissolutum est: sævitiam enim ille incredibilem in omnes exercuit.

Non secus, &c. Eodē modo totus orbis erat perturbatus, quo fuisset, si Juno Jovē per aliquod ejus odi Philtrū de statu mentis dejecisset, atq; ad insaniā adegisset

Minùs ergo, &c. Minùs igitur peccavit Agrippina, uxor Claudii Imperatoris, dum maritum boleto venenato interfecit, quàm Cæsonia, quæ Caligulam, philtro dato, in insaniam egit, & vivere illum passa est in Romanorum exitium.

Siquidem, &c. Siquidem unus tantùm senex illo boleto extinctus est: isto autem Cæsoniæ poculo totus Romanus orbis pessūdatus.

Descendere, &c. Quia inter Deos relatus est Claudius.

In cœlum, & longa manantia labra saliva.
Hæc poscit ferrum, atque ignes, hæc potio torquet,
Hæc lacerat mixtos Equitum cum sanguine Patres.
Tanti partus equæ, tanti una venefica constat.
Oderunt natos de pellice, nemo repugnet,
Nemo vetet: jam, jam privignum occidere fas est.
Vos ego, pupilli, moneo: quibus amplior est res,
Custodite animas, & nulli credite mensæ:
Livida materno fervent adipata veneno.
Mordeat ante aliquis quidquid porrexerit illa,
Quæ peperit; timidus prægustet pocula pappas.

Et longa,&c. Erat enim Claudius tremulo capite, spumante rictu, humentibus naribus, &c. *Sveton.*

Hęc poscit,&c. Sensus est: hæc autem potio, & philtrum Cæsoniæ, Caligulam in furiosam crudelitatē impulit, fecitq; ut ille ferrum, & ignē expediret in Senatores & Equites Romanos.

Tanti,&c. En quæ mala unum venenatum poculum, ex equini pulli caruncula confectum, en quot clades una mulier venefica orbi intulit!

Oderunt, &c. Concedamus illis, ut oderint filios, quos ipsorum maritus è pellice susceperit. Eo contentæ non sunt: jam sibi fas esse putant filios sui mariti è legitima, & mortua conjuge priori natos occidere.

Privignum. Filium è priori matrimonio susceptum. Idem est fermè, ac pupillus; hoc differt, quod pupillus significat orbatum patre, vel matre puerum.

Amplior est res. Ampla patrimonia.

Custodite, &c. Idest cavete vobis diligenter, & timete ab omni ferculo, cùm ubique sit periculum veneni.

Livida materno,&c. Pinguia, & opima quæque fercula nigra sunt, & livida ob venenum, quod iis matres vestræ admiscuerunt.

Illa, quę peperit. Ipsa mater, quæ vos veneno vult tollere, ut bonis vestris locupletata, alteri marito nubat. Vel, quæ peperit, id est, quæ habet alium filium ex se natum, cui velit consulere, vobis è medio sublatis, ut è vestris ille ditescat spoliis.

Pappas. Altor aliquis, & custos pupilli, de ipsius salute solicitus.

Fingimus hæc, altum satyra sumente cothurnum,
Scilicet, & finem egressi, legemque priorum,
Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu,
Montibus ignotum Rutulis, cæloque Latino.
Nos utinam vani! sed clamat Pontia; Feci,
Confiteor, puerisque meis aconita paravi,
Quæ deprehensa patent; facinus tamen ipsa peregi.
Tùne duos una sævissima vipera cœnà?
Tùne duos? septem, si septem fortè fuissent.

Fingimus, &c. Aliquis fortasse obiiciet mihi, dicetque, ea fingere me, & tragicè describere, quæ nunquam gesta fuerint. Sed nimiùm vera non essent, quæ de impiis matribus dicimus.

Cothurnum. Cothurnus est calceamenti genus altioris, quo utebantur tragici actores: hìc sumitur pro stylo altiori, & tragico.

Scilicet, & finem &c. Progredimur scilicet ultra legem, & morem poetarum veterum satyricorum, qui nonnisi res veras, & minimè fabulosas in satyris suis persecuti sunt: nos verò eodem impetu, ac stylo, quo Sophocles, nobilis ille Græcorum tragædus usus est jactamus nos, more tragicorum, in rebus diris, fictisque describendis, quæ Romanis prorsus ignotæ sunt.

Bacchamur. Idest, furore quodam poetico perciti, instar Bacchantium, magno clamore, & plenis faucibus insectamur.

Montibus Rutulis. Montibus Romanis: Romæ, in qua septem exigui montes: Toti Italiæ, quæ montibus aspera. Rutuli enim populi fuerunt Italiæ, quorum Rex olim Turnus fuit.

Nos utinam, &c. Utinam vana, & ficta loqueremur! sed fatetur Pontia se id sceleris admisisse.

Pontia. Pub. Petronii filia, Vectii Bolani uxor, quæ duos ex Bolano filios veneno sustulit, ut adultero nuberet: idque, detecto scelere, profiteri palàm coacta est.

Aconita. Aconitum est herba inter saxa nascens, quæ venenum habet præsentissimum.

Tùne duos, &c. Tùne, inquit Poeta, ò mulier omni vipera crudelior, filios duos una cœna interemisti?

Vipera. Viperæ matrem dicuntur enecare, & alvo illius rupta, in lucem prodire.

Septem, &c. Responsio Pontiæ: Immò septem interfecissem, si mihi septem fuissent.

Cre-

Credamus tragicis, quidquid de Colchide torva
Dicitur, & Procne: nil contra conor; & illæ
Grandia monstra suis audebant temporibus, sed
Non propter nummos: minor admiratio summis
Debetur monstris, quoties facit ira nocentem
Hunc sexum: rabie jecur incendente, feruntur
Præcipites, ut saxa jugis abrupta, quibus mons
Subtrahitur, clivoque latus pendente recedit:
Illam ego non tulerim, quæ computat, & scelus ingens
Sana facit. Spectant subeuntem fata mariti
Alcestim: & similis si permutatio detur,
Morte viri cupiant animam servare catellæ.

Credamus, &c. Poetę verba sunt: Jam, inquit, non sunt incredibilia, quæ narrantur à poetis tragicis de Medea, &c.

Colchide. Medea, quæ relictam se ab Jasone videns, liberos ex eo susceptos coram ipso trucidavit. Dicitur Colchis, quia fuit filia Æetæ, Colchorum, qui Asiæ populi sunt, Regis.

Procne. Filia Pandionis, Atheniensium Regis, quæ Ityn filium coctum Tereo viro suo apposuit, ut ulcisceretur injuriam, sorori suæ Philomelæ ab eodem Tereo illatam.

Nil contra conor. Nihil affero in contrarium, ultro assentior illis portentis, quæ narrantur de Medea, &c.

Grãdia monstra. Idest, ingentia scelera, & à natura maximè abhorrentia.

Propter nummos. Non avaritia incitatæ.

Minor, &c. Non adeò mirandum nobis videri debet monstra quædam scelerum edi à mulieribus, quoties iracundia incitatæ illa committunt.

Rabie, &c. Stimulante iracundia, veluti præcipites aguntur in omne facinus; non secus ac prærupta saxa, & è montibus decisa, cùm unum latus montis in declivi, & præcipiti positum revellitur ab toto corpore, & recedit.

Computat. Deliberat, quo pacto scelus exequatur; rationem secum init faciendi sceleris.

Sana. Prudens, mentis compos, non ex ira, aut aliqua animi perturbatione.

Spectant, &c. In ludis theatralibus repręsentatam vident Alcestim, pro marito suo morientem. Hæc Peliæ, Regis Thessaliæ, filia fuit, & uxor Admeti: qui cùm morti jam proximus ex oraculis didicisset sanari se non posse, nisi pro ipso mortem vellet aliquis oppetere, cæteris recusantibus, Alcestis uxor sponte se morti obtulit.

Et similis, &c. Si se daret occa-

Occurrent multæ tibi Belides, atque Eryphilæ:
Mane Clytemnestram nullus non vicus habebit:
Hoc tantùm refer, quòd Tyndaris illa bipennem
Insulsam, & fatuam dextra, lævaque tenebat:
At nunc res agitur tenui pulmone rubetæ,

occasio, ut simili permutatione vitam mariti servarent sua morte; ut alterius cujuspiam nece redimenda esset mariti vita; redimerent vitam catellę morte viri, idest, mallent mori virum, quàm caniculum.

Occurrent, &c. Reperientur multæ mulieres, quæ, similes Belidibus, & Eryphilæ, maritos suos interfecerint.

Belides. Quinquaginta filiæ Danai, quæ una nocte maritos suos, jussu patris, interfecerunt, una dumtaxat excepta, quæ marito suo pepercit. In tanti pœnam sceleris doliū pertusum perpetuò implere aqua dicuntur apud Inferos. Vocantur Belides ab avo Belo, qui Rex Ægypti fuit; Danaïdes, à patre Danao.

Eryphila, &c. Eryphila vatem Amphiaraum, maritum suum, monili à Polynice corrupta, prodidit. Is in latebris se abdiderat, ne ad bellum Thebanum iret, ubi periturum se prævidebat, & periit revera, discedente terra absorptus cum ipso curru.

Mane, &c. Sensus est: non est, quòd diù expectes; cras mane reperies in omnibus vicis uxores, à quibus viri fuerint interfecti; ut Agamemnon, e bello Trojano rediens, à Clytemnestra, in gratiam Ægysthi adulteri, interfectus est.

Hoc tantùm, &c. Est hoc dumtaxat discrimen inter Clytemnestram, & hujus ævi mulieres, quòd illa stolidè sumpsit securim ad interficiendum maritum; istæ verò clam veneno suos viros tollant.

Tyndaris. Clytemnestra, Tyndari filia.

At nunc &c. Non jam utuntur ferro mulieres ad necandos maritos, sed veneno ex ranæ rubetæ pulmone facto, clam, & tutius id faciunt: paratæ tamen, & ferro maritos cōficere, si se aliquo medicamine tutos à veneno illi præstiterint.

Si prægustaret, &c. Idest, si maritus præmuniret se antidoto, quali usus est Mithridates, qui adversus venena invenit antidotum, quod ipsius nomine Mithridaticum appellatur. Ponti vocat medicamina, quia Mithridates Rex fuit Ponti, (quæ regio est Asiæ) ubi per annos ferè quadraginta bella cùm Romanis gessit, terque ab illis victus est, nēpè à Sylla, Lucullo, & Pōpejo, cùm obsessus à filio Pharnace necem sibi afferre

Sed tamen & ferro; si prægustaret Atrides
Pontica ter victi cautus medicamina Regis.

re non potuisset veneno, cui assueverat, jugulandum se militi obtulit.

Atrides, Significat in hoc loco maritum quemlibet, cui uxor infensa sit, ut Clytemnestra Agamemnoni Atridæ, idest, Atrei filio.

SATYRA VII.

In litterarum contemptores.

ET spes, & ratio studiorum in Cæsare tantùm;
Solus enim tristes hac tempestate Camœnas
Respexit, cùm jam celebres, notique poetæ
Balneolum Gabiis, Romæ conducere furnos
Tentarent; nec fœdum alii, nec turpe putarent
Præcones fieri, cùm desertis Aganippes
Vallibus, esuriens migraret in atria Clio.

Et spes. Eruditi nullam habent jam spem alicujus utilitatis è litteris consequendæ; nullam rationem, cur litteras colant, nisi in Cæsaris liberalitate, & benevolentia.

Cæsare. Domitiano: qui, quamvis esset crudelis, & flagitiosus, litteratis tamen favebat, iisque præmia publicè constituit. Vide Suet. cap. 4. Adde, quòd sub Domitiano vixit paris, de quo fit mentio in hac Satyra, & Statius, qui suam eidem Imperatori Thebaidem inscripsit.

Tristes, &c. Idest, neglectos, & inopes poetas miseratus est.

Cùm jam, &c. Cùm inopia coacti poetæ celeberrimi, Romæ, & in aliis oppidis Italiæ, jam cogitarent de danda opera sordidis artibus, v. g. balneariæ, & furnariæ, ut ex iis victum sibi quærerent.

Gabiis. Gabii, oppidum Italiæ vetus, in via Prænestina.

Furnos conducere. Pecuniam accipere pro calefaciendis furnis, vel, pro coquendo in illis pane.

Cùm desertis, &c. Sensus est: cùm esurientes Musæ relicto Parnasso, & amœnis vallibus, quæ sunt propè Aganippem; hoc est, cùm miseri poetæ, relictis carminibus, ad victum quærendum conferrent se in atria.

Aganippes. Aganippe, fons est Bęotię, Musis sacer.

In atria. In atria divitum, ut eorum essent clientes, ut ab iis nummorum aliquid, aut sportulam peterent. Vel, atria Licinia in-

Nam, si Pieria quadrans tibi nullus in umbra
Ostendatur, ames nomen, victumq; Machæræ,
Et vendas potiùs, commissa quod auctio vendit
Stantibus, œnophorum, tripodes, armaria, cistas,
Halcyonem Bacchi, Thebas, & Terea Fausti.
Hoc satius, quàm si dicas sub judice, Vidi,
Quod non vidisti: faciant Equites Asiani,
Quamquam, & Cappadoces faciant, Equitesque Bithyni,

telligit, locum in foro, quò convenire solebant præcones, & ubi auctiones fiebant.

Clio. Est una è Musis: significatur poeta quilibet, Musarum cultor.

Nam si &c. Si enim tu, colendis Musis, & litteris, nihil lucrifacis, & arca tua manet semper vacua; præstat tibi esse præconem, qualis est Machæra, præco ille celebris.

Pieria in umbra. Idest, in colendis studiis, in frequentandis Musarum montibus. Legunt alii, *Pieria in arca*; per quam hic intelligit hominis eruditi arcam. Pierus, est mons Græciæ, Musis sacer, quæ ab illo mōte Pierides appellantur.

Quadrans. Idest, ne minima quidem pecunia: quadrans enim est quarta pars assis.

Commissa, &c. Idest, præsis auctionibus, & quæ tibi commissa erunt, vendas. Præco enim auctioni præerat, & res sibi commissas publicè vendebat: unde dicitur ipsi commissa auctio.

Stantibus. Emptoribus circumstantibus.

Oenophorum. Vas vinariũ.

Armaria, cistas. Loculos, capsas, ubi libri, aut aliæ res reponuntur.

Halcyonen. Bacchi, vilis poetæ, tragœdiam de Halcyone, Ceycis uxore; quæ cùm mariti cadaver ad littus ejectum vidisset, in mare se dejecit, & in avem conversa est halcyonen, qua nidificante, mare semper tranquillum esse dicitur. Ovid. lib. 11 Metam.

Thebas, &c Fausti, vilis poetæ, tragædiam de rebus Thebanis; de Oedipo, Lajo, Etheocle, & Polinice, &c. nota est historia. Item ejusdem tragœdiam de Tereo, Rege Thracię, marito Procnes, de quo dictum est Sat. 6. sub finem. Vide Appendicem nostram Ovidianam.

Hoc satius, &c. Te præconem esse præstat, quàm falsum testem.

Sub judice. Idest, coram.

Hoc faciant. Dicant sanè falsum testimonium. Opes ita quærant.

Equites, &c. Servi ex Asia, Cappadocia, &c. deducti in Italiã, jam Equites Romani facti: quare illos per cō-

tem-

Altera quos nudo traducit Gallia talo.
Nemo tamen studiis indignum ferre laborem
Cogetur posthac, nectit quicumque canoris
Eloquium vocale modis, laurumque momordit.
Hoc agite, ò juvenes: circumspicit, & stimulat vos,
Materiamque sibi Ducis indulgentia quærit.
Si qua aliunde putas rerum expectanda tuarum
Præsidia, atque ideò croceæ membrana tabellæ
Impletur; lignorum aliquid posse ocyùs, & quæ
Componis, dona Veneris, Telesine, marito;

temptùm Equites Asianos vocat. Porrò Cappadocia, Bithynia, & Galatia, &c. regiones sunt Asiæ minoris, unde servi frequentes Romam advehebantur; ubi per malas artes ad primos Republ. honores emergebant.

Altera &c. Qui ex Galatia Romam, nudis ob inopiam pedibus, venales olim traducti, seu, transvecti sunt. Galatiam, quia nempe profecti in Asiam Galli regionem illam incoluere.

Indignum &c. Nemo Poeta in posterum cogetur ob egestatem exercere artes indignas, hoc est, indecoras hominibus doctis.

Nectit &c. Quisquis versus facit, qui orationem eloquentem, & sonoram astringit numeris.

Laurum. Qui honorem lauri, & gloriam artis Poeticæ degustavit: vel, qui est poesi initiatus, & sacer Apollini: laurus enim Phœbo sacra est; & si quis ejus folia dentibus tereret, is furorem poeticum faciliùs concipere credebatur.

Hoc agite. Incumbite jam, ò vates, in poeticam sedulò, & acriter.

Circumspicit &c. Imperator vos incitat ad scribendum, nihilque aliud expectat, quàm ut aliquos reperiat idoneos, in quibus remunerandis suam indulgentiam, & liberalitatem exerceat.

Si qua &c. O Telesine, (Poetæ nomen est, ad quem hanc satyram scribit) si mercedem studiorum tuorum, opemque aliunde, quàm à liberalitate Imperatoris expectas, & ea se fretus, libros imples carminibus; falleris, & rectiùs carmina tua, librosq; in ignem conjicias, quàm inani labore conficiaris.

Croceæ. In membranis scribebant Romani, quæ erant duplicis coloris: exterior pars erat lutei, seu crocei coloris, interior candidi.

Impletur. Supple, carminibus.

Lignorum &c. Ad ignem scilicet excitandum.

Marito Veneris. Vulcano, hoc est, igni.

Clude. Vox antiqua, pro, claude, inclusos in cista rreme, & absconde.

Ti-

Aut clude, & positos tinea pertunde libellos.
Frange miser calamos, vigilataque prælia dele,
Qui facis in parva sublimia carmina cella;
Ut dignus venias hederis, & imagine macra.
Spes nulla ulterior; didicit jam dives avarus
Tantùm admirari, tantùm laudare desertos,
Ut pueri Junonis avem. Sed defluit ætas
Et pelagi patiens, & cassidis, atque ligonis:
Tædia tunc subeunt animos; tunc seque, suamque
Terpsichoren odit facunda, & nuda senectus.
Accipe nunc artes, ne quid tibi conferat iste,
Quem colis, & Musarum, & Apollinis æde relicta.

Tinea. A blattis, ac tineis pertundi, seu perforari, patere.

Vigilataque &c. Carmina, quæ de bellis magno labore, multisque vigiliis, elucubrasti.

Hederis. Corona ex hederis, quæ poetis dari solebat.

Imagine macra. Statua aliqua, & imagine, quæ tibi nihil prosit ad inopiam tuam sublevandam; adeòque macra, & sterilis sit: vel, quæ repræsentet maciem tuam, contentione studii contractam.

Spes nulla &c. Nihil est ultra, quod speres, præter statuam, aut hederas: nihil nummorum spera.

Ut pueri &c. Ut pavonem mirantur pueri. Vocatur pavo avis Junonis, quia Junoni sacra erat; & ipsius caudæ centum Argi oculos inseruisse Juno dicebatur.

Sed defluit &c. Interim miseri poetæ vita, & robur perit, & conteritur sensim in studio inutili ætas, militiæ, & agriculturæ idonea.

Pelagi. Artis nauticæ.

Cassidis. Militiæ.

Ligonis. Agriculturæ.

Tunc. Cùm est senior; cùm videt optimam vitæ partem elapsam.

Terpsichoren. Idest, studia poetica: Terpsichore una est Musarum.

Facunda &c. Ipse poeta jam senex, inopsque, licet eloquens.

Accipe &c. Audi jam, quibus utatur artibus, ne tibi nummos tribuat dives ille, quem ut cliens quotidie, relicta Musarum æde, colis, sequerisque. Primò ipse versus facit, quos nempe tibi pro tuis versibus donet, quippe quos tuis nihilo deteriores credit.

Quem colis, &c. Quem ut colas, studia omittis, vel, relinquis commerciũ poetarum, qui solebant frequentes convenire in ædem Musarum, & in templum Apollinis Palatini, in cujus aditu bibliothecam Augustus extruxerat, à poetis frequentari solitam.

At-

Ipse facit versus, atque uni cedit Homero
Propter mille annos: at si dulcedine famæ
Succensus recites, Maculonus commodat ædes:
Ac longè ferrata domus servire jubetur,
In qua solicitas imitatur janua portas.
Scit dare libertos extrema in parte sedentes
Ordinis, & magnas comitum disponere voces.
Nemo dabit regum, quanti subsellia constant,
Et quæ conducto pendent anabathra tigillo,
Quæque reportandis posita est orchestra cathedris.

Atque uni &c. Uni Homero putat se cedere, patitur unum Homerum sibi anteferri.

Propter &c. Neque idcircò, quòd Homerus fuerit ingeniosior; sed quia mille annis est antiquior.

At si &c. Quòd si tu, ò poeta, velis tuos versus recitare publicè spe gloriæ impulsus, dives patronus domum suam ad id tibi commodabit.

Maculonus. Dives quispiam.

At longè &c. Tibi recitanti servire jubetur; hoc est, tibi commodatur domus à divite.

Ferrata &c. Superbiam notat divitum Romanorū, quorum januæ, ferreis obicibus, & pessulis undique clausæ, instar erant portarum obsessæ civitatis, & hostium metu solicitæ, hoc est, non minori diligentia custodiebantur.

Scit dare &c. Ille dives jubet in gratiam tuam, ut è suis libertis aliqui, in remotiori parte aulæ, in qua declamas tuos versus, & in ultimis ordinibus cathedrarum sedeant, qui quidem sint valentiori voce, & bonis lateribus, ut tibi identidem applaudant, cæterosque auditores exemplo suo ad plausum dandum excitent.

Comitum. Clientum, asseclarum.

Regum. Divitum patronorum.

Quanti &c. Pretium, quo conduxisti subsellia, & anabathra, hoc est, gradus, & scalas, quæ suspensæ sunt ad tigillum, seu trabem à te data pecunia conductam; per quas scalas ascendis ad suggestum unde declamas, *ἀνάβαθρον ab ἀναβαίνω, ascendo.*

Quæque &c. Nemo divitum tibi dabit, unde solvas orchestram, sive cathedras in orchestra positas; quæ, postquam poema tuum recitaveris, reportandæ erunt ad illos, à quibus eas conduxeras. Orchestra locus erat honoratior in aula, vel theatro, ubi nobiliores se-

Nos tamen hoc agimus, tenuique in pulvere sulcos
Ducimus, & littus sterili versamus aratro.
Nam si discedas, laqueo tenet ambitiosi
Consuetudo mali, tenet insanabile multos
Scribendi cacoethes, & ægro in corde senescit.
Sed vatem egregium, cui non sit publica vena,
Qui nihil expositum soleat deducere, nec qui
Communi feriat carmen triviale moneta:
Hunc, qualem nequeo monstrare, & sentio tantùm,
Anxietate carens animus facit, omnis acerbi
Impatiens, cupidus sylvarum, aptusque bibendis

sedebant. Vide Sat. 3.

Nos tamen &c. Sensus est: etsi nullus fructus sit laboris nostri, carmina tamen scribimus, & recitamus, sed tam inutiliter, quàm si araremus pulverem, aut littus. Arare littus, proverbii loco dicitur de labore inutili.

Nam si &c. Causam affert, cur nihilo minùs vates carmina faciant: si velis, inquit, omittere carmina, discedere à studiis, non potes: impediet te ambitio; & inveteratus, ac insitus amor poeticæ, (quem ambitiosum malum vocat) ut laqueo te constrictum tenebit, quominùs studium poetices possis relinquere.

Cacoethes. Mala consuetudo, morbus inveteratus, χωχὸς, *malus*; ἦθος, *mos*.

Senescit. Durat, ac perseverat.

Sed vatem &c. Sed excellens poeta esse nemo potest, nisi quem rei familiaris angustiæ non premunt.

Cui non sit &c. Cui ratio scribendi vulgaris non sit; qui non habeat ingenium vulgare. Vena ingenii dicitur, metaphora sumpta à fontibus, qui longo tractu, & quasi vena rivos deducunt.

Nihil expositum &c. Nihil humile, aut è trivio sumptum scribere; metaphora ducta à nentibus, qui tenui filo lanam dicuntur deducere.

Nec qui communi &c. Qui non vulgari stylo condat carmina: metaphora ducta à monetariis, qui notam, & signum nummis imprimunt.

Sentio tantùm. Cujus idem mente solùm concipio.

Anxietate &c. Idest, non evadit egregius vates, nisi animus ejus careat anxia solicitudine quærendi victus; oportet, ut nihil acerbum sit, quo vexetur, & in quo ferendò laboret.

Cupidus &c. Secessùs, & solitudinis amans.

Aptusque &c. Natura factus ad poesim. Aonia enim regio

Fontibus Aonidum: neque enim cantare sub antro
Pierio, thyrsumve potest contingere sana
Paupertas, atque æris inops, quo nocte, dieque
Corpus eget: satur est, cùm dicit Horatius, Evhoe.
Quis locus ingenio, nisi cùm se carmine solo
Vexant, & dominis Cyrrhæ, Nisæque feruntur
Pectora nostra, duas non admittentia curas?
Magnæ mentis opus, nec de lodice paranda
Attonitæ, currus, & equos, faciesque Deorum
Aspicere, & qualis Rutulum confundat Erynnis.
Nam, si Virgilio puer, & tolerabile deesset

regio est Bœotiæ, ubi multi sunt montes consecrati Musis; quæ Aonides inde dicuntur.

Neque enim &c. Sensus est; pauper, etiamsi corpore sit, & mente sanus, tamen poeta egregius evadere non potest.

Thyrsumve. Thyrsus hasta erat, pampinis, & hederis involuta, quam Bacchi comites, in cujus tutela poetæ sunt, gestabant, & agitabant; itaque thyrsum contingere, est esse in comitatu Bacchi, poetam esse.

Sana. Sobria, & jejuna, adeòque minùs apta concipiendo furori poetico, quo poetæ quodammodo insani fiunt, & quo tunc vulgò tantùm afflantur, cùm saturi sunt, & bene poti.

Satur est, &c. Satur erat Horatius, cùm tam egregia carmina in laudem Bacchi funderet. Evhoe vox est, qua Bacchantes utebantur, & qua usus est idem Horatius in Bacchi laudibus: significat autem, *Euge fili*: qua voce usus dicitur Jupiter, gratulans Baccho de re contra Gigantes bene ab illo gesta. Legunt aliqui, *Ohe*; quæ interjectio est gratulantis, plaudentisve, &c.

Quis locus &c. Quomodo poeta ingenium potest expromere, nisi sit ab omni cura liber, & vacuus, ac de solis carminibus condendis solicitus?

Et dominis &c. Nisi rapiatur, agiteturque poeta ab Apolline, & Baccho: illi enim Cyrrha, urbs posita ad radicem Parnassi, sacra est; huic Nysa, urbs Arabiæ.

Duas &c. Curam carminis condendi, & cibi quærendi.

Nec de &c. Nec de domesticis curis solicitæ: lodix enim est vestis, qua lectus sternitur.

Currusque &c. Informare animo, & exprimere versibus (ut poetæ heroici faciunt) Deos pugnantes, &c.

Qualis Rutulum &c. Describere Turnum, Rutulorum Regem, perturbatum à Furia per Jovem immissa; quod facit Virg. lib. 12.

Nam, si &c. Si defuissent Virgilio commoda domestica;

Hoſpitium, caderent omnes à crinibus hydri;
Surda nihil gemeret grave buccina. Poſcimus, ut ſit
Non minor antiquo Rubrenus Lappa cothurno,
Cujus & alveolos, & lænam pignerat Atreus.
Non habet infelix Numitor, quod mittat amico;
Quintillæ quod donet, habet; nec defuit illi
Unde emeret multa paſcendum carne leonem
Jam domitum: conſtat leviori bellua ſumptu
Nimirum, & capiunt plus inteſtina poetæ.

ſtica; ſi caruiſſet domo, ſervoque.

Caderent &c. Ideſt: non potuiſſet fingere tam eleganter Furias anguibus crinitas, ut facit lib. 7. Æneid.

Surda &c. Non deſcribere adeò ſonanti carmine tubas ſignum bello dantes, & rauco gemitu clangentes.

Poſcimus &c. Immeritò volumus, ut Rubrenus Lappa, poeta tragicus tragœdias faciat non inferiores antiquo cothurno, ideſt, priſcis veterum tragœdiis; cùm pauper ſit, & oppreſſus ære alieno.

Cujus &c. Qui ita pauper eſt, ut dum tragœdias ſcribit, victus cauſa cogatur etiam veſtem, vilemque ſupellectilem oppignerare. De alveolis vide Satyr. v. Læna veſtis erat craſſior, quæ cæteris veſtibus superponebatur. Cothurnus, calceamenti altioris genus, uſitatum in tragœdiis.

Pignorat Atreus. Pignoris loco tenet, aufertque Atreus fœnerator: vel, ſi mavis, dum ſcriberet tragœdiam de Atreo, eò redactus eſt paupertatis, ut coactus ſit lances, & veſtimenta oppignerare.

Numitor. Dives aliquis, & nobilis, quem ironicè infelicem vocat, qui nihil habeat, quod poetæ, honeſto viro, & amico, donet; dum habet, quod donet mulieri impudicæ. Atreus, & Thyeſtes, Pelopis filii. Nota fabula.

Nec defuit &c. Idem Numitor habuit pecuniæ ſatis, ut ex ea cicurem, & manſuetum leonem emeret, quem multa carne, multo ſumptu, nutriret domi, & tamen non habuit, quod poetæ daret.

Conſtat &c. Ironicè: ſcilicet poeta plus cibi conſumeret, majori ſumptu aleretur, quàm leo.

Contentus &c. Eſto ſanè, Lucanus, qui poeta dives fuit, nihil aliud quærat, quàm gloriam; parta fama fruatur per otium in hortis ſuis: at alii poetæ pauperes, ut Salejus, & Serranus, ſola fama, & gloria, non poſſunt eſſe contenti, niſi detur illis quoque, unde vivant. Quid enim, inquit, proderit ipſis gloria, quanta

Contentus fama jaceat Lucanus in hortis
Marmoreis: at Serrano, tenuique Salejo,
Gloria quantalibet quid erit, si gloria tantùm est?
Curritur ad vocem jucundam, & carmen amicæ
Thebaidos, lætam fecit cùm Statius Urbem,
Promisitque diem: tanta dulcedine captos
Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi
Auditur: sed cùm fregit subsellia versu,
Esurit, intactam Paridi, nisi vendat Agaven.
Ille & militiæ multis largitur honorem;
Semestri vatum digitos circumligat auro.

ra sit, si nihil aliud habeant, si egeant?

Lucanus. Poeta fuit Cordubensis, admodùm dives: scripsit carmen, vel historiam priùs de bello Pharsalico; ab Nerone jussus mori, in ætatis flore decessit.

Marmoreis. Idest, in quibus multæ erant statuæ, & ornamenta ex marmore.

Curritur &c. Etsi magnus sit concursus ad audiendam Statii Thebaidem; etsi placeat illa omnibus; tamen fame periret ipsius auctor Statius, nisi tragœdias suas histrionibus venderet.

Amicæ. Omnibus gratæ.

Thebaidos. Thebais, est poema compositum à Statio de bello Thebano. Fuit autem Statius poeta nobilis Domitiano Imperatori carissimus.

Promisitque diem. Quo suos versus publicè recitabit.

Tanta &c. Adeò placet omnibus suavitate carminis: tanta est ipsius audiendi cupiditas.

Cùm fregit &c. Cùm se fatigavit labore, & vehementi recitatione; ita ut scamna ipsa clamore propè frangantur, vel, si mavis, auditorum multitudine.

Paridi. Histrioni cuidam, qui ditissimus fuit, & Domitiano carus.

Intacta. Nondum editam in vulgus, novam, & recens scriptam.

Agaven. Tragœdiam de Agave, matre Penthei; qui, quòd Bacchum contempsisset, à matre in furorem acta discerptus est. Ovid. lib. 3. Metam.

Ille &c. Non solùm dat poetis histrio, unde vivant, quod divites nostri non faciunt: sed & illos interdum evehit ad munera militaria, & dignitates, v. gr. Præfecturas, Tribunatus militum.

Semestri &c. Largitur cui voluerit, Equestrem dignitatem: cujus insigne annulus fuit aureus: qui quidem per sex menses hybernos erat major, & pŏderis gravioris, per sex æstivos menses deponebatur, ut alius minor, & levior sumeretur;

Quod non dant proceres, dabit histrio. Tu Camerinos,
Et Bareas, tu nobilium magna atria curas?
Præfectos Pelopea facit, Philomela Tribunos.
Haud tamen invideas vati, quem pulpita pascunt.
Quis tibi Mæcenas? quis nunc erit aut Proculejus,
Aut Fabius? quis Cotta iterum? quis Lentulus alter?
Tunc par ingenio pretium, tunc utile multis
Pallere, & vinum toto nescire Decembri.

tur: unde semestre aurum Poeta appellat. Erant etiam semestres Tribunatus militum, de quibus accipi locus iste potest.

Tu Camerinos &c. Tu, ò poeta, expectas mercedem, & munera ab Camerinis, & Bareis, hoc est, à nobilibus Romanis, quorum frequentare domos idcircò studes: sed falleris: dat unus Paris Præfecturas, & Tribunatus militares, si quis illi tragœdiam aliquam, v. g. de Pelopea, aut Philomela obtulerit. Erat Camerinorum familia illustris: ex iis unus olim Sulpitius nimirum Camerinus, delectus fuerat, qui Athenas iret ad Solonis, & Græcorum leges exquirendas, & Romam deferendas. De Barea Sorano vide Tacitum lib. 16. Annal. in fine.

Pelopea. Filia fuit Thyestæ, & mater Ægysthi, qui Agamemnonem interfecit.

Philomela. Fuit illa Pandionis Atheniensium Regis filia, & Procnes soror: quæ cùm à Tereo, sororis marito, vim passa esset, in lusciniam mutata est; soror verò in hirundinem: de qua vide Sat. 6. & Ovid. Metam. 6.

Haud tamen &c. Nemo tamen ægrè ferre debet, si poeta sibi victum quærat è suis carminibus, quæ publicè recitet, aut in theatro exhibeat; cùm aliunde nihil habeat.

Pulpita. Erant loca in theatro editiora quædam: pulpitum etiam sumitur pro suggestu, & cathedra, unde ad populum dicitur.

Quis tibi &c. Sed ubi nunc reperias virum liberalem, & munificum in eruditos, qualis Mæcenas olim fuit, qualis Cotta, &c. Mæcenas, eques Rom. Augusto carus, patronus eruditorum. Proculeji liberalitas laudatur ab Horatio Od 2. Lib. 2.

Tunc par &c. Tempore Mæcenatis, Proculeji, &c. cùm poetæ eruditi in pretio, & honore erant, merces dabatur æqualis ipsorum ingenio: tunc illis erat utile libris impallescere, & abstinere (ut in studia incumberent) epulis, & comessationibus, quibus Ro-

manі

Vester porrò labor fœcundior, historiarum
Scriptores? petit hic plus temporis, atque olei
plus:
Namque oblita modi millesima pagina surgit
Omnibus, & crescit multa damnosa papyro:
Sic ingens rerum numerus jubet, atque operum lex.
Quæ tamen inde seges? terræ quis fructus apertæ?
Quis dabit historico, quantum daret acta legenti?
Sed genus ignavum, quod lecto gaudet, & umbra.
Dic igitur, quid causidicis civilia præstent
Officia, & magno comites in fasce libelli?

mani cæteri per Saturnalia, mense Decembri, indulgebant?

Vester, &c. Ironicè. Sed vester labor, ò historici, utilior fortè est, & fœcundior?

Petit, &c. Hic labor petit plus operæ, & olei; hoc est, vobis diutiùs, lucerna accensa, vigilandum est, ut vestras historias elaboretis: quę tamen inde merces?

Namque, &c. Libri enim vestri supra modum omnem ad millesimam usque paginam augentur, & vestro quidem damno, qui tantam papyri vim sine lucro consumitis.

Sic ingens &c. Et id quidem postulat magna rerum narrandarum multitudo; immò & historię leges, quæ jubent, ut nihil omittatur ab historico, sed omnia suo loco, & ordine cum suis omnibus circumstantiis describantur.

Quæ tamen, &c. Sensus est: quæ tamen utilitas, quæ merces tui, in historia diligenter scribenda, laboris? metaphora ducta est ab agricultura.

Apertæ. Proscissæ, & aratæ.

Acta legenti. Scribæ, vel præconi. Acta enim sunt publica quælibet instrumenta, ut edicta, leges, &c. quæ à scribis, vel, præconibus publicè legebantur.

Sed genus, &c. Sensus est: sed historici, inquies, sunt genus hominum ignavum, qui domi sedent quieti, aut jacentes in lectulis historias suas componunt. Benè est, inquit Juvenalis: at causidici certè otiosi, & ignavi non sunt; videamus igitur, an illi plus mercedis, & lucri ex labore suo referant.

Dic igitur, &c. Cedo quid afferant illi lucri forensia officia, & actiones causarum civilium? quid eos juvat deferre secum magnam librorum, chartarumque sarcinam, quibus nempe ad agendas causas utantur?

Ipsi magna sonant: sed tunc, cùm creditor audit
Præcipuè, vel, si tetigit latus acrior illo,
Qui venit ad dubium grandi cum codice nomen:
Tunc immensa cavi spirant mendacia folles,
Conspuiturq; sinus. Veram deprendere messem
Si libet: hinc centum patrimonia causidicorum,
Parte alia solum russati pone Lacertæ.
Consedere duces: surgis tu pallidus Ajax,
Dicturus dubia pro libertate, Bubulco

Magna sonant. Vehemēter, & acriter declamant.

Sed tunc, &c. Sed tunc presertim declamant vehementiùs, quando creditor aliquis, v g cujus causam agunt, adest coram, eosque audit; aut si illos urget, atque instigat aliquis alius creditor, qui pecuniam repetat non ita certis nominibus, & argumentis debitam, atque adeò acriùs urget causidicum, quàm ille alius creditor, cujus certior, & planior causa.

Tetigit latus. Quasi ut magis eum instiget, & urgeat.

Cum codice. Accepti, & expensi suis tabulis probaturus pecuniam sibi deberi.

Nomen. Æs alienum.

Tunc immensa, &c. Tunc illi patroni pulmones, faucesque, tanquam cavos folles, inflant, vocem intendunt, & ad fulciendam causam infinita mendacia magna contentione velut evomunt.

Conspuiturque, &c. Idest, spuma, & sputis gremium suum inquinant, præ nimia dicendi contentione.

Veram, &c. Si velis rescire, quem tandem fructū causidici, quam messem ex hac semente tam laboriosa colligant.

Hinc centum, &c. Pone, in una libræ lance patrimonia & annuos proventus centum causidicorum: in altera lance solum patrimoniū Lacertæ, (nomen est militis) videbis illos omnes ab hoc uno superari opibus.

Russati. Veste russata, idest, rubra induti: rubra enim veste milites Romani, ut & olim Græci, utebantur, ut ne terreret ipsos cruor e vulneribus defluens ejusdem nimirum coloris cum veste.

Consedere, &c. Describit causidicum coram judicibus dicentem, alluditque ad locū lib. 13. Metam. ubi Ovidius describit Ajacis cū Ulysse de armis Achillis, coram Græcis ducibus, contentionem. Sensus igitur est. sedent judices, tu ad dicendum surgis, non animosè, ut olim Ajax, sed pallidus, ac tremens, vel ob malam causam, vel ob eventum ancipitem.

Dubia, &c. Idest, pro aliquo, cujus libertas in quæstionem vocatur, de quo dubitatur, an sit liber, an servus.

Bu-

Judice, Rumpe miser tensum jecur, ut tibi lasso
Figantur virides, scalarum gloria, palmæ.
Quod vocis pretium? siccus petasunculus, & vas
Pelamidum, aut veteres, Afrorum epimenia, bulbi,
Aut vinum Tiberi devectum, quinque lagenæ.
Si quater egisti, si contigit aureus unus,
Inde cadunt partes, ex fœdere, pragmaticorum.
Æmilio dabitur, quantum petet; (& meliùs nos
Egimus) hujus enim stat currus aheneus, alti

Bubulco. Vel rusticum aliquem judicem, & è tribu rusticana sumptum intelligit, vel ignarum, & imperitum, vel denique est nomen proprium.

Rumpe miser, &c. Hoc est, pulmonem fatiga, & stomachum declamando.

Ut tibi, &c. Id scilicet mercedis capies, ut postquam dicendo fueris defatigatus, palmarum rami virides, in signum victoriæ, figantur ad fores domus tuæ, & iis ornentur extremi gradus scalarum, quibus in cubiculū tuum ascendis.

Petasunculus. Exiguus petaso. Est petaso coxa porcina salita.

Pelamidum. Pelamides, sunt viles pisciculi.

Bulbi. Sunt radices quædam rotundæ, & tunicatæ, è genere cœparum.

Epimenia. Vox est Græca, ἐπιμήνιος, quę significat aliquid, quod fit singulis mensibus: quare bulbos appellat Afrorum epimenia, idest, veluti menstrua quædam munera, quæ singulis mensibus Romam afferant vendenda.

Tiberi devectum. Vile, ut Vejentanum, vel Hetruscum, secundo flumine Romam deportatum, non adverso flumine ex Campania, aut Græcia advectum.

Si quater, &c. Si ob causam quater actam, datur tibi fortè unus aureus nummus. Porrò nummus aureus continebat 100. sestertios, & respondet decem ferè libris Gallicæ monetæ: Italicæ verò duobus Scutatis nummis, & bajochis circiter triginta.

Inde cadunt, &c. Idest, ex aureo illo partes quædam decerpūtur distribuēdæ, ex pacto, pragmaticis, qui te juvant, Pragmatici porrò erant advocati, quidam peritiores juris, qui causidicis leges, & jura monstrabant, quibus in certis causis uterentur.

Æmilio. Diviti causidico.

Et meliùs nos, &c. Nos tamen pauperes causidici, quibus nihil ferè datur, majori diligentia, & fide causam egimus, quàm ille Æmilius.

Hujus enim, &c. Sed plus datur Æmilio, quia dives, &

Quadrijuges in vestibulis, atque ipse feroci
Bellatore sedens curvatum hastile minatur
Eminus, & statua meditatur prælia lusca.
Sic Pedo conturbat, Matho deficit: exitus hic est
Tongilli, magno cum rhinocerote lavari
Qui solet, & vexat lutulenta balnea turba,
Perque forum juvenes longo premit assere Medos,
Empturus pueros, argentum, myrrhina, villas;

& nobilis esse creditur, habetque in atrio suæ domus ingentem currum ex ære, quem equi quatuor, item ahenei, veluti trahere videantur.

Atque ipse. Prætereà statuam habet equestrem, in qua feroci equo repræsentatur insidens, cum hasta, quam videtur coruscare, & quasi vibrare, velut in hostem adversum conjecturus, altero oculo clauso, ut ictû dirigat, luscos imitatus.

Sic Pedo, &c, Hunc in modum causidici pauperes. qualis est Pedo, dum exiguum è suo labore fructum colligunt, & videri tamen divites, instar istius Æmilii, gestiunt, rem familiarem dilapidant.

Conturbat. Subaudi: rationes. Decoquit.

Matho deficit. Idest, ad egestatem redigitur.

Exitus, &c. Hæc eadem est calamitas, hic finis luctuosus Tongilli, dum, ut se divitem simulet, ea facit, quæ divites solent, lavatur rhinocerote, &c.

Magno cum, &c. Idest, utitur in balneis gutto, seu vase, ex cornu rhinocerotis facto, quali divites uti solebant ad oleum infundendum: cùm alii guttum haberent vulgò factum ex cornu tauri. Rhinoceros porrò est animal, cui unum est cornu in naso extremo. *ῥὶν nasus: κέρας, cornu.*

Et vexat, &c. Et secum in balnea circumducit ad pompam turbam comitum luto infectorum, ut qui ipsum per lutum secuti sint? & sic molestus est iis, qui in iisdem balneis cum eo lavantur.

Perque forum, &c. Et jubet se portari per forum in longa lectica ex asseribus facta, servosque premit corporis mole. Per longum asserem quidam non ipsam lecticam, sed perticas, quibus hinc inde gestatur, intelligunt.

Juvenes Medos. Servos è Media, regione Asiæ, unde multi Romam servi mittebantur, valido, & robusto corpore.

Empturus, &c. Fingens (ut videatur dives) velle se emere myrrhina vasa, servos, &c.

Argentum. Vasa argentea.

Myrrhina. Vasa ex eo saxo facta, quod Murrha dicitur, ex Oriente advecto, insignis coloris, & odoris, de quo Plin. lib. 37. c. 2.

Spon-

Spondet enim Tyrio ſtlataria purpura filo.
Et tamen hoc ipſis eſt utile: purpura vendit
Cauſidicum; vendunt amethyſtina: convenit illis
Et ſtrepitu, & facie majoris vivere cenſus:
Sed finem impenſæ non ſervat prodiga Roma.
Ut redeant veteres, Ciceroni nemo ducentos
Nunc dederit nummos, niſi fulſerit annulus ingens:
Reſpicit hoc primùm, qui litigat, an tibi ſervi
Octo, decem comites, an poſt te ſella, togati
Antepedes: ideò conducta Paulus agebat
Sardonyche; atque ideò pluris, quàm Coſſus, agebat,

Spondet, &c. Purpura enim, quam geſtat, fidem facit hæc illum emere poſſe, eſſe divitem illum, & bene nummatum.

Stlataria. Stlatarium, vox eſt antiqua, quæ mendax, & illecebroſum ſignificat. Significat etiam id, quod eſt mari advectum, transmarinum, ut purpura, quæ ex Phœnicia, & Tyro Romam defertur: ſtlata enim genus eſt navigii, à latitudine ſic vocatum: antiqui enim, ſtlatum dicebant, pro latum, slitem, pro, litem; unde ſtlatarius, qui eo navigio defertur.

Vendit. Ideſt, veſtis purpurea facit, ut cauſidicus majori pretio conducatur.

Amethyſtina. Veſtimenta violacea, ab colore gemmę, quæ amethyſtus dicitur.

Convenit, &c. Utile eſt illis fingere ſe ditiores, quàm reverà ſint.

Sed finem, &c. Sed eſto, dent aliquid famæ, & oſtentationi, at ſaltem ſi modum aliquem in eo tenerent: verum Romani prodigi, & ambitioſi, id ut faciant, adduci non poſſunt.

Ut redeant, &c. Etiamſi reviviſcerent ſummi illi oratores, ipſe etiā Cicero; nemo tamē daret illi nunc ducentos ſeſtertios, ideſt, viginti libras Turonenſes, ut Galli vocant: Scutatos nummos, ut Itali, circiter quatuor, cum ſexaginta bajochis: niſi in ejus digito pretioſum annulum videret.

Reſpicit. Ut te ſcilicet patronum eligat.

Sella. Lectica.

Antepedes. Anteambulones amici, ſeu clientes, qui ambitionis, & pompæ cauſa dominum, aut patronum præcedebant.

Ideò conducta, &c. Ideſt, utebatur Paulus cauſidicus annulo conducto, (in quo erat gemma ſardonyx dicta) idcirco, quòd illam ad opum oſtentationem utilem eſſe videret.

Pluris, &c. Majori pretio

Quàm Basilus. Rara in tenui facundia panno.
Quando licet Basilo flentem producere matrem?
Quis bene dicentem Basilum ferat? Accipiat te
Gallia, vel potiùs nutricula causidicorum
Africa, si placuit mercedem ponere linguæ.
Declamare doces, o ferrea pectora Vecti!
Cùm perimit sævos classis numerosa tyrannos.
Nam, quæcumque sedens modò legerat, hæc eadem stans
Proferet, atque eadem cantabit versibus iisdem;
Occidit miseros crambe repetita magistros.

causas dicebat, quàm Cossus, & Basilus, pauperes causidici.

Rara in, &c. Raro putantur esse eloquentes, qui vili, & tenui veste induti sunt.

Quando, &c. Cuinam aliquando pauperi causidico, quantumlibet disertus sit, gravior causa est commissa? Quando matrem aliquam orantem pro vita, & salute filii, in judicium adduxit, ut judices ad misericordiam permoveret? immò ne auditur quidem, licèt bene peroret.

Accipiat te, &c. Si vis lucrari aliquid agendis causis, pete Galliam, vel Africam; ubi sunt in pretio etiam pauperes causidici, modò sint eloquentes.

Declamare, &c. Ostendit jam, quàm parum lucri faciant rhetores, qui artem dicendi, & declamandi docebant juvenes alumnos.

O ferrea, &c. O Vecti, quàm ferreum pectus habes, & labore invictum! Is Vectius erat Rhetor.

Dum perimit, &c. Dum discipulorum numerosa schola recitat aliquam scriptionem, cujus inscriptio, & argumentum est de tyrannis perimendis.

Nam quæcumque, &c. Oportet patientissimum esse præceptorem; utpotè quem necesse sit eadem, quæ sedens v. g. discipulis prælegerit, eadem, inquam, stantem, iisdemque verbis, & versibus, ad nauseam usque centies recitare discipulis suis, ac inculcare.

Occidit, &c. Eadem præcepta iisdem inculcata, præceptores miseros fatigant, atque enecant: non secus, ac recalefacta brassica, & ad fastidium reposita, nauseam convivis affert. Proverbium apud Græcos usitatum est; crambe, seu brassica, bis apposita mors est. Δὶς κράμβη θάνατος.

Quis color, &c. Volunt omnes discere omnia, quæ ad artem dicendi pertinent; quis sit color, id est, quis ornatus, quis modus tractandæ causæ.

Et

Quis color, & quod sit causæ genus, atque ubi summa
Quæstio, quæ veniant diversa parte sagittæ,
Scire volunt omnes, mercedem solvere nemo.
Mercedem appellas? quid enim scio? Culpa docentis
Scilicet arguitur, quòd læva in parte mamillæ
Nil salit Arcadico juveni, cujus mihi sexta
Quaque die miserum dirus caput Hannibal implet:
Quidquid id est, de quo deliberat, an petat Urbē
A Cannis, an post nimbos, & fulmina, cautus
Circumagat madidas à tempestate cohortes.
Quantum vis stipulare, & protinus accipe, quod do,

Et quod sit, &c. Diversa causarum genera, deliberativum, demonstrativum, judiciale.

Summa &c. Controversię status: qua de re agatur: in quo vertatur causæ cardo.

Quæ veniant, &c. Quænam argumenta, velut sagittæ, ab adversario, torquœantur.

Mercedem, &c. Verba sunt alicujus discipuli, Tu, o rhetor, loqueris de mercede tibi danda: postulas mercedem, quia me rhetoricam docuisti? at quid scio? nihil certè; nihil me docuisti: nulla tibi merces debetur.

Culpa, &c. Verba sunt magistri respondentis. Scilicet culpa mea est, quòd iste adolescens hebes sit, & stupidus instar asini; quod nihil ipsi saliat, seu palpitet, in sinistra parte pectoris; hoc est, quod nihil cordis, & ingenii habeat.

Arcadico. Pingui, hebeti, & asinino; in Arcadia enim, quæ est Græciæ pars, in Peloponneso, asini majores dicuntur esse, ac fortiores, quàm aliis in locis.

Cujus mihi, &c. Qui sexta quaque die hebdomadæ misero mihi caput obtundit importunis suis declamationibus de Hannibale, deliberante post victoriam Cannensem, an Urbem oppugnet, an relicta Roma, fatigatum imbribus exercitum aliò ducat. Hannibal, cùm ad Cannas, Apuliæ vicum, Romanos magna clade profligasset, bellum conficere poterat, si rectà Romam petiisset; id verò ne faceret, imbre multo, & procella superveniente deterritus est.

Quantum vis, &c. Hoc dicit rhetor magister illi, qui sibi puerum instituendum tradidit. Pete, quid tibi dari velis; dabo ego, quidquid libuerit, etiam ipsius parenti, si potest illum declamantem patien-

Ut toties illum pater audiat? Hæc alii sex,
Et plures, uno conclamant ore sophistæ;
Et veras agitant lites, raptore relicto:
Fusa venena silent, malus, ingratusque maritus,
Et quæ jam veteres sanant mortaria cæcos.
Ergo sibi dabit ipse rudem, si nostra movebunt
Consilia, & vitæ diversum iter ingredietur,
Ad pugnam, qui rhetorica descendit ab umbra;
Summula ne pereat, qua vilis tessera vænit

ter audire tam sæpe, quàm à me auditur.

Stipulare. Stipulari est forense verbum, & significat pacisci: petere aliquid, aut promittere, interposita certa juris formula.

Hæc alii sex, &c. Sensus est: nec putes hæc ab uno tantùm dici: longè plures sunt, qui idem uno ore conclament, & conquerantur; quique malint idcircò in foro veras causas agere, (etsi non magna mercede) quàm in scholis fictas declamationes discipulis proponere, tanto labore, tantulo lucro.

Sophistæ. Ea vox in hoc loco significat Rhetores, qui artem dicendi, & declamandi docent.

Raptore, &c. Relictis fictis declamationibus, & causis, quæ a pueris exercitationis causa tractantur, v.g. de Jasone, qui Medeam rapuit.

Fusa, &c. Idest; non jam accusant veneficum, umbratili aliqua accusatione.

Malus, &c. Non invehuntur in maritum aliquem fictum, à quo uxor se malè tractatam queratur.

Et quæ jam, &c. Non sumunt sibi pro scribendi materia fabulam illam, qua Medea dicitur promisisse Peliæ filiabus, se patrem ipsarum jam senem juventuti, & sanitati reddituram, certis pharmacis, atq; herbis, in mortario tritis.

Ergo sibi, &c. Sensus est: itaque, si cui animus est, omisso munere docendi, è scholarū umbra, & pulvere descendere in forum, ut veras ibi causas agitet; ego illum vehementer hortor, id ut faciat, ac munus rhetoricam in umbra scholæ docēdi, laboremque deponat.

Dabit, &c. Si mihi credit, sibi ipse finem docendi imponet. Ducta est metaphora a gladiatoribus, qui, cùm missionem impetrabāt, rude donabantur. Erat autem rudis, virgula quædam, & bacillus ligneus, quo donabantur gladiatores emeriti.

Summula, &c. Hoc est, ne, si diutius rhetoricam docere pergas, eò redigaris inopiæ, ut ne supersit quidem summa pecuniæ exigua, qua tesseram frumentariam emas, aut vendas.

Tessera. Tabella lignea erat, certis notis insignita, figuræ

Frumenti: quippe hæc merces lautissima. Tenta,
Chrysogonus quanti doceat, vel Pollio quanti
Lautorum pueros, artem scindens Theodori.
Balnea sexcentis, & pluris porticus, in qua
Gestetur dominus, quoties pluit: anne serenum
Expectet, spargatve luto jumenta recenti?
Hic potiùs: namque hic mundæ nitet ungula mulæ.
Parte alia longis Numidarum fulta columnis

guræ plerumque quadratæ, (unde & nomen accepit,) qua accepta, ire ad publica horrea licebat, & frumentum gratis accipere. Quod si quis mallet pecuniam, quàm frumentum, poterat tesseram suam vendere.

Quippe hæc, &c. Etsi enim vilis sit hæc merces, quæ causidico datur, tamen est amplissima, si eam compares cum mercede rhetorum in scholis docentium. Vide enim, quantula merce de nobilium nostrorum filios doceat Chrysogonus rhetor, aut Pollio.

Artem, &c. Præcepta Rhetoricæ, a Theodoro tradita, minutatim dividens, & explicans sigillatim. Fuit ille rhetor ea tempestate laudatissimus.

Balnea, &c. Invehitur in divites Romanos, qui, cùm balnea, & alia ejusmodi ædificia maximis sumptibus erigerent, in sola filiorum institutione parci erant.

Sexcentis, &c. Supple, sestertiis constant: & sensus est, sestertia sexcenta dives aliquis ad extruenda domi suæ balnea, & plures adhuc nummos expendit ad extruendam porticum, sive ambulacrum, in quo pluvio tempore lectica gestetur. Redit autem hæc summa fere ad sexaginta mille libras Gallicæ monetæ: Italicæ verò nummorum argenteorum, quos vulgò scutatos appellant, millia fere 14.

Anne, &c. Ironicè. Et verò vellesne, ut vir nobilis, & adeò lautus expectaret, donec serenum esset tempus? aut per viam lutulentam, & imbre recenti corruptam, currum, & nitidos equos duci juberet?

Hic potiùs. Certè longè commodius est in porticu gestari: hic itaque gestetur vir ille dives.

Hic mundæ, &c. Luto non spargitur pes nitidi, & mundi jumenti, quo currus trahitur.

Parte alia, &c. Idest, videbis præterea in divitis illius domo magnificas cœnationes, fultas columnis ex lapide Numidico, qui ad columnas optimus erat, & pulcherrimus. Cœnatio vocabatur locus, ubi cœnabant, seu triclinium.

Surgat, & algentem rapiat cœnatio Solem.
Quanticumque domus, veniet qui fercula doctè
Componit, veniet, qui pulmentaria condit.
Hos inter sumptus sestertia Quintiliano.
Ut multùm, duo sufficient: res nulla minoris
Constabit patri, quàm filius. Unde igitur tot
Quintilianus habet saltus? Exempla novorum
Fatorum transi: felix, & pulcher, & acer;
Felix, & sapiens, & nobilis, & generosus;
Appositam nigræ Lunam subtexit alutæ?

Et algentem, &c. Hoc est: ita compositis fenestris extructa, ut Solem minimè calidum excipiat, orientem v.g. vel occidentem: tunc enim, etiam per æstatem, Sol non vehementer calidus est.

Quanticumque, &c. Quantocumque tamen pretio domus constet, nihilominùs habebit quoque dives ille structorem ad mensam, & ad fercula scitè componenda, & ordinanda: coquum item peritissimum ad condienda obsonia.

Veniet. Emetur, aderit.

Pulmentaria. Cibos.

Hos inter, &c. Cùm tot sumptus faciat dives pater ad luxum, & delicias; vix Quintiliano, filii præceptori, sestertia duo dabit, id est, libras Gallicas 200. Italicæ scutatos nummos circiter 45. & quidem ad summum. Fuit Quintilianus orator celeberrimus, Domitiani tẽpore: annos 20. rhetoricam docuit, ejusque artis præcepta prẹclarè litteris mandavit.

Unde, &c. Quare igitur tot habet nemora? Idest, quare tam dives est Quintilianus?

Transi. &c. Omitte mihi Quintilianum: est enim exemplum novi, & inusitati cujusdam fati, & felicitatis; cùm nemo prẹter eum ex liberalibus disciplinis dives factus sit.

Felix, &c. Qui felix est, idem est pulcher, acer, nobilis, orator, & sophista maximus. Possunt accipi sic ista, ut dicantur de Quintiliano, quem velit præclaris quidem corporis, animique dotibus ornatum fuisse; sed iis tamen non tam divitias suas debere, quàm fortunæ beneficio.

Appositam, &c. Idest, Senator est. Senatores enim nigros calceos gerebant: quibus assuta erat figura Lunæ, seu potiùs littera, C, quæ crescenti Lunæ similis est. Designabatur autem hac littera numerus Senatorum, qui primi sunt a Romulo instituti, nempe centum.

Alutæ. Calceis ex aluta factis, seu potiùs intectis alu-

Felix, orator quoque maximus, & jaculator,
Et si perfrixit, cantat bene. Distat enim, quæ
Sidera te excipiant modò primos incipientem
Edere vagitus, & adhuc a matre rubentem.
Si fortūna valet, fies de rhetore Consul:
Si volet hæc eadem, fies de Consule rhetor.
Ventidius quid enim? quid Tullius? anne aliud, quàm
Sidus, & occulti miranda potentia fati?
Servis regna dabunt, captivis fata triumphos.
Felix ille tamen, corvo quoque rarior albo.
Pœnituit multos vanæ, sterilisque cathedræ;
Sicut Trasimachi probat exitus, atque Secundi

aluta; qua voce intelligimus pellem omnem mollem, & tenuem.

Jaculator. Dialecticus bonus, & sophista; qui argumenta, & rationes, instar jaculorum, in adversarium valide intorqueat.

Et si &c. Tanta est, inquit, fortuna hominis felicis, qualis est Quintilianus, ut, etiamsi raucus esset præ nimio frigore, tamen bene cantare, & commodè declamare diceretur.

Distat &c. Refert plurimum, quæ te sidera nascentem aspexerint.

A matre, &c. Ab alvo materna recens profusum, modò natum.

Ventidius, &c. Quid enim vos docent aliud exempla Ventidii, & Servii Tullii, quàm siderum, & fati miram esse vim? Porrò Ventidius Bassus, è captivo, & mulione, Tribunus plebis, Prætor, & Consul evasit, ac demum de Parthis triumphavit, ad eos missus ab Antonio anno U. C. 718. Servius verò Tullius, ex ancilla natus, Tarquinio Prisco successit, & sextus fuit Rex Romanorum.

Felix, &c. Ille tamen rhetor fortunatus, qualis est Quintilianus, aut quicumque alius, tam rarus est, quàm corvus albus.

Sterilisque, &c. Nullo fructu, & lucro docuisse rhetoricam.

Trasimachi. Carthaginensis rhetor fuit, qui propter exiguam mercedem coactus est docendi munus relinquere. Quidam illum egestate ad suspendium adactum esse narrant.

Secundi. Secundus Carinas, postquam rhetoricam Romæ aliquandiu professus fuit, a Caligula Urbe pulsus, Athenas se contulit; ubi dicitur tanta oppressus egestate, ut præ desperatione veneno se interfecerit.

Carinatis: & hunc inopem vidistis, Athenæ,
Nil præter gelidas ausæ conferre cicutas.
Dii majorum umbris tenuem, & sine pondere terram.
Spirantesque crocos, & in urna perpetuum ver,
Qui præceptorem sancti voluere parentis
Esse loco. Metuens virgæ jam grandis Achilles
Cantabat patriis in montibus: & cui non tunc
Eliceret risum citharœdi cauda magistri?
Sed Rufum, atque alios cædit sua quæque juventus,
Rufum, qui toties Ciceronem Allobroga dixit.

Nil ausæ, &c. Nihil ipsi ausæ dare, præter venenum. Alludit ad Socratem, virum doctissimum, quem Athenienses, data cicuta, interfecerunt.

Gelidas, &c. Cicutam gelidam vocat, quia hæc herba genus est veneni frigidissimi.

Dii majorum, &c. Dent Dii majorum nostrorū manibus levem terram, & perpetuis floribus halantem terram esse jubeant circa illorum tumulum: his vocibus bene precari solebant mortuis.

Crocos. Crocus, seu Crocum, est herba odorata.

In urna. Ossa mortuorum, & cineres in urna recondebant, in eamque flores, & herbas odoratas coniiciebant.

Qui, &c. Qui tam sapienter illud sanxerunt, ut præceptores non minùs sanctè coleremus, quàm parentes ipsos.

Metuens, &c. Achilles ipse, jam grandis, Chironem præceptorem colebat plurimùm, & metuebat.

Cantabat. Fidibus cantare discebat.

Patriis. Thessalis. Thessalia est pars Græciæ, unde oriundus Achilles.

Cui non, &c. Erat tamen difficile tunc à risu abstinere, & magistrum non irridere; quis enim non risisset caudatum illum citharœdum; Chiron enim fuit Centaurus: ajunt autem Centauros inferiori parte, infra umbilicum, equos fuisse; superiori, homines: ut fabulis proditum est.

Sed, &c Nunc autem Rufum præceptorem etiam pueri, ipsius discipuli, verberant, cædunt, ac malè mulctant.

Qui, &c. Qui Ciceronem dicebat barbarè loqui, & superflua eloquentia, Gallico, & Allobrogico more, uti.

Allobroga, Erant Allobroges Galliæ populi circa Rhodanum.

Quis

Quis gremio Enceladi, doctique Palæmonis affert,
Quantum grammaticus meruit labor? & tamen ex hoc,
Quodcumque est, (minus est autem, quàm rhetoris æra,)
Discipuli custos præmordet Acœnonetus;
Et qui dispensat, frangit sibi. Cede, Palæmon,
Et patere inde aliquid decrescere: non aliter, quã
Institor hybernæ tegetis, niveique Cadurci:
Dummodò non pereat, mediæ quod noctis ab hora
Sedisti, qua nemo faber, qua nemo sedebat,
Qui docet obliquo lanam deducere ferro.
Dummodò non pereat totidem olfecisse lucernas,
Quot stabant pueri, cùm totus decolor esset

Quis gremio, &c. Deplorat egestatem Grammaticorum. [Quis, inquit, in sinum Enceladi, & Palæmonis, celebrium grammaticæ magistrorum, tantum pecuniæ coniicit, id est, tantum iis dat, &c.

Ex hoc, &c. Ex hac exigua mercede, quæ grammaticis datur, quamvis exigua sit, & adhuc minor ære, seu mercede, quæ datur rethoribus, imminuit aliquid, & resecat.

Acœnonetus. Pueri pædagogus. Nomen est proprium, vel ex Græco fictum, eumque significans, qui nihil sibi cum aliis vult esse commune. Legunt quidam, *Acanitus ipse*.

Frangit sibi. Aliquid præcidit, atque servat sibi

Cede, &c Cede de jure tuo, infelix Palæmon, inquit Juvenalis, & patere sibi aliquid de mercede tua auferri; quemadmodum patiuntur mercatores de pretio, quod pro merce postularunt, imminui, ac detrahi aliquid.

Institor. Mercator.

Tegetis. Teges est vestis, qua lectus sternitur.

Cadurci. Est hic cadurcum, quoddam integumentum, vel velum lectilis dictum, quia fiebat ex lino, apud Cadurcum in Gallia collecto.

Dummodò, &c. Dum mercedis aliquid habeas, & nõ pereat tibi labor ille, quem adhibuisti, ut surgeres summo manè, antequam fabri sederent in officina, & ii, qui lanam carminant, ac pectunt ferreis dentibus, obliquè in lignea tabula fixis.

Olfecisse, &c. Discipulorum nempe, qui cum lucernulis mane ventitant in scholam ante lucem.

Cùm totus, &c Idest, cùm Horatii, Virgiliiq; opera,

Flaccus, & hæreret nigro fuligo Maroni.
Rara tamen merces, quæ cognitione Tribuni
Non egeat. Sed vos sævas imponite leges,
Ut Præceptori verborum regula constet,
Ut legat historias, auctores noverit omnes,
Tamquam ungues, digitosque suos; ut fortè rogatus,
Dum petit, aut thermas, aut Phębi balnea, dicat
Nutricem Anchisæ, nomen, patriamque novercę
Archemori: dicat, quot Acestes vixerit annos,
Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas:
Exigite, ut mores teneros, ceu pollice, ducat.

quæ pueris prælegebat præceptor, lucernæ fumo, & fuligine nigra essent, coloremque mutarent.

Rara tamen, &c. Quamvis merces grammaticorum adeò sit exigua, rarò tamen eam sine lite, Tribuniq; sententia obtinent, coguntur que, ut ea fruantur, confugere ad judicem, qui parentes compellat ad eam solvendam.

Tribuni. Ærarii Tribuni, qui de levioribus causis pecuniariis judicabat.

Sed vos, &c. Convertit orationem Poeta ad ipsos parentes cum amara indignatione: Vos, qui pręceptoribus vestrorum liberorum tam exiguam mercedem tribuitis, petite tamen ab illis, & exigite multa dura, & aspera.

Ut pręceptori, &c. Ut exploratæ illi, & perspectæ ad unguem sint verborum omnes regulæ; ut emendatè, & sine vitio loquatur,

Dum petit, &c. Ut, si quis ab eo petat, dum proficiscitur ad thermas, &c. quænam fuerit nutrix Anchisæ, &c. statim ipsi respondeat.

Thermas. Loca sunt, in quibus vel aquæ calidæ servantur lavando corpori, vel ignis, aerque calidus ad sudorem exprimendum.

Phœbi. Balneatoris cujusdam.

Archemori. Fuit ille filius Rheti, Marrubiorum in Italia Regis. Rhetus duxit Casperiam secundis nuptiis, Archemori novercam. De illo agit Virg. 10. Æneid.

Acestes. Siciliæ Rex, qui Æneam, tempestate jactatum, excepit in Sicilia: is ad summam senectutem pervenisse dicitur. Vide Virg. lib. 5. Æneid.

Quot Siculus, &c. Quot dolia vini idem Acestes Troianis. Italiam petentibus dederit.

Ceu pollice, &c. Ceu tenuem argillam, quam figuli manu tractantes in omnem partem ducunt, ac formant.

Ju-

Hæc, inquit, cures; & cùm se verterit annus,
Accipe, victori populus quod postulat, aurum.

Inquit. Pater aliquis, præceptorem alloquens.

Cùm, &c. Finito anno.

Accipe, &c. Levem pecuniæ summam, qualem populus colligebat, & postulabat ab iis, qui ludis gladiatoriis interfuerant, dandam gladiatori victori; quæ cùm pro arbitrio daretur à singulis, vulgò tenuis erat.

SATYRA VIII.

De vera, & falsa nobilitate.

STemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo.
Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
Majorum, & stantes in curribus Æmilianos,
Et Curios jam dimidios, humerisque minorem
Corvinum, & Galbam auriculis, nasoque carentem?

Stemmata, &c. Quid emolumenti, aut solidæ laudis habet ordo nobilium avorum a genealogia in tabula descriptus? Stemmata porrò sunt ramusculi, vel lineæ in modum ramorum ex uno trunco ductæ, quibus cognationum varii gradus inter se nectuntur: ita ut variæ personæ, ab una aliqua propagatæ, tanquam rami ex uno stipite derivati, continua serie aliæ ex aliis describantur.

Pontice. Vel amicus Juvenalis, est, vel quispiam nobilis arrogans.

Longo, &c. Antiqua majorum serie nobilem æstimari.

Pictosque, &c. Romani, ut scribit Seneca lib. 3. de Benef. cap 28. imagines majorum, & nomina longo ordine, ac multis illigata flexuris, in parte prima ædium collocabant.

Stantes, &c. Æmilianorum statuas triumphales, quibus stantes in triumphali curru repræsentabantur. Inter illos celeberrimus fuit Scipio Æmilianus, de quo posteà dicetur, Pauli Æmilii filius.

Jam dimidios. Statuas Curiorum vetustate imminutas, & exesas. De Curio vide sat. 2.

Humerisque minorem. Id est, truncatum humeris, temporis diuturnitate absumptis.

Galbam. Fuit septimus Romanorum Imperator. Illius facta mētio Sat. 2. & 6.

Qui fructus generis, tabula jactare capaci
Corvinum, & posthac multa deducere virga
Fumosos Equitum cum Dictatore Magistros;
Si coram Lepidis malè vivitur? Effigies quò
Tot bellatorum, si luditur alea pernox
Ante Numantinos? si dormire incipis ortu

Qui fructus, &c. Quem capis fructum, quam utilitatem, è generis nobilitate, quando jactas, & ostentas familiam tuam in ampla tabula descriptam, & jam inde a nobili illo, & celebri Corvino longa serie deductam? quid prodest longo stemmate, multisque ramusculis illigatas ostentare fumosas imagines maiorum tuorum, quorum alii Dictatores, alii Magistri Equitum fuere?

Corvinum Valerium Corvinum, qui Gallum, a quo provocatus fuerat, ope corvi adversarium perterrentis devicit: unde Corvinus est appellatus.

Virga. Multis ramulis è stipite deductis, includere Corvini effigiem, &c. Vel: longo radio designare, ac percurrere descriptos in tabula Corvinum, & equitum magistros.

Fumosos. Statuas vetustate obsoletas, vel nigras fumo; quia servabantur vulgò in atriis ædium, ubi ignis solebat accendi a famulis. Vide Sat. I.

Dictatore. Dictator erat extraordinarius, & summus Populi Romani Magistratus: qui difficillimis tantùm temporibus creabatur, jusque summum in Republica obtinebat.

Equitum, &c. Magister Equitum cum Dictatore, & ab Dictatore creabatur: imperium habebat in Equites, ac reliquum exercitum, & sine Dictatoris facultate, ac jussu nihil moliebatur.

Si coram Lepidis, &c. Si malè vivis coram illis statuis clarissimorum majorum tuorum, qualis fuit Æmilius Lepidus, bis Consul, Pontifexque Maximus, & Scipio Æmilianus, qui, ob deletam Numantiam, urbem Hispaniæ, Numantinus dictus est, ut & Africanus, ob deletam Carthaginem.

Effigies quò, &c. Quid prodest ostentare imagines tot ducum, si coram illis veluti spectantibus, & pudore suffusis, ludas per totam noctem, & manè tantùm dormire incipias: quo tempore maiores illi tui, quibus ita gloriaris, solebant è castris prodire, ut hostem invaderent?

Ortu Luciferi. Idest, summo manè. Lucifer est stella, quam astronomi Venerem vocant: quæ manè cùm apparet, Lucifer dicitur, cùm apparet serò, dicitur Hesperus, seu Vesper.

Luciferi, quo signa duces, & castra movebant?
Cur Allobrogicis, & magna gaudeat ara,
Natus in Herculeo Fabius lare; si cupidus, si
Vanus, & Euganea quantumvis mollior agna,
Squallentes traducit avos; emptorque veneni
Frangenda miseram funestat imagine gentem?
Tota licèt veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas sola est, atque unica virtus.
Paulus, vel Cossus, vel Drusus moribus esto?

Cur Allobrogicis &c. Cur Allobrogicis majoribus glorietur flagitiosus aliquis è Fabiorum gente? Fabius enim Maximus ob victos Allobroges, Galliæ populos, sibi, suisque posteris Allobrogici cognomen invenit.

Magna ara. Ara Herculis, cujus sacra familiæ Fabiorum erant hæreditaria, ut ait Livius. Hæc ara Circo Flaminio vicina erat, Herculi ab Evandro dicata, & ara Maxima vocabatur.

Natus &c. Ex ea familia oriundus, quæ Herculi peculiari quadam ratione addicta est: gens enim Fabia originem ab Hercule ducere dicebatur. Lar, Deus uniuscujusque familiæ proprius, & præses dicebatur. Accipitur vulgò pro ipsa domo.

Cupidus. Si pravis cupiditatibus irretitus.

Euganea. Euganei circa Patavium erant: ibi ovium lanæ mollissimæ.

Squallentes. Incultos, & antiquis moribus viventes: vel imagines avorum fumo, & vetustate squallidas.

Traducit. Dedecorat, ignominia afficit. Traducere propriè, est aliquem per medium populum ducere, ut ludibrio sit.

Emptorque &c. Et polluit homo veneficus, contaminatque infelicem familiam, apposita in majorum stemmate statua sua: digna sanè, quæ frangatur, ut quæ cæteris est dedecori.

Ceræ. Imagines majorum cereæ.

Paulus &c. Fac, ut moribus similis sis Paulo, Cosso, vel Druso, viris de Rep. optimè meritis. Paulum Æmilium intelligit, qui Perseum Macedoniæ Regem vicit: vir ob frugalitatem, & modestiam laudatissimus.

Cossus. Illum intelligit, qui sub Augusto Getulos Africæ gentem domuit, unde & Getulicus dictus est. Vide Horatium nostrum Od. 3. Lib. 4. De alio Cosso dictum Sat 1.

Drusus. Claudius Drusus, qui, ex hostium duce Druso trucidato, nomen Drusi reportavit. Vel, Livius

Hos ante effigies majorum pone tuorum,
Præcedant ipsas illi, te Consule, virgas:
Prima mihi debes animi bona. Sanctus haberi,
Justitiæque tenax factis, dictisque mereris?
Agnosco procerem: salve, Getulice, seu tu
Silanus; quocumque alio de sanguine, rarus
Civis, & egregius patriæ contingis ovanti:
Exclamare libet, populus quod clamat Osiri
Invento. Quis enim generosum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantùm
Insignis? Nanum cujusdam, Atlanta vocamus,

vius Drusus, cognomento Salinator, qui Asdrubalem Consul vicit.

Hos &c. Idest, mores: & sensus est, pluris æstima mores illos, quàm statuas majorum.

Præcedant &c. Cùm eris Consul, mores integri, & virtutes, insignia sint, & ornamenta tuæ dignitatis illustriora, quàm fasces, & virgæ, quæ ante Consulem à duodecim lictoribus præferri solent, ut insignia potestatis. Vide Sat. 5.

Prima mihi &c. Si vis à me nobilis æstimari: mihi debes, idest, requiro à te primo loco virtutes, quæ sunt animi bona.

Agnosco &c. Te verè tunc nobilem esse agnosco, saluto te ut Getulicum aliquem, ut Silanum &c.

Salve &c Tam verè es nobilis, quàm si esses Cossus Getulicus, de quo supra, aut aliquis Silanus: quocumque ortus es sanguine, patriam tuis beas virtutibus.

Silanus. Fuit legatus P. Scipionis, Pœnos in Africa domuit.

Patriæ &c. Natus es felici patriæ fato, & illi à Superis veluti donatus obtigisti.

Ovanti. De te exultanti, ob tuas virtutes beatæ, ac triumphanti.

Exclamare &c. Cùm te justum, & sanctum video, non possum mihi temperare, quin lætus exclamem. *Invenimus, invenimus*: ut solent Ægyptii, ubi invenerunt Apim bovem, qui Deus ipsorum est: de quo vide Sat. 6. Porrò idem vocabatur etiam Osiris, quia Osiridis animam in vituli corpus transmigrasse dicebant. Fuit autem Osiris Ægypti Rex, de Ægyptiis optime meritus, & ideò divinos honores adeptus.

Quis enim &c. Quis enim illum verè nobilem esse dixerit, atque ob generis claritatem laudandum, qui &c.

Nanum &c. Sensus est, cùm jocari volumus, nanum vocamus Atlanta, hoc est, gigantem, &c. Fuit enim Atlas, gigas maximus, in montem, ut fabulis proditum est, conversus;

Æthiopem, cygnum; parvam, extortamque puellam,
Europen; canibus pigris, ſcabieque vetuſta
Lævibus, & ſiccæ lambentibus ora lucernæ,
Nomen erit pardus, tigris, leo, ſi quid adhuc eſt
Quod fremit in terris violentius: ergo cavebis,
Et metues, ne tu ſis Creticus, aut Camerinus.
His ego, quem monui? tecum eſt mihi ſermo, Rubelli

ſus: Rex erat Mauritaniæ, & Promethei frater.

Æthiopem, &c. Album inſtar cygni eum vocamus, qui ſit niger inſtar Æthiopis.

Extortam. Incurvam, gibboſam, diſtortam.

Europen, &c. Vocamus proceram, & formoſam; qualis fuit Europe, Agenoris Phœniciæ Regis filia, quæ ab Jove in taurum mutato rapta eſſe dicitur.

Canibus pigris &c. Cùm jocari placet, canes tardos, & quibus ob ſenectutem, ſcabiemque pili exciderunt, vocamus pardos, tigres, leones, & ſi quod eſt adhuc ferocius animal, hujus nomen illis canibus damus.

Lævibus. Detonſis, pilos non habentibus.

Siccæ. Oleo vacuæ.

Ergo &c. Senſus eſt: cave ergo tu, homo, ab avita virtute degener, ne pariter per jocum tantùm appelleris iis nominibus, quæ majores tui virtutibus ſuis illuſtria fecerunt.

Creticus &c. Metellus, qui, domita Creta, Creticus eſt appellatus. Camerinus, qui inter priſcos Romanos famam æquitatis magnam, & virtutis conſecutus eſt, miſſus nempe anno U. C. 303. Athenas ad cognoſcendas, & colligendas Græcorum leges, ut ex iis jus Romanum conficeretur, quod in duodecim tabulas relatum eſt. Vide Sat. 2. & 7.

His ego &c. Quemnam his hactenus admonui, nempe te, ò Rubelli, &c.

Rubelli. Rubellius Plancus vir fuit nobiliſſimus; Neronis tempore; quem tamen Juvenalis, tamquam præſentem alloquitur, etſi conſtet hanc Satyram ſcriptam longè poſt Neronis tempora, jam necato Rubellio: ſiquidem hìc agit de Mario, qui, quod Africam ſpoliaſſet, accuſatus eſt Trajano imperante, & de Prætore Celſo, quem Plinius Epiſt. 5. l. 6. narrat Prætorem factum eſſe ſub eodem Trajano. Dici poteſt aliquem alium Rubellium hìc appellari, qui ejuſdem eſſet familiæ, ac nomi-

Plance: tumes alto Drusorum sanguine, tamquam
Feceris ipse aliquid, propter quod nobilis esses;
Ut te conciperet, quæ sanguine fulget Juli,
Non quæ ventoso conducta sub aere texit.
Vos humiles, inquis, vulgi pars ultima nostri,
Quorum nemo queat patriam monstrare parentis:
Ast ego Cecropides. Vivas, & originis hujus
Gaudia longa feras: tamen ima plebe Quiritem
Facundum invenies: solet hic defendere causas
Nobilis indocti: veniet de plebe togata,
Qui juris nodos, & legum ænigmata solvat.

minis. Legunt alii, *Blande*, alii *Plaute*. De hoc agit Tacit. 14. annal. & ait duxisse nobilitatem ex Julia familia per matrem.

Tumes &c Superbus es, quia ducis originem à Drusis, gente nobilissima. Istius enim Rubellii pater duxerat Juliam, Druso Tiberii filio natam; unde Rubellius ejus filius pari gradu Augustum contingebat, ac Nero.

Ut te, &c. Ut nobilis matrona, è gente Julia, mater tua esset. Porrò gens Julia dicebatur ducere originem ab Julo, seu Ascanio, Æneæ filio.

Non quæ &c. Non aliqua plebeja, quæ mercede conducta sub dio texit, idest, telam facit. Alii legunt, *aggere*: erat enim Romæ locus quidam editior, agger Tarquinii dictus, ubi plebejæ mulieres texere solebant.

Vos humiles. Verba sunt Rubellii, plebejos contemnentis: Vos, inquit, viles estis, & pars plebis infima.

Cecropides. Idest: ego sum inter cives Romanos nobilissimus; nempe, qui à Principe civitatis Julio originem ducam: ut Atheniensium nobilissimi erant, qui à Cecrope primo ipsorum Rege prognati, Cecropidæ dicebantur.

Vivas &c. Ironicè: Vive, inquit Poeta; ista tua nobilitate pulcher, ac beatus esto.

Quiritem. Romanum aliquem civem. Romani dicti sunt Quirites à Curibus, urbe primaria Sabinorum, quos Romanis Romulus sociavit.

Veniet &c. Idest, multos de plebe infima invenies juris peritissimos: toga erat vestis exterior tunicæ imposita, qua Romani ut plurimùm utebantur.

Qui juris &c. Qui explicet difficultates ortas è juris formulis, ex ambagibus, & obscuritate legum.

Hic petit, &c. Juvenes multi de plebe ad militiam in extremos Romani Imperii fines proficiscuntur,

Hic petit Euphratem juvenis, domitique Batavi
Custodes aquilas, armis industrius: at tu
Nil nisi Cecropides, truncoque simillimus Hermæ:
Nullo quippe alio vincis discrimine, quàm quòd
Illi marmoreum caput est, tua vivit imago.
Dic mihi, Teucrorum proles, animalia muta
Quis generosa putet, nisi fortia? Nempe volucrem
Sic laudamus equum, facili cui plurima palma

tur, contra Parthos, & Germanos.

Euphratem. Fluvium Mesopotamiæ, qui ex Niphate, majoris Armeniæ monte, nascitur, & Romanos à Parthis dividebat.

Batavi &c. Hoc est, præsidia posita ad coercendos Batavos, ne rebellent. Erant illi inferioris Germaniæ populi, haud multò ante à Domitiano domiti. Porrò aquilæ hìc significant signa militaria, & cohortes, quæ in Belgio excubabant.

Nil nisi &c. Idest; nihil nisi vanum, & inane nobilis viri nomen habes, cæterùm neque militiæ, neque domi bonus, & utilis es.

Truncoque &c. Planè similis es trunco Hermæ, seu Mercurii Statuæ capite truncatæ: tam ad omnia inutilis es, quam infima pars statuæ. Mercurii enim statuis caput vulgò marmoreum, & affabre factum imponebatur, reliqua pars corporis rudis erat, impolita, & trunca, humeri sine brachiis, &c. Ejusmodi simulachra ad ornatum adhibebantur privatis in locis, ac publicis. Hermes, Ἑρμῆς, apud Græcos Mercurii nomen est.

Nullo &c. Nullum aliud est discrimen te inter, & illam statuam; nulla alia re illam superas, nisi quòd tu vivis, illa vitæ est expers.

Tua &c. Satyricè: quasi diceret Poeta illum non tam hominem esse, quàm viventem quamdam, & animatam statuam.

Dic mihi &c. Age, ò Rubelli, qui te à Julio Cæsare, Trojanisque oriundum jactas. Augustus ab Ænea originem ducebat: quæ causa Virgilio fuit Æneidos componendæ.

Generosa. Nobilia.

Nisi fortia. Idest: nisi sint viribus, velocitate, aut aliqua id genus dote præstantia.

Volucrem. Velocem.

Facili cui &c. Ordo est: cui plurima victoria fervet facili palma: idest: qui sæpe, & facilè alios equos cur-

Fervet, & exultat rauco victoria Circo.
Nobilis hic, quocumque venit de gramine, cujus
Clara fuga ante alios, & primus in æquore pulvis:
Sed venale pecus Corythæ posteritas, &
Hirpini, si rara jugo victoria sedit.
Nil ibi majorum respectus, gratia nulla
Umbrarum; dominos pretiis mutare jubentur
Exiguis, tritoque trahunt epirhedia collo
Segnipedes, dignique molam versare Nepotis.
Ergo ut miremur te, non tua; primum aliquid da,
Quod possim titulis incidere, preter honores,

cursu vincit.

Et exultat &c. Et cui victoriam gratulantur exultantes in circo spectatores, rauci clamando, & plaudendo.

Circo. Circus erat locus, in quo sedens populus ludos spectabat; ita dictus à forma rotunda. Tres ejusmodi circi Romæ fuerunt; Maximus, Flaminius, & Neronis.

Nominis &c. Hic equus censetur nobilis, (quocumque ex agro veniat) cujus præ cæteris equis fuga, hoc est, velocitas clara est, & spectata.

Gramine. Pascuo, agro, regione. Alii legunt, *germine*, hoc est, prosapia, & natalibus.

Et primus &c. Qui primus omnium pulverem in æquore seu planitie circi currendo excitat: hoc est, qui cæteros cursu antecedit.

Sed &c. Ordo est: at Corythæ, & Hirpini posteritas sunt pecus venale, id est, equi generosissima equa Corytha, & laudatissimo equo Hirpino nati, non magni æstimantur, sed cum gregariis equis venduntur rhedariis, & molitoribus, si degeneres sint, & curuli certamine alios raro equos vicerint; si raro fuerint victores ii, qui sedebant in curru, quem illi equi degeneres traherent.

Corytha. Equam hanc suis versibus poetæ celebrarunt: equum Hirpinum laudat Martialis Lib. 3. Epigrammate 50. Vide nostras eo loci notas.

Nil ibi &c. Nemo respicit, attenditque ad majores illius equi degeneris, neque ob illius majorum umbras, & manes illum pluris facit.

Epirhedia. Currus, vehicula.

Nepotis. Nomen est mulionis: Legerem libenter cum viro erudito, *nepotes*, idest, nobilium equorum degeneres: si hæc lectio in aliquo haberetur bono codice.

Te, non tua. Te ipsum, non majores tuos, eorumque facta.

Da quod &c. Idest; ede aliquid, quod à te rectè

factum

Quos illis damus, & dedimus, quibus omnia debes.
Hæc satis ad juvenem, quem nobis fama superbum
Tradit, & inflatum, plenumque Nerone propinquo;
Rarus enim fermè sensus communis in illa
Fortuna. Sed te censeri laude tuorum,
Pontice, noluerim, sicut nihil ipse futuræ
Laudis agas: miserum est aliorum incumbere famæ,
Ne collapsa ruant subductis tecta columnis,
Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos.
Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer, ambiguæ si quando citabere testis,

factum sit, non à tuis; cedo aliquid, quod ponere possim in inscriptionibus, & titulis tuarum imaginum, ac statuarum, præter majorum tuorum titulos, & honores.

Quibus &c. Quorum honoribus tantùm magnus es: cùm per te nihil laude dignum habeas.

Hæc satis &c. Hæc sufficiant, hæc obiter, & quasi aliud agendo, dicta sint Rubellio.

Quem nobis &c. Quem ajunt superbum esse, fastuque turgidum, eò quòd sit propinquus, & affinis Neronis.

Rarus &c. Rarum est sapere in magnis opibus, atque in ampla fortuna, qualem habuit ille Rubellius.

Censeri. Nobilem æstimari.

Sic ut nihil &c. Ita ut nihil agas, unde laudem in futurum tempus consequaris; ita ut præterita tantùm gloria majorum gaudeas.

Incumbere. Inniti, fulciri, ut domus columnis fulcitur.

Ne collapsa &c. Ne tua omnis gloria, & nobilitas, similis domui, quæ sublatis, & subtractis, quibus imposita erat, columnis, labitur, subductis majorum honoribus, ruat, ac jaceat.

Stratus &c. Ut palmes, seu vitis, humi strata jacet, cùm ab ulmo separata est, cui adjungi, & maritari solet, ut se erigat: ita tu quoque jacebis, & eris contemptui, subtractis majorum honoribus.

Viduas. A vite separatas.

Desiderat. Frustra requirit, & ab iis dolet se avulsum esse.

Arbiter &c. Idest, judex esto incorruptus. Propriè arbiter est is, qui ad dirimendam litem ultro deligitur à litigantibus, ut eam amicè componat.

Pha-

Incertæque rei: Phalaris licèt imperet, ut sis
Falsus, & admoto dictet perjuria tauro;
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere causas.
Dignus morte, perit, cœnet licèt ostrea centum
Guarana, & Cosmi toto mergatur aheno.

Expectata diu tandem provincia cùm te
Rectorem accipiet, pone iræ fræna, modumque,
Pone & avaritiæ: miserere inopum sociorum:
Ossa vides Regum vacuis exhausta medullis.
Respice, quid moneant leges, quid Curia mandet,
Præmia quanta bonos maneant, quo fulmine justo

Phalaris. Agrigentinorum in Sicilia Tyrannus fuit: is in æreo tauro, cui subjiciebat ignem, homines cruciabat. Sensus igitur est: licèt Phalaris aliquis, proposito supplicii acerbissimi metu, mentiri te, ac perjurum esse jubeat, tamen &c.

Dictet &c. Velit te ad perjurium adigere, minitatus tibi taurum ahenum. Vide Persii Sat. 3.

Animam. Vitam.

Pudori. Virtuti, honestati.

Causas. Virtutem, veritatem, honestatem; propter quas optanda est, & ducenda vita. Sententia est, noli, ut vitam serves, virtutem amittere.

Dignus &c. Sensus est: qui, propter scelera, dignus est morte, jam periit: perinde se habet, ac si esset mortuus, nullo in pretio, & honore habendus est.

Gaurana. Lucrina. Gaurus mons est Campaniæ maritimus propè lacum Lucrinum, ubi optima ostrea.

Et Cosmi &c. Licèt pretiosissimis unguentis quotidie perfundatur, quæ Cosmus vendit, (famosus tunc Romæ unguentarius) licèt in vas unguentis plenum, & odoribus te immergas, &c.

Expectata &c. Cùm administranda tibi datur provincia, quam diu expetiisti, & expectasti.

Pone &c. Ab ira, & avaritia tempera.

Sociorum. Provincialium, sociorum Pop. Rom. & fœderatorum.

Ossa &c. Reges à Præfectis exhaustos, & fortunis omnibus exutos: ut præter ossa, eaque medullis destituta, nihil ipsis superesse videatur.

Curia &c. Quæ tibi Senatus dederit mandata: nempe, ut justè cum sociis agas.

Maneant. Expectent; sensusque est: vide, quanta provinciarum gubernatoribus merces, vel pœna proposita sit.

Quo fulmine &c. Quàm gravi, & justa pœna damnati

sint

Et Capito, & Numitor ruerint, damnante Senatu,
Piratæ Cilicum. Sed quid damnatio confert,
Cùm Pāſa eripiat, quidquid tibi Natta reliquit?
Præconem, Chærippe, tuis circumſpice pannis;
Jamque tace: furor eſt poſt omnia perdere naulũ.
Non idem gemitus olim, nec vulnus erat par
Damnorum, ſociis florentibus, & modò victis.
Plena domus tunc omnis, & ingens ſtabat acervus
Nummorum, Spartana chlamys, conchylia Coa,

ſint à ſenatu Julius Numitor, & Capito, quòd Ciliciam, Aſiæ minoris regionem, cui præerant, ſpoliaſſent.

Piratæ, &c. Ideſt, ipſorum piratarum ſpoliatores. Cilices enim piraticam exercebant.

Sed quid, &c. Quid prodeſt miſeris ſociis, quod ii, à quibus fuere ſpoliati, damnentur, & puniantur, cùm ab alio ſuccedente Gubernatore, & Præfecto adhuc ſpolientur?

Panſa. Poſterior Præfectus

Natta. præfectus prior

Chærippe. Nomen eſt fictum alicujus in provincia ſocii.

Tuis, &c. Senſus eſt: vide tuas veſtes, tuam ſupellectilem coram te a præcone vendi, jubente Præfecto Romano: vel potiùs, quære aliquem præconem, à quo jubeas vendi tuas veſtes, & ſupellectilem, auctione conſtituta, ut ex iis ſaltem redigas pecuniam, quam ab avaro Præfecto faciliùs tuearis, & defendas.

Jamque tace. Noli conqueri de provinciæ Præfecto, & longam navigationem in Italiam ſuſcipere ad eum accuſandum Romæ in Senatu.

Furor, &c. Inſani, & furentis eſt, poſtquam omnia perdidiſti, etiam perdere pretium navigationis: inutilis enim erit tua Romam navigatio: nam, etiamſi damnaretur præfectus, à quo ſpoliatus es, non redderetur tibi pecunia. ſed in ærarium inferretur.

Naulum. Eſt pretium, quod nautis ſolvitur pro traiectione, & maritimo itinere.

Non idem, &c. Cùm ſocii olim florentes, ac locupletes erant, & recens victi à Romanis, non tantus ipſis erat dolor, damnumque, quando ſpoliabantur; cùm, pluribus ablatis, multa adhucupereſſent.

Plena, &c. Senſus eſt: tunc enim erant ſocii divites; nunc autem egentes, & nudi.

Spartana. Quæ tincta eſt purpura è muricibus, qui capiuntur circa Tænarum. Laconiæ in Græcia promontorium, ubi Sparta, urbs olim celebris.

Conchylia Coa. Tenuia, &

 deli-

Et cum Parrhasii tabulis, signisque Myronis,
Phidiacum vivebat ebur, nec non Polycleti
Multus ubique labor; raræ sine Mentore mensæ.
Inde Dolabella est, atque hinc Antonius, inde
Sacrilegus Verres: referebant navibus altis
Occulta spolia, & plures de pace triumphos.
Nunc sociis juga pauca boum, grex parvus equarũ,
Et pater armenti capto eripietur agello;
Ipsi deinde Lares; si quod spectabile signum,
Si quis in ædicula Deus unicus; hæc etenim sunt

delicata vestimenta, tincta Conchyliis, in Coo insula captis. Conchylia propriè sunt pisciculi conchis inclusi, quorum è sanguine fit purpureus color. Cos autem est insula maris Ægæi, una Cycladum.

Parrhasii. Pictoris egregii, qui Ephesi floruit.

Signisque, &c. Statuis à Myrone insigni statuario factis.

Phidiacum, &c. Idest; erant apud eos eburneæ statuę à Phidia, sculptore egregio, tam peritè elaboratę, ut vivere, atque animatæ esse viderentur.

Polycleti, &c. Multæ statuæ, à Polycleto Sicyonio, statuario item insigni, factę.

Raræ, &c. Erant paucæ mensæ, in quibus non essent pocula cælata à Mentore, celeberrimo poculorum cælatore.

Inde, &c. Ex iis provincialium opibus facti sunt sacrilegi Dolabella, Antonius, Verres, &c. qui sociorum prædones fuere: idest, illæ sociorum opes occasionem dedere furtis, & rapinis Dolabellæ, Verris, &c.

Dolabella. Quem Scaurus accusavit, damnavitque, quòd Asiam Proconsul expoliasset.

Antonius. Senatu motus, quòd Achajam deprædatus esset.

Verres. Siciliæ Prætor, & prædo, quem Cicero accusavit.

Occulta spolia. Furtim ablata sociorum bona.

Plures, &c. Idest; plura spolia ex amicorum provinciis abacta Romam reportabant, quàm duces fortissimi de hostibus devictis olim deferrent. Solebant in triumphis spolia hostium ferri publicè.

Pater armenti. Taurus, vel equus, ad sobolem sufficiendam lectus.

Lares. Ipsi Dii, Penates, & domestici eripiuntur.

Si quod, &c. Si qua est statua paulò elegantior.

Hæc, &c. Etsi enim hæc vilia sint, tamen à miseris sociis pro summis habentur, cum nihil jam habeant pretiosius.

De-

Pro summis, nam sunt hæc maxima. Despicias tu
Forsitan imbelles, Rhodios, unctamq; Corinthũ:
Horrida vitanda est Hispania, Gallicus axis,
Illyricumque latus; parce & messoribus illis,
Qui saturant Urbem, circo, scenæque vacantem.
Quanta autem inde feres tam diræ præmia culpæ,
Cùm tenues nuper Marius discinxerit Afros?
Curandum in primis, ne magna injuria fiat
Fortibus, & miseris: tollas licèt omne, quod usquam est
Auri, atq; argenti, scutum, gladiumque relinques,
Et jacula, & galeam; spoliatis arma supersunt.
Quod modò proposui, non est sententia; verùm

Despicias, &c. Alloquitur provinciæ Præfectum. Impunè, inquit, deprædaris molles, ignavosq; Rhodios, & meritò eos contemnis: at cave spolies Hispanos, Gallos, &c. ulciscentur enim illi.

Unctamque. Unguentis perfusam, voluptatibus deditam.

Corinthum. Est urbs Græciæ in Achaja, ferè in medio Isthmo Peloponnesiaco, divitiis suis, ac deliciis famosa.

Horrida, Ferox, inculta, & deliciarum contemptrix.

Vitanda est. Non est lacessenda rapinis tuis.

Gallicus axis. Idest, Gallia, quæ, si e Roma spectetur, ad axem, seu polum septentrionarem vergit.

Illyricumque, &c. Illyrii, qui latus, seu littus dextrum maris Adriatici incolunt; Sclavoniã nunc appellamus.

Messoribus. Afros intelligit.

Qui saturant, &c. Ex Africa enim frumẽta multa Romam advehebantur.

Circo, &c. Circensibus ludis, fabulisque theatralibus indulgentem.

Scenæ. Scena propriè significat umbraculum è ramis arborum. Accipitur vulgò pro theatro, vel parte aliqua fabulæ tragicæ. Olim à Theatris arcebatur Sol, obductis ramalibus.

Quantum, &c. Sensus est: & verò parum inde lucri faceres; cùm sint Afri nuper à Mario prorsus spoliati.

Tenues. Inopes, & miseros.

Marius. Marius Priscus, qui damnatus est à Senatu, quòd Africam spoliasset.

Discinxerit. Abstulerit iis zonam; idest, deprædatus sit omnino. Solebant antiqui nummos in cingulo, seu zona, ferre.

Fortibus, &c. Fortibus, iisdemque miseris: quia nempe injuriarum tandem ultionem, ac pœnas repetent.

Quod modò, &c. Quæ dixi hactenus, non sunt inanes sen-

Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.
Si tibi sancta cohors comitum; si nemo tribunal
Vendit Acersecomes, si nullum in conjuge crimẽ,
Nec per conventus, nec cuncta per oppida curvis
Unguibus ire parat nummos raptura Celæno:
Tunc licèt à Pico numeres genus; altaque si te
Nomina delectant, omnem Titanida pugnam
Inter majores, ipsumque Promethea ponas:
De quocumque voles proavum tibi sumito libro.
Quòd si præcipitem rapit ambitus, atque libido;
Si frangis virgas sociorum in sanguine; si te

sententiolæ; sed tam vera sunt, quàm oracula, quæ in foliis arborum solebat olim Sibylla scribere. Sententia vulgò sumitur pro morali quodam effato, seu axiomate, quod amplificandæ, & ornandæ orationi servit.

Si tibi, &c. Idest; si domesticos habeas vitiorum expertes.

Tribunal vendit. Corruptus pecunnia, extorquet sententiam iniquam à te ferendam e tribunali,

Acersecomes. Græca vox est, quæ intonsum significat; estque Apollinis epithetum apud poetas frequens. Significat hìc aulicum, & amicum aliquem Præfecto carum.

Crimen. Avaritia.

Nec per &c. Nec uxor tua, similis Harpyiæ alicui, currit, &c.

Conventus. Erant in provinciis quædam oppida celebriora, quò conveniebant vicini populi, ut de rebus toti provinciæ communibus deliberarent, jus dicerent, &c.

Celæno. Una fuit è tribus Harpyis, quæ finguntur à poetis monstra fuisse sordida, & rapacissima: de quibus vide Virg. l. 3. Æneid.

Tunc licèt, &c. Si talis es, per me licèt repetas originem ab ipso Pico; patior, te libenter usurpare nobilitatis nomen, seu fictum, seu verum.

Pico. Fuit ille Saturni filius, Fauni pater, primusq; Rex Aboriginum, qui fuerunt primi Italiæ populi, & indigenæ.

Ipsumque, &c. Ipsos etiam, si libet, Titanas, seu gigantes, qui contra Deos pugnaverunt: nota est historia: Sensus itaque est: permittam tibi, ut jam inde ab mundi origine repetas tuæ familiæ vetustatem.

Promethea. Japeti filium, & Deucalionis patrem, de quo vide Sat 5.

Libro. Scriptore, vel historia.

Si frangis, &c. Si crudelis es in socios, quibus præes; si flagellis cædi eos jubes, donec ipsorum sanguine cruentæ lictorum tuorum virgæ frangantur.

Si te; &c. Si amas videre licto-

Delectant hebetes lasso lictore secures:
Incipit ipsorum contra te stare parentum
Nobilitas, claramque facem præferre pudendis.
Omne animi vitium tantò conspectius in se
Crimen habet, quantò major, qui peccat, habetur.
Quò mihi te? solitum falsas signare tabellas,
In templis, quæ fecit avus, statuamque parentis
Ante triumphalem? quò, si nocturnus adulter
Tempora Santonico velas adoperta cucullo?
Præter majorum cineres, atque ossa, volucri
Carpento rapitur pinguis Damasippus, & ipse,
Ipse rotam stringit multo sufflamine Consul:
Nocte quidem: sed Luna videt, sed sidera testes

lictorum secures crebris ictibus obtusas, ipsosque lictores feriendo defatigatos.

Contra te stare. Tibi nocere.

Claramque, &c. Turpia tua flagitia nota omnibus facere, & illustrare, velut admota face.

Omne animi, &c. Sensus est: tantò graviora sunt scelera, omnibusque notiora, & magis conspicua, quantò nobiliores illi sunt, à quibus admittuntur.

Quò mihi te, &c. Quid mihi te nobilem jactas? te, inquam, qui soles, &c.

Tabellas. Testamenti, vel alterius instrumenti.

In templis. In iis obsignabant testamenta, & alia instrumenta, ut loci sanctitas metum, ac religionem obsignantibus iniiceret.

Quò, si &c. Quorsum, inquam, te nobilem dicis, dum, ad adulteria clam noctu committenda, caput involvis cucullo Santonico?

Cucullo. Est tegumentū capitis, è rudi panno factum, quo plebecula utebatur Romæ Santonicum vocat, quòd eo Sanctones Galliæ populi, uterentur.

Præter, &c. Juxta cineres majorum suorum, hoc est, in via Flaminia, vel Latina, ubi multa nobilium sepulchra erant.

Volucri, &c. Veloci curru fertur.

Damasippus. Nobilis, quipiam, aurigæ artem exercens; quales multi fuere tempore Neronis, qui hanc ipse artem exercebat. Nomen est fictum è Græco; quasi, equorum domitor. δαμάω, domo, ἵππος equus.

Et ipse, &c. Et ipse, licèt Consul sit, rotas currus sui, ne nimium procurrāt, stringit, idest, coercet, adhibito multo sufflamine. Sufflamen enim est retinaculum, quod per radios rotarum immissum, currum in descensu sistit, ne præceps per declive rapiatur.

Intendunt oculos. Finitum tempus honoris
Cùm fuerit, clara Damasippus luce flagellum
Sumet, & occursum nusquam trepidabit amici
Jam senis, at virga prior innuet, atque maniplos
Solvet, & infundet jumentis hordea lassis.
Intereà dum lanatas, torvumque juvencum,
More Numæ, cædit, Jovis ante altaria, jurat
Hipponam, & facies olida ad præsepia pictas,
Sed cùm pervigiles placet instaurare popinas;
Ovibus assiduo Syrophœnix udus amomo
Currit, Idumææ Syrophœnix incola portæ;

Honoris. Consulatus.

Flagellum sumet. Ad agitandos equos, & ducendum currum.

Jam senis. Gravis scilicet alicujus Senatoris, cujus auctoritatem, ætatemq; revereri debuisset.

Innuet. Flagello insonabit ad ostentationem artis: vel, flagelli acuto crepitu amicum salutabit prior.

Maniplos. Fasciculos fæni, quos jumentis apponat.

Lanatas. Oves lana tectas.

More Numæ. Tam religiosus scilicet, quàm alter Numa: ut dictum sit per ironiam. Vel si mavis, sensus est: dum, pro more à Numa instituto, ipse, utpote Consul, ante aras Jovis oves, & taurum immolat, tacitus, & in sinu solam Hipponam invocat.

Hipponam. Jumentorum, & mulionum Deam: tanquam Numen maxime sibi venerandum, quod habere propitium, ac placatum curat. Eponam vocat Prudentius, & alii legunt *Solam Hippo*: ita, ut Hippo sit nomen istius Deæ: quod inflectatur, ut Dido, Didus.

Facies. Imagines ejusdem Deæ; atque aliorum ejusmodi Numinum, quę equis præsunt.

Instaurare. Cùm idem Damasippus, intermissa aurigatione, repetit popinas, in quibus ad multam noctē vigilare potores solent. Utitur verbo, *instaurare*, ut ostendat hoc sæpè fieri.

Syrophęnix. Unguentarius aliquis è Syria, & Phœnicia, unde mittuntur unguenta, & odores.

Udus amomo. Assidua tractatione amomi habens manus udas, seu humidas. Unguenta ferè pinguia sunt ob oleum admistum. Est autem amomum, arbuscula odorem suavissimum spirans, ex qua unguenta liquida conficiebantur.

Idumæa, &c. Idest, cujus domus est propè portam Judæorum. Erat enim Romæ porta quædam, sic dicta, quod per eam Vespasianus, & Titus de Judæis triumphantes ingressi essent. Est autem Idumæa Syriæ pars.

Ju-

Hospitis affectu dominum, regemque salu ta
Et cum venali Cyane succincta lagena.
Defensor culpæ dicet mihi: Fecimus & nos
Hæc juvenes: Esto; desisti nempe, nec ultra
Fovisti errorem. Breve sit, quod turpiter audes:
Quædam cum prima resecentur crimina barba.
Indulge veniam pueris: Damasippus ad illos
Thermarum calices, inscriptaque lintea vadit
Maturus bello Armeniæ, Syriæque tuendis
Judææ vicina.

Hospitis affectu, &c. Blandè salutat, & perhumaniter: ut hospes solet adventantes salutare, & in suam tabernam invitare: etiam appellat dominũ, & regem

Et cum venali, &c. Adest Cyane, copa, seu tabernaria, vini amphoram afferens, & ad ministrandum succincta: ac Damasippum iisdem blanditiis excipit.

Defensor. Aliquis nobilis, qui culpam hanc Damasippi volet defendere, dicet se, cùm juvenis esset, hæc eadem fecisse, ac proinde se ignoscere Damasippo.

Esto, &c. Respondet Poeta. Esto; fateor, hæc juvenis fecisti: sed jamdudum desiisti hæc facere, nec ultra juvenilem ætatem errorem produxisti: at non item Damasippus, qui jam vir, immò & Consul, bellisque administrandis maturus, frequentat popinas, &c.

Breve sit, &c. Si quid improbe facis, ne facias diu.

Quædam, &c. Vitia sunt quædam, quæ cum prima barba plane deponenda sunt, hoc est, ubi ætas accesserit; aut quæ in viro minimè tolerari possint.

Indulge, &c. Possint hæc fortasse adolescentibus ob ætatem condonari: sed Damasippus, &c.

Ad illos &c. Non erubescit potare in popinis, & thermis: quod vilissimi tantùm faciunt. Thermæ porrò loca sunt quædam calida, ubi Romani sudabant valetudinis ergo: sudorem verò provocabant vel igne, vel sole, vel aqua calida.

Inscriptaque lintea. Id est, ad popinas: popinis enim solebant apponi vela, eaque ut plurimùm linea; in quibus inscribebant res in taberna venales.

Maturus, &c. Et jam ætate, ut aptus sit ad tractanda bella contra imperii hostes.

Armeniæ. In qua, Neronis tempore, grave fuit bellum contra Parthos, à Corbulone confectum. Vide Sat. 6.

Syriæque omnibus. Euphrati, & Oronti.

Tuendis. Contra Parthorum incursiones.

Amnibus, & Rheno, atque Istro: præstare Neronem
Securum valet hæc ætas. Mitte Ostia, Cæsar,
Mitte; sed in magna legatum quære popina.
Invenies aliquo cum percussore jacentem,
Permistum nautis, aut furibus, aut fugitivis,
Inter carnifices, & fabros sandapilarum,
Et resupinati cessantia tympana Galli;
Æqua ubi libertas, communia pocula, lectus
Non alius cuiquam, nec mensa remotior ulli.

Rheno, &c. Ne incursent in vicinas sibi provincias Germani, Rheni, Istrique, seu Danubii accolæ. Rhenus oritur in Alpibus, desinit in Belgio. Ister sive Danubius, oritur in monte quodam Germaniæ, Arbona dicto, ac per Illyricum, ubi propriè Ister appellatur, lapsus, in Pontum Euxinum, per ostia sex evolvitur.

Præstare, &c. Milites hac ætate, hoc est, juvenes adhuc, & robusti, qualis est Damasippus, possunt Imperatorem, & Imperium contra hostes tutum reddere.

Mitte, &c. Si tibi opus est viro nobili, ò Imperator, quem Legatum mittas contra hostes Imperii, noli eum quærere in Ostiis Tiberinis, omitte urbem, ac portum Ostiensem, (unde solvebant naves in oras exteras profecturæ:) sed eum quære Romæ in aliqua popina. Vel, mitte illum, & ire jube ad Ostia Tyberina, sed priùs illum in popina quære. In eo littore, in quo se Tyberis evolvit in mare, est urbs celebris, Ostia dicta.

Legatum. In re bellica is erat, qui vices gerebat Imperatoris, & ejus nomine ducebat exercitum.

Percussore. Sicario, aut gladiatore.

Fugitivis. Servis improbis, qui dominos deserere solent.

Sandapilarum. Vilium feretrorum, quibus plebeculæ, & damnatorum corpora efferebantur.

Resupinati. Ignavi, ebrii, in tergum jacentis.

Cessantia, &c. Inter sacerdotes Cybeles; qui, post suas per Urbem bacchationes, secedunt in popinas, ubi, relictis tympanis suis, potationi indulgent.

Galli. Erant sacerdotes Cybeles, qui in ejus sacris celebrandis maximè utebantur tympanis. Porrò in Phrygia præcipuè colebatur Cybele: ibi fluvius quidam est, Gallus dictus, unde nomen illis sacerdotibus.

Non alius, &c. Eodem in lecto stipati omnes ad eamdem mensam accumbunt.

Remotior. Separata quædam mensa ab reliquis mēsis (uti viris honestioribus poni solet) nulla hic est.

Quid facias talem sortitus, Pontice, servum?
Nempe in Lucanos, aut Thusca ergastula mittas.
At vos Trojugenæ vobis ignoscitis, & quæ
Turpia cerdoni, Volesos, Brutosque decebunt.
Quid, si nunquam adeò fœdis, adeòque pudendis
Utimur exemplis, ut non pejora supersint?
Consumptis opibus vocem, Damasippe, locasti
Sipario, clamosum ageres ut Phasma Catulli.
Laureolum velox etiam bene Lentulus egit,
Judice me, dignus vera cruce. Nec tamen ipsi

Sortitus, &c. Si haberes ejusmodi servum, qui eadem ageret, quæ isti nobiles, quid illi faceres? mitteres certè illum in ergastulum. Ergastulum autem locus erat, ubi servi compedibus vincti opus faciebant, fodiebant, arabant, &c.

Lucanos. Lucania est in extrema Italia.

Tusca. Tuscia, sive Hetruria, pars Italiæ mediæ, supra Romanum agrum: Quænam sint ergastula, dictum Sat 6.

At vos, &c. O Romani, servos ita vestros puniretis, vobis ipsi veniam datis: ignoscitis ea vobis, quę in mancipiis plectenda putaretis.

Trojugenæ. Nobiles Romani, qui à Trojanis originem deducitis.

Cerdoni. Veteramentario vili, & ignobili sutori.

Volesos, Brutosque. Idest, Nobiles. Ironia est. Volesorum familia, è Sabinis orta, illustris Romæ fuit, ut & familia Brutorum.

Vocem. Histrionibus vocem tuam vendidisti, ut, pacta mercede, partes tuas ageres in theatro.

Sipario. Ludis scenicis. Est enim siparium, aulæum, seu velum, quo tecti, latent mimi, & histriones, donec in scenam prodeant.

Phasma. Fabulam, Phasma dictam, idest spectrum, à Catullo comœdiarũ scriptore quodam elaboratam.

Clamosum. Magno clamore declamandum.

Laureolum. Personam cujusdam servi nomine Laureoli; qui in fabula, seu comœdia cruci affigebatur, quia fuerat in flagranti furto deprehensus.

Velox. Est cognomen Lentuli: vel, epithetum servo, cujus personam agebat Lentulus, accommodatum, agilis, acer.

Vera. Non ficta, in quam tolli fingebatur, & exhibebatur in ista comœdia, sed vera; verè in crucem agendus, quia cùm esset nobili ortus genere, tam turpem personam agere non erubuit.

Nec tamen, &c. Sensus est; jure quidem nobiles illi arguendi sunt; sed & culpandus meritò populus, qui eos hæc agentes spectet cum plau-

Hos ante effigies majorum pone tuorum,
Præcedant ipsas illi, te Consule, virgas:
Prima mihi debes animi bona. Sanctus haberi,
Justitiæque tenax factis, dictisque mereris?
Agnosco procerem: salve, Getulice, seu tu
Silanus; quocumque alio de sanguine, rarus
Civis, & egregius patriæ contingis ovanti:
Exclamare libet, populus quod clamat Osiri
Invento. Quis enim generosum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantùm
Insignis? Nanum cujusdam, Atlanta vocamus,

vius Drusus, cognomento Salinator, qui Asdrubalem Consul vicit.

Hos &c. Idest, mores: & sensus est, pluris æstima mores illos, quàm statuas majorum.

Præcedant &c. Cùm eris Consul, mores integri, & virtutes, insignia sint, & ornamenta tuæ dignitatis illustriora, quàm fasces, & virgæ, quæ ante Consulem à duodecim lictoribus præferri solent, ut insignia potestatis. Vide Sat. 5.

Primæ mihi &c. Si vis à me nobilis æstimari: mihi debes, idest, requiro à te primo loco virtutes, quæ sunt animi bona.

Agnosco &c. Te verè tunc nobilem esse agnosco, saluto te ut Getulicum aliquem, ut Silanum &c.

Salve &c Tam verè es nobilis, quàm si esses Cossus Getulicus, de quo supra, aut aliquis Silanus: quocumque ortus es sanguine, patriam tuis beas virtutibus.

Silanus. Fuit legatus P. Scipionis, Pœnos in Africa domuit.

Patriæ &c. Natus es felici patriæ fato, & illi à Superis veluti donatus obtigisti.

Ovanti. De te exultanti, ob tuas virtutes beatæ, ac triumphanti.

Exclamare &c. Cùm te justum, & sanctum video, non possum mihi temperare, quin lætus exclamem. *Invenimus, invenimus*: ut solent Ægyptii, ubi invenerunt Apim bovem, qui Deus ipsorum est: de quo vide Sat. 6. Porrò idem vocabatur etiam Osiris, quia Osiridis animam in vituli corpus transmigrasse dicebant. Fuit autem Osiris Ægypti Rex, de Ægyptiis optime meritus, & ideò divinos honores adeptus.

Quis enim &c. Quis enim illum verè nobilem esse dixerit, atque ob generis claritatem laudandum, qui &c.

Nanum &c. Sensus est, cùm jocari volumus, nanum vocamus Atlanta, hoc est, gigantem, &c. Fuit enim Atlas, gigas maximus, in montem, ut fabulis proditum est, conversus;

Æthiopem, cygnum; parvam, extortamque puellam,
Europen; canibus pigris, scabieque vetusta
Lævibus, & siccæ lambentibus ora lucernæ,
Nomen erit pardus, tigris, leo, si quid adhuc est
Quod fremit in terris violentius: ergo cavebis,
Et metues, ne tu sis Creticus, aut Camerinus.
His ego, quem monui? tecum est mihi sermo, Rubelli

sus: Rex erat Mauritaniæ, & Promethei frater.

Æthiopem, &c. Album instar cygni eum vocamus, qui sit niger instar Æthiopis.

Extortam. Incurvam, gibbosam, distortam.

Europen, &c. Vocamus proceram, & formosam; qualis fuit Europe, Agenoris Phœniciæ Regis filia, quæ ab Jove in taurum mutato rapta esse dicitur.

Canibus pigris &c. Cùm jocari placet, canes tardos, & quibus ob senectutem, scabiemque pili exciderunt, vocamus pardos, tigres, leones, & si quod est adhuc ferocius animal, hujus nomen illis canibus damus.

Lævibus. Detonsis, pilos non habentibus.

Siccæ. Oleo vacuæ.

Ergo &c. Sensus est: cave ergo tu, homo, ab avita virtute degener, ne pariter per jocum tantùm appelleris iis nominibus, quæ majores tui virtutibus suis illustria fecerunt.

Creticus &c. Metellus, qui, domita Creta, Creticus est appellatus. Camerinus, qui inter priscos Romanos famam æquitatis magnam, & virtutis consecutus est, missus nempe anno U. C. 303. Athenas ad cognoscendas, & colligendas Græcorum leges, ut ex iis jus Romanum conficeretur, quod in duodecim tabulas relatum est. Vide Sat. 2. & 7.

His ego &c. Quemnam his hactenus admonui, nempe te, ò Rubelli, &c.

Rubelli. Rubellius Plancus vir fuit nobilissimus; Neronis tempore; quem tamen Juvenalis, tamquam præsentem alloquitur, etsi constet hanc Satyram scriptam longè post Neronis tempora, jam necato Rubellio: siquidem hìc agit de Mario, qui, quod Africam spoliasset, accusatus est Trajano imperante, & de Prætore Celso, quem Plinius Epist. 5. l. 6. narrat Prætorem factum esse sub eodem Trajano. Dici potest aliquem alium Rubellium hìc appellari, qui ejusdem esset familiæ, ac nomi-

Plance: tumes alto Drusorum sanguine, tamquam
Feceris ipse aliquid, propter quod nobilis esses;
Ut te conciperet, quæ sanguine fulget Juli,
Non quæ ventoso conducta sub aere texit.
Vos humiles, inquis, vulgi pars ultima nostri,
Quorum nemo queat patriam monstrare parentis:
Ast ego Cecropides. Vivas, & originis hujus
Gaudia longa feras: tamen ima plebe Quiritem
Facundum invenies: solet hic defendere causas
Nobilis indocti: veniet de plebe togata,
Qui juris nodos, & legum ænigmata solvat.

minis. Legunt alii, *Blande*, alii *Plaute*. De hoc agit Tacit. 14. annal. & ait duxisse nobilitatem ex Julia familia per matrem.

Tumes &c Superbus es, quia ducis originem à Drusis, gente nobilissima. Istius enim Rubellii pater duxerat Juliam, Druso Tiberii filio natam; unde Rubellius ejus filius pari gradu Augustum contingebat, ac Nero.

Ut te, &c. Ut nobilis matrona, è gente Julia, mater tua esset. Porrò gens Julia dicebatur ducere originem ab Julo, seu Ascanio, Æneæ filio.

Non quæ &c. Non aliqua plebeja, quæ mercede conducta sub dio texit, idest, telam facit. Alii legunt, *aggere*: erat enim Romæ locus quidam editior, agger Tarquinii dictus, ubi plebejæ mulieres texere solebant.

Vos humiles. Verba sunt Rubellii, plebejos contemnentis: Vos, inquit, viles estis, & pars plebis infima.

Cecropides. Idest: ego sum inter cives Romanos nobilissimus; nempe, qui à Principe civitatis Julio originem ducam: ut Atheniensium nobilissimi erant, qui à Cecrope primo ipsorum Rege prognati, Cecropidæ dicebantur.

Vivas &c. Ironicè: Vive, inquit Poeta; ista tua nobilitate pulcher, ac beatus esto.

Quiritem. Romanum aliquem civem. Romani dicti sunt Quirites à Curibus, urbe primaria Sabinorum, quos Romanis Romulus sociavit.

Veniet &c. Idest, multos de plebe infima invenies juris peritissimos: toga erat vestis exterior tunicæ imposita, qua Romani ut plurimùm utebantur.

Qui juris &c. Qui explicet difficultates ortas è juris formulis, ex ambagibus, & obscuritate legum.

Hic petit, &c. Juvenes multi de plebe ad militiam in extremos Romani Imperii fines proficiscuntur,

Hic petit Euphratem juvenis, domitique Batavi
Custodes aquilas, armis industrius: at tu
Nil nisi Cecropides, truncoque simillimus Hermæ:
Nullo quippe alio vincis discrimine, quàm quòd
Illi marmoreum caput est, tua vivit imago.
Dic mihi, Teucrorum proles, animalia muta
Quis generosa putet, nisi fortia? Nempe volucrem
Sic laudamus equum, facili cui plurima palma

tur, contra Parthos, & Germanos.

Euphratem. Fluvium Mesopotamiæ, qui ex Niphate, majoris Armeniæ monte, nascitur, & Romanos à Parthis dividebat.

Batavi &c. Hoc est, præsidia posita ad coercendos Batavos, ne rebellent. Erant illi inferioris Germaniæ populi, haud multò ante à Domitiano domiti. Porrò aquilæ hìc significant signa militaria, & cohortes, quæ in Belgio excubabant.

Nil nisi &c. Idest; nihil nisi vanum, & inane nobilis viri nomen habes, cæterùm neque militiæ, neque domi bonus, & utilis es.

Truncoque &c. Planè similis es trunco Hermæ, seu Mercurii Statuæ capite truncatæ: tam ad omnia inutilis es, quam infima pars statuæ. Mercurii enim statuis caput vulgò marmoreum, & affabre factum imponebatur, reliqua pars corporis rudis erat, impolita, & trunca, humeri sine brachiis, &c. Ejusmodi simulachra ad ornatum adhibebantur privatis in locis, ac publicis. Hermes, Ἑρμῆς, apud Græcos Mercurii nomen est.

Nullo &c. Nullum aliud est discrimen te inter, & illam statuam; nulla alia re illam superas, nisi quòd tu vivis, illa vitæ est expers.

Tua &c. Satyricè: quasi diceret Poeta illum non tam hominem esse, quàm viventem quamdam, & animatam statuam.

Dic mihi &c. Age, ò Rubelli, qui te à Julio Cæsare, Trojanisque oriundum jactas. Augustus ab Ænea originem ducebat: quæ causa Virgilio fuit Æneidos componendæ.

Generosa. Nobilia.

Nisi fortia. Idest: nisi sint viribus, velocitate, aut aliqua id genus dote præstantia.

Volucrem. Velocem.

Facili cui &c. Ordo est: cui plurima victoria fervet facili palma: idest: qui sæpe, & facilè alios equos cur-

Fervet, & exultat rauco victoria Circo.
Nobilis hic, quocumque venit de gramine, cujus
Clara fuga ante alios, & primus in æquore pulvis:
Sed venale pecus Corythæ posteritas, &
Hirpini, si rara jugo victoria sedit.
Nil ibi majorum respectus, gratia nulla
Umbrarum; dominos pretiis mutare jubentur
Exiguis, tritoque trahunt epirhedia collo
Segnipedes, dignique molam versare Nepotis.
Ergo ut miremur te, non tua; primum aliquid da,
Quod possim titulis incidere, preter honores,

cursu vincit.

Et exultat &c. Et cui victoriam gratulantur exultantes in circo spectatores, rauci clamando, & plaudendo.

Circo. Circus erat locus, in quo sedens populus ludos spectabat; ita dictus à forma rotunda. Tres ejusmodi circi Romæ fuerunt; Maximus, Flaminius, & Neronis.

Nominis &c. Hic equus censetur nobilis, (quocumque ex agro veniat) cujus præ cæteris equis fuga, hoc est, velocitas clara est, & spectata.

Gramine. Pascuo, agro, regione. Alii legunt, *germine*, hoc est, prosapia, & natalibus.

Et primus &c. Qui primus omnium pulverem in æquore seu planitie circi currendo excitat: hoc est, qui cæteros cursu antecedit.

Sed &c. Ordo est: at Corythæ, & Hirpini posteritas sunt pecus venale, id est, equi generosissima equa Corytha, & laudatissimo equo Hirpino nati, non magni æstimantur, sed cum gregariis equis venduntur rhedariis, & molitoribus, si degeneres sint, & curuli certamine alios rarò equos vicerint; si rarò fuerint victores ii, qui sedebant in curru, quem illi equi degeneres traherent.

Corytha. Equam hanc suis versibus poetæ celebrarunt: equum Hirpinum laudat Martialis Lib. 3. Epigrammate 50. Vide nostras eo loci notas.

Nil ibi &c. Nemo respicit, attenditque ad majores illius equi degeneris, neque ob illius majorum umbras, & manes illum pluris facit.

Epirhedia. Currus, vehicula.

Nepotis. Nomen est mulionis: Legerem libenter cum viro erudito, *nepotes*, idest, nobilium equorum degeneres: si hæc lectio in aliquo haberetur bono codice.

Te, non tua. Te ipsum, non majores tuos, eorumque facta.

Da quod &c. Idest; ede aliquid, quod à te rectè

factum

Quos illis damus, & dedimus, quibus omnia debes.
Hæc satis ad juvenem, quem nobis fama superbum
Tradit, & inflatum, plenumque Nerone propinquo;
Rarus enim fermè sensus communis in illa
Fortuna. Sed te censeri laude tuorum,
Pontice, noluerim, sicut nihil ipse futuræ
Laudis agas: miserum est aliorum incumbere famæ,
Ne collapsa ruant subductis tecta columnis,
Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos.
Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer, ambiguæ si quando citabere testis,

factum sit, non à tuis; cedo aliquid, quod ponere possim in inscriptionibus, & titulis tuarum imaginum, ac statuarum, præter majorum tuorum titulos, & honores.

Quibus &c. Quorum honoribus tantùm magnus es: cùm per te nihil laude dignum habeas.

Hac satis &c. Hæc sufficiant, hæc obiter, & quasi aliud agendo, dicta sint Rubellio.

Quem nobis &c. Quem ajunt superbum esse, fastuque turgidum, eò quòd sit propinquus, & affinis Neronis.

Rarus &c. Rarum est sapere in magnis opibus, atque in ampla fortuna, qualem habuit ille Rubellius.

Censeri. Nobilem æstimari.

Sic ut nihil &c. Ita ut nihil agas, unde laudem in futurum tempus consequaris; ita ut prætetita tantùm gloria majorum gaudeas.

Incumbere. Inniti, fulciri, ut domus columnis fulcitur.

Ne collapsa &c. Ne tua omnis gloria, & nobilitas, similis domui, quæ sublatis, & subtractis, quibus imposita erat, columnis, labitur, subductis majorum honoribus, ruat, ac jaceat.

Stratus &c. Ut palmes, seu vitis, humi strata jacet, cùm ab ulmo separata est, cui adjungi, & maritari solet, ut se erigat: ita tu quoque jacebis, & eris contemptui, subtractis majorum honoribus.

Viduas. A vite separatas.

Desiderat. Frustra requirit, & ab iis dolet se avulsum esse.

Arbiter &c. Idest, judex esto incorruptus. Propriè arbiter est is, qui ad dirimendam litem ultro deligitur à litigantibus, ut eam amicè componat.

Pha-

Incertæque rei: Phalaris licèt imperet, ut sis
Falsus, & admoto dictet perjuria tauro;
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere causas.
Dignus morte, perit, cœnet licèt ostrea centum
Guarana, & Cosmi toto mergatur aheno.
Expectata diu tandem provincia cùm te
Rectorem accipiet, pone iræ fræna, modumque,
Pone & avaritiæ: miserere inopum sociorum:
Ossa vides Regum vacuis exhausta medullis.
Respice, quid moneant leges, quid Curia mandet,
Præmia quanta bonos maneant, quo fulmine justo

Phalaris. Agrigentinorum in Sicilia Tyrannus fuit: is in æreo tauro, cui subjiciebat ignem, homines cruciabat. Sensus igitur est: licèt Phalaris aliquis, proposito supplicii acerbissimi metu, mentiri te, ac perjurum esse jubeat, tamen &c.

Dictet &c. Velit te ad perjurium adigere, minitatus tibi taurum ahenum. Vide Persii Sat. 3.

Animam. Vitam.

Pudori. Virtuti, honestati.

Causas. Virtutem, veritatem, honestatem; propter quas optanda est, & ducenda vita. Sententia est, noli, ut vitam serves, virtutem amittere.

Dignus &c. Sensus est: qui, propter scelera, dignus est morte, jam periit: perinde se habet, ac si esset mortuus, nullo in pretio, & honore habendus est.

Gaurana. Lucrina. Gaurus mons est Campaniæ maritimus propè lacum Lucrinum, ubi optima ostrea.

Et Cosmi &c. Licèt pretiosissimis unguentis quotidie perfundatur, quæ Cosmus vendit, (famosus tunc Romæ unguentarius) licèt in vas unguentis plenum, & odoribus te immergas, &c.

Expectata &c. Cùm administranda tibi datur provincia, quam diu expetiisti, & expectasti.

Pone &c. Ab ira, & avaritia tempera.

Sociorum. Provincialium, sociorum Pop. Rom. & fœderatorum.

Ossa &c. Reges à Præfectis exhaustos, & fortunis omnibus exutos: ut præter ossa, eaque medullis destituta, nihil ipsis superesse videatur.

Curia &c. Quæ tibi Senatus dederit mandata: nempe, ut justè cum sociis agas.

Maneant. Expectent; sensusque est: vide, quanta provinciarum gubernatoribus merces, vel pœna proposita sit.

Quo fulmine &c. Quàm gravi, & justa pena damnati

sint

Et Capito, & Numitor ruerint, damnante Senatu,
Piratæ Cilicum. Sed quid damnatio confert,
Cùm Pãsa eripiat, quidquid tibi Natta reliquit?
Præconem, Chærippe, tuis circumspice pannis;
Jamque tace: furor est post omnia perdere naulũ.
Non idem gemitus olim, nec vulnus erat par
Damnorum, sociis florentibus, & modò victis.
Plena domus tunc omnis, & ingens stabat acervus
Nummorum, Spartana chlamys, conchylia Coa,

sint à senatu Julius Numitor, & Capito, quòd Ciliciam, *Asiæ* minoris regionem, cui præerant, spoliassent.

Piratæ, &c. Idest, ipsorum piratarum spoliatores. Cilices enim piraticam exercebant.

Sed quid, &c. Quid prodest miseris sociis, quod ii, à quibus fuere spoliati, damnentur, & puniantur, cùm ab alio succedente Gubernatore, & Præfecto adhuc spolientur?

Pansa. Posterior Præfectus

Natta. præfectus prior

Chærippe. Nomen est fictum alicujus in provincia socii.

Tuis, &c. Sensus est: vide tuas vestes, tuam supellectilem coram te a præcone vendi, jubente Præfecto Romano: vel Potiùs, quære aliquem præconem, à quo jubeas vendi tuas vestes, & supellectilem, auctione constituta, ut ex iis saltem redigas pecuniam, quam ab avaro Præfecto faciliùs tueatis, & defendas.

Jamque tace. Noli conqueri de provinciæ Præfecto, & longam navigationem in Italiam suscipere ad eum accusandum Romæ in Senatu.

Furor, &c Insani, & furentis est, postquam omnia perdidisti, etiam perdere pretium navigationis: inutilis enim erit tua Romam navigatio: nam, etiamsi damnaretur præfectus, à quo spoliatus es, non reddetur tibi pecunia. sed in ærarium inferretur.

Naulum. Est pretium, quod nautis solvitur pro trajectione, & maritimo itinere.

Non idem, &c. Cùm socii olim florentes, ac locupletes erant, & recens victi à Romanis, non tantus ipsis erat dolor, damnumque, quando spoliabantur; cùm, pluribus ablatis, multa adhuc superessent.

Plena, &c. Sensus est: tunc enim erant socii divites; nunc autem egentes, & nudi.

Spartana. Quæ tincta est purpura è muricibus, qui capiuntur circa Tænarum. Laconiæ in Græcia promontorium, ubi Sparta, urbs olim celebris.

Conchylia Coa. Tenuia, & deli-

Et cum Parrhasii tabulis, signisque Myronis,
Phidiacum vivebat ebur, nec non Polycleti
Multus ubique labor; raræ sine Mentore mensæ.
Inde Dolabella est, atque hinc Antonius, inde
Sacrilegus Verres: referebant navibus altis
Occulta spolia, & plures de pace triumphos.
Nunc sociis juga pauca boum, grex parvus equarũ,
Et pater armenti capto eripietur agello;
Ipsi deinde Lares; si quod spectabile signum,
Si quis in ædicula Deus unicus; hæc etenim sunt

delicata vestimenta, tincta Conchyliis, in Coo insula captis. Conchylia propriè sunt pisciculi conchis inclusi, quorum è sanguine fit purpureus color. Cos autem est insula maris Ægæi, una Cycladum.

Parrhasii. Pictoris egregii, qui Ephesi floruit.

Signisque, &c. Statuis à Myrone insigni statuario factis.

Phidiacum, &c. Idest; erant apud eos eburneæ statuę à Phidia, sculptore egregio, tam peritè elaboratę, ut vivere, atque animatæ esse viderentur.

Polycleti, &c. Multæ statuæ, à Polycleto Sicyonio, statuario item insigni, factę.

Raræ, &c. Erant paucæ mensæ, in quibus non essent pocula cælata à Mentore, celeberrimo poculorum cælatore.

Inde, &c. Ex iis provincialium opibus facti sunt sacrilegi Dolabella, Antonius, Verres, &c. qui sociorum prædones fuere: ideit, illæ sociorum opes occasionem dedere furtis, & rapinis Dolabellæ, Verris, &c.

Dolabella. Quem Scaurus accusavit, damnavitque, quòd Asiam Proconsul expoliasset.

Antonius. Senatu motus, quòd Achajam deprædatus esset.

Verres. Siciliæ Prætor, & prædo, quem Cicero accusavit.

Occulta spolia. Furtim ablata sociorum bona.

Plures, &c. Idest; plura spolia ex amicorum provinciis abacta Romam reportabant, quàm duces fortissimi de hostibus devictis olim deferrent. Solebant in triumphis spolia hostium ferri publicè.

Pater armenti. Taurus, vel equus, ad sobolem sufficiendam lectus.

Lares. Ipsi Dii, Penates, & domestici eripiuntur.

Si quod, &c Si qua est statua paulò elegantior.

Hæc &c. Etsi enim hæc vilia sint, tamen à miseris sociis pro summis habentur, cum nihil jam habeant pretiosius.

De-

Pro summis, nam sunt hæc maxima. Despicias tu
Forsitan imbelles, Rhodios, unctamq; Corinthũ:
Horrida vitanda est Hispania, Gallicus axis,
Illyricumque latus; parce & messoribus illis,
Qui saturant Urbem, circo, scenæque vacantem.
Quanta autem inde feres tam diræ præmia culpæ,
Cùm tenues nuper Marius discinxerit Afros?
Curandum in primis, ne magna injuria fiat
Fortibus, & miseris: tollas licèt omne, quod usquam est
Auri, atq; argenti, scutum, gladiumque relinques,
Et jacula, & galeam; spoliatis arma supersunt.
Quod modò proposui, non est sententia; verùm

Despicias, &c. Alloquitur provinciæ Præfectum. Impunè, inquit, deprædaris molles, ignavosq; Rhodios, & meritò eos contemnis: at cave spolies Hispanos, Gallos, &c. ulciscentur enim illi.

Unctamque. Unguentis perfusam, voluptatibus deditam.

Corinthum. Est urbs Græciæ in Achaja, ferè in medio Isthmo Peloponnesiaco, divitiis suis, ac deliciis famosa.

Horrida, Ferox, inculta, & deliciarum contemptrix.

Vitanda est. Non est lacessenda rapinis tuis.

Gallicus axis. Idest, Gallia, quæ, si e Roma spectetur, ad axem, seu polum septentrionarem vergit.

Illyricumque, &c. Illyrii, qui latus, seu littus dextrum maris Adriatici incolunt; Sclavoniã nunc appellamus.

Messoribus. Afros intelligit.

Qui saturant, &c. Ex Africa enim frumẽta multa Romam advehebantur.

Circo, &c. Circensibus ludis, fabulisque theatralibus indulgentem.

Scena. Scena propriè significat umbraculum è ramis arborum. Accipitur vulgò pro theatro, vel parte aliqua fabulæ tragicæ. Olim à Theatris arcebatur Sol, obductis ramalibus.

Quantum, &c. Sensus est: & verò parum inde lucri faceres; cùm sint Afri nuper à Mario prorsus spoliati.

Tenues. Inopes, & miseros.

Marius. Marius Priscus, qui damnatus est à Senatu, quòd Africam spoliasset.

Discinxerit. Abstulerit iis zonam; idest, deprædatus sit omnino. Solebant antiqui nummos in cingulo, seu zona, ferre.

Fortibus, &c. Fortibus, iisdemque miseris: quia nempe injuriarum tandem ultionem, ac pœnas repetent.

Quod modò, &c. Quæ dixi hactenus, non sunt inanes sen-

Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.
Si tibi sancta cohors comitum; si nemo tribunal
Vendit Acersecomes, si nullum in conjuge crimē,
Nec per conventus, nec cuncta per oppida curvis
Unguibus ire parat nummos raptura Celæno:
Tunc licèt à Pico numeres genus; altaque si te
Nomina delectant, omnem Titanida pugnam
Inter majores, ipsumque Promethea ponas:
De quocumque voles proavum tibi sumito libro.
Quòd si præcipitem rapit ambitus, atque libido;
Si frangis virgas sociorum in sanguine; si te

sententiolæ; sed tam vera sunt, quàm oracula, quæ in foliis arborum solebat olim Sibylla scribere. Sententia vulgò sumitur pro morali quodam effato, seu axiomate, quod amplificandæ, & ornandæ orationi servit.

Si tibi: &c. Idest; si domesticos habeas vitiorum expertes.

Tribunal vendit. Corruptus pecunnia, extorquet sententiam iniquam à te ferendam e tribunali,

Acersecomes. Græca vox est, quæ intonsum significat; estque Apollinis epithetum apud poetas frequens. Significat hìc aulicum, & amicum aliquem Præfecto carum.

Crimen. Avaritia.

Nec per &c. Nec uxor tua, similis Harpyiæ alicui, currit, &c.

Conventus. Erant in provinciis quædam oppida celebriora, quò conveniebant vicini populi, ut de rebus toti provinciæ communibus deliberarent, jus dicerent, &c.

Celæno. Una fuit è tribus Harpyis, quæ finguntur à poetis monstra fuisse sordida, & rapacissima: de quibus vide Virg. l. 3. Æneid.

Tunc licèt, &c. Si talis es, per me licèt repetas originem ab ipso Pico; patior, te libenter usurpare nobilitatis nomen, seu fictum, seu verum.

Pico. Fuit ille Saturni filius, Fauni pater, primusq; Rex Aboriginum, qui fuerunt primi Italiæ populi, & indigenæ.

Ipsumque, &c. Ipsos etiam, si libet, Titanas, seu gigantes, qui contra Deos pugnaverunt: nota est historia: Sensus itaque est: permittam tibi, ut jam inde ab mundi origine repetas tuæ familiæ vetustatem.

Promethea. Japeti filium, & Deucalionis patrem, de quo vide Sat 5.

Libro. Scriptore, vel historia.

Si frangis, &c. Si crudelis es in socios, quibus præes; si flagellis cædi eos jubes, donec ipsorum sanguine cruentæ lictorum tuorum virgæ frangantur.

Si te: &c. Si amas videre licto-

Delectant hebetes lasso lictore secures:
Incipit ipsorum contra te stare parentum
Nobilitas, claramque facem præferre pudendis.
Omne animi vitium tantò conspectius in se
Crimen habet, quantò major, qui peccat, habetur.
Quò mihi te? solitum falsas signare tabellas,
In templis, quæ fecit avus, statuamque parentis
Ante triumphalem? quò, si nocturnus adulter
Tempora Santonico velas adoperta cucullo?
Præter majorum cineres, atque ossa, volucri
Carpento rapitur pinguis Damasippus, & ipse,
Ipse rotam stringit multo sufflamine Consul:
Nocte quidem: sed Luna videt, sed sidera testes

lictorum secures crebris ictibus obtusas, ipsosque lictores feriendo defatigatos.

Contra te stare. Tibi nocere.

Claramque, &c. Turpia tua flagitia nota omnibus facere, & illustrare, velut admota face.

Omne animi, &c. Sensus est: tantò graviora sunt scelera, omnibusque notiora, & magis conspicua, quantò nobiliores illi sunt, à quibus admittuntur.

Quò mihi te, &c. Quid mihi te nobilem jactas? te, inquam, qui soles, &c.

Tabellas. Testamenti, vel alterius instrumenti.

In templis. In iis obsignabant testamenta, & alia instrumenta, ut loci sanctitas metum, ac religionem obsignantibus injiceret.

Quò, si &c. Quorsum, inquam, te nobilem dicis, dum, ad adulteria clam noctu committenda, caput involvis cucullo Santonico?

Cucullo. Est tegumentū capitis, è rudi panno factum, quo plebecula utebatur Romæ Santonicum vocat, quòd eo Sanctones Galliæ populi, uterentur.

Præter, &c. Juxta cineres majorum suorum, hoc est, in via Flaminia, vel Latina, ubi multa nobilium sepulchra erant.

Volucri, &c. Veloci curru fertur.

Damasippus. Nobilis, quipiam, aurigæ artem exercens; quales multi fuere tempore Neronis, qui hanc ipse artem exercebat. Nomen est fictum è Græco; quasi, equorum domitor. δαμάω, domo, ἵππος equus.

Et ipse, &c. Et ipse, licèt Consul sit, rotas currus sui, ne nimium procurrāt, stringit, idest, coercet, adhibito multo sufflamine. Sufflamen enim est retinaculum, quod per radios rotarum immissum, currum in descensu sistit, ne præceps per declive rapiatur.

Intendunt oculos. Finitum tempus honoris
Cùm fuerit, clara Damasippus luce flagellum
Sumet, & occursum nusquam trepidabit amici
Jam senis, at virga prior innuet, atque maniplos
Solvet, & infundet jumentis hordea lassis.
Intereà dum lanatas, torvumque juvencum,
More Numæ, cædit, Jovis ante altaria, jurat
Hipponam, & facies olida ad præsepia pictas,
Sed cùm pervigiles placet instaurare popinas;
Ovibus assiduo Syrophœnix udus amomo
Currit, Idumææ Syrophœnix incola portæ;

Honoris. Consulatus.

Flagellum sumet. Ad agitandos equos, & ducendum currum.

Jam senis. Gravis scilicet alicujus Senatoris, cujus auctoritatem, ætatemq; revereri debuisset.

Innuet. Flagello insonabit ad ostentationem artis: vel, flagelli acuto crepitu amicum salutabit prior.

Maniplos. Fasciculos fæni, quos jumentis apponat.

Lanatas. Oves lana tectas.

More Numæ. Tam religiosus scilicet, quàm alter Numa: ut dictum sit per ironiam. Vel si mavis, sensus est: dum, pro more à Numa instituto, ipse, utpote Consul, ante aras Jovis oves, & taurum immolat, tacitus, & in sinu solam Hipponam invocat.

Hipponam. Jumentorum, & mulionum Deam: tanquam Numen maxime sibi venerandum, quod habere propitium, ac placatum curat. Eponam vocat Prudentius, & alii legunt *Solam Hippo*: ita, ut Hippo sit nomen istius Deæ: quod inflectatur, ut Dido, Didus.

Facies. Imagines ejusdem Deæ; atque aliorum ejusmodi Numinum, quę equis præsunt.

Instaurare. Cùm idem Damasippus, intermissa aurigatione, repetit popinas, in quibus ad multam noctē vigilare potores solent. Utitur verbo, *instaurare*, ut ostendat hoc sæpè fieri.

Syrophęnix. Unguentarius aliquis è Syria, & Phenicia, unde mittuntur unguenta, & odores.

Udus amomo. Assidua tractatione amomi habens manus udas, seu humidas. Unguenta ferè pinguia sunt ob oleum admistum. Est autem amomum, arbuscula odorem suavissimum spirans, ex qua unguenta liquida conficiebantur.

Idumæa, &c. Idest, cujus domus est propè portam Judæorum. Erat enim Romæ porta quædam, sic dicta, quod per eam Vespasianus, & Titus de Judæis triumphantes ingressi essent. Est autem Idumæa Syriæ pars.

Ju-

Hospitis affectu dominum, regemque salu ta
Et cum venali Cyane succincta lagena.
Defensor culpæ dicet mihi: Fecimus & nos
Hæc juvenes: Esto; desisti nempe, nec ultra
Fovisti errorem. Breve sit, quod turpiter audes:
Quædam cum prima resecentur crimina barba.
Indulge veniam pueris: Damasippus ad illos
Thermarum calices, inscriptaque lintea vadit
Maturus bello Armeniæ, Syriæque tuendis

Judææ vicina.

Hospitis affectu, &c. Blandè salutat, & perhumaniter: ut hospes solet adventantes salutare, & in suam tabernam invitare: etiam appellat dominū, & regem

Et cum venali, &c. Adest Cyane, copa, seu tabernaria, vini amphoram afferens, & ad ministrandum succincta: ac Damasippum iisdem blanditiis excipit.

Defensor. Aliquis nobilis, qui culpam hanc Damasippi volet defendere, dicet se, cùm juvenis esset, hæc eadem fecisse, ac proinde se ignoscere Damasippo.

Esto, &c. Respondet Poeta. Esto; fateor, hæc juvenis fecisti: sed jamdudum desiisti hæc facere, nec ultra juvenilem ætatem errorem produxisti: at non item Damasippus, qui jam vir, immò & Consul, bellisque administrandis maturus, frequentat popinas, &c.

Breve sit, &c. Si quid improbe facis, ne facias diu.

Quædam, &c. Vitia sunt quædam, quæ cum prima barba plane deponenda sunt, hoc est, ubi ætas accesserit; aut quæ in viro minimè tolerari possint.

Indulge, &c. Possint hæc fortasse adolescentibus ob ætatem condonari: sed Damasippus, &c.

Ad illos &c. Non erubescit potare in popinis, & thermis: quod vilissimi tantùm faciunt. Thermæ porrò loca sunt quædam calida, ubi Romani sudabant valetudinis ergo: sudorem verò provocabant vel igne, vel sole, vel aqua calida.

Inscriptaque lintea. Id est, ad popinas: popinis enim solebant apponi vela, eaque ut plurimùm linea; in quibus inscribebant res in taberna venales.

Maturus, &c. Et jam ætate, ut aptus sit ad tractanda bella contra imperii hostes.

Armeniæ. In qua, Neronis tempore, grave fuit bellum contra Parthos, à Corbulone confectum. Vide Sat. 6.

Syriæque omnibus. Euphrati, & Oronti.

Tuendis. Contra Parthorum incursiones.

Amnibus, & Rheno, atque Istro: præstare Neronem
Securum valet hæc ætas. Mitte Ostia, Cæsar,
Mitte; sed in magna legatum quære popina.
Invenies aliquo cum percussore jacentem,
Permistum nautis, aut furibus, aut fugitivis,
Inter carnifices, & fabros sandapilarum,
Et resupinati cessantia tympana Galli;
Æqua ubi libertas, communia pocula, lectus
Non alius cuiquam, nec mensa remotior ulli.

Rheno, &c. Ne incursent in vicinas sibi provincias Germani, Rheni, Istrique, seu Danubii accolæ. Rhenus oritur in Alpibus, desinit in Belgio. Ister sive Danubius, oritur in monte quodam Germaniæ, Arbona dicto, ac per Illyricum, ubi propriè Ister appellatur, lapsus, in Pontum Euxinum, per ostia sex evolvitur.

Præstare, &c. Milites hac ætate, hoc est, juvenes adhuc, & robusti, qualis est Damasippus, possunt Imperatorem, & Imperium contra hostes tutum reddere.

Mitte, &c. Si tibi opus est viro nobili, ò Imperator, quem Legatum mittas contra hostes Imperii, noli eum quærere in Ostiis Tiberinis, omitte urbem, ac portum Ostiensem, (unde solvebant naves in oras exteras profecturæ:) sed eum quære Romæ in aliqua popina. Vel, mitte illum, & ire jube ad Ostia Tyberina, sed priùs illum in popina quære. In eo littore, in quo se Tyberis evolvit in mare, est urbs celebris, Ostia dicta.

Legatum. In re bellica is erat, qui vices gerebat Imperatoris, & ejus nomine ducebat exercitum.

Percussore. Sicario, aut gladiatore.

Fugitivis. Servis improbis, qui dominos deserere solent.

Sandapilarum. Vilium feretrorum, quibus plebeculæ, & damnatorum corpora efferebantur.

Resupinati. Ignavi, ebrii, in tergum jacentis.

Cessantia, &c. Inter sacerdotes Cybeles; qui, post suas per Urbem bacchationes, secedunt in popinas, ubi, relictis tympanis suis, potationi indulgent.

Galli. Erant sacerdotes Cybeles, qui in ejus sacris celebrandis maximè utebantur tympanis. Porrò in Phrygia præcipuè colebatur Cybele: ibi fluvius quidam est, Gallus dictus, unde nomen illis sacerdotibus.

Non alius, &c. Eodem in lecto stipati omnes ad eamdem mensam accumbunt.

Remotior. Separata quædam mensa ab reliquis mēsis (uti viris honestioribus poni solet) nulla hic est.

Sei-

Quid facias talem sortitus, Pontice, servum?
Nempe in Lucanos, aut Thusca ergastula mittas.
At vos Trojugenæ vobis ignoscitis, & quæ
Turpia cerdoni, Volesos, Brutosque decebunt.
Quid, si nunquam adeò fœdis, adeòque pudendis
Utimur exemplis, ut non pejora supersint?
Consumptis opibus vocem, Damasippe, locasti
Sipario, clamosum ageres ut Phasma Catulli.
Laureolum velox etiam bene Lentulus egit,
Judice me, dignus vera cruce. Nec tamen ipsi

Sortitus, &c. Si haberes ejusmodi servum, qui eadem ageret, quæ isti nobiles, quid illi faceres? mitteres certè illum in ergastulum. Ergastulum autem locus erat, ubi servi compedibus vincti opus faciebant, fodiebant, arabant, &c.

Lucanos. Lucania est in extrema Italia.

Tusca. Tuscia, sive Hetruria, pars Italiæ mediæ, supra Romanum agrum: Quænam sint ergastula, dictum Sat 6.

At vos, &c. O Romani, servos ita vestros puniretis, vobis ipsi veniam datis: ignoscitis ea vobis, quę in mancipiis plectenda putaretis.

Trojugenæ. Nobiles Romani, qui à Trojanis originem deducitis.

Cerdoni. Veteramentario vili, & ignobili sutori.

Volesos, Brutosque. Idest, Nobiles. Ironia est. Volesorum familia, è Sabinis orta, illustris Romæ fuit, ut & familia Brutorum.

Vocem. Histrionibus vocem tuam vendidisti, ut, pacta mercede, partes tuas ageres in theatro.

Sipario. Ludis scenicis. Est enim siparium, aulęum, seu velum, quo tecti, latent mimi, & histriones, donec in scenam prodeant.

Phasma. Fabulam, Phasma dictam, idest spectrum, à Catullo comœdiarũ scriptore quodam elaboratam.

Clamosum. Magno clamore declamandum.

Laureolum. Personam cuiusdam servi nomine Laureoli; qui in fabula, seu comœdia cruci affigebatur, quia fuerat in flagranti furto deprehensus.

Velox. Est cognomen Lentuli: vel, epithetum servo, cujus personam agebat Lentulus, accommodatum, agilis, acer.

Vera. Non ficta, in quam tolli fingebatur, & exhibebatur in ista comœdia, sed vera; verè in crucem agendus, quia cùm esset nobili ortus genere, tam turpem personam agere non erubuit.

Nec tamen, &c. Sensus est; jure quidem nobiles illi arguendi sunt; sed & culpandus meritò populus, qui eos hæc agentes spectet cum

Ignoscas populo: populi frons durior hujus,
Qui sedet, & spectat triscurria Patriciorum,
Planipedes audit Fabios, ridere potest qui
Mamercorum alapas. Quanti sua funera vendant,
Quid refert? vendunt nullo cogente Nerone,
Nec dubitant Celsi Prætoris vendere ludis.
Finge tamen gladios inde, atq; hinc pulpita pone:
Quid satius? Mortē sic quispiam exhorruit, ut sit
Zelotypus Thymeles, stupidi collega Corinthi?
Res haud mira tamen, citharædo Principe, mimus

plausu, & laudet.

Frons durior, &c. Oportet sanè careat populus pudore, cui ad tam fœda spectacula non erubescat.

Triscurria. Facta omnino scurrilia: verbum est antiquum, vel fictum è vocula, *tris*, quæ Græcè significat, ter, valde, & *scurra*.

Patritiorum. Vide Sat. 1.

Planipedes, &c. Qui nobiles, quales fuerunt Fabii, patienter audiat, dum comœdias agunt planis pedibus, sine cothurno, aut socco.

Ridere, &c. Qui potest ridere, dum spectat viros nobilissimos, quales fuerunt Mamerci, parasitorum, vel, servorum partes in comœdia sustinere, & alapis à dominis cædi.

Quanti sua, &c. Invehitur Poeta in nobilès, qui, nullo Tyranno cogente, sed sponte sua, ac proposita mercede, artem gladiatoriam exercent, atque adeò vitam suam veluti vendunt. Sensus itaque est: quid refert, quòd ex ea re magna præmia consequantur? quolibet pretio id faciant, turpissimum est eis, sponte se tali muneri offerre.

Nullo, &c. Nero enim plurimos Senatores, & Equites in arenam descendere coegit.

Celsi. Prætorum vulgò erat ludos edendos curare; præcipuum munus, jus dicere. Jubentius Celsus, de quo agitur, Prætor fuit Trajani tempore. Vide Plin. ep 5. l. 6.

Finge tamen, &c. Ostendit Poeta, etsi turpissima sit ars gladiatoria, scenicam adhuc esse longè turpiorem. Finge enim, inquit, ex hac parte artem gladiatoriam, ex illa scenicam tibi proponi: utra harum eligenda? annon exercenda potiùs gladiatoria, quamvis proposito mortis periculo?

Mortem, &c. Estne aliquis adeò vecors? itane quisquam mortem metuit, ut illi se exponere non malit, quàm histrionicam exercere, quàm esse socius vilissimi histrionis, qualis est Corinthus; & agere in comędia personam Latini mimi, qui zelotypia uxoris suæ Thymeles laborare se fingat?

Res haud, &c. Non mirum-

Nobilis. Hæc ultra, quid erit nisi ludus? Et illud
Dedecus Urbis habes: nec Mirmillonis in armis,
Nec clypeo Gracchum pugnantē, aut falce supina.
(Damnat enim tales habitus, & damnat, & odit)
Nec galea frontē abscondit: movet ecce tridentē;
Postquam librata pendentia retia dextra
Nequicquam effudit, nudum ad spectacula vultū
Erigit, & tota fugit agnoscendus arena.
Cedamus tunicæ, de faucibus aurea cùm se

rum est tamen, cùm Imperator ipse, videlicet Nero, citharædus esset, & scenicam exerceret artem, nobiles etiam idem factitasse, ac mimos egisse: nunc verò, cùm Traianus hac insania non laboret, quid excusare nobiles possunt?

Hæc ultra, &c. Deinceps quid erit aliud Romæ, quam ludus, quàm artes turpissimę, gladiatoria, & scenica?

Et illud, &c. Est & aliud Urbis dedecus: Gracchum, nempe nobilem aliquem, pugnantem cernes, non Mirmillonis armis, &c.

Mirmillonis. Inter gladiatores alter Mirmillo dicebatur, sive Secutor; alter Retiarius. Mirmillo habebat pro armis galeam, scutum, & falcem: Retiarius fuscinam, seu tridentem, & rete, quo implicare caput Mirmillonis conabatur, eumque fuscina interficere. Insectatur Poeta nobiles, qui, cùm Mirmillones esse possent, & capite galea tecto pugnare, adeò tamen pudorem omnem exuerunt, ut malint esse Retiarii, & capite aperto pugnare, ut ab omnibus cognoscantur.

Falce, &c. Falce incurva, qua utitur Mirmillo.

Damnat. Quia videri volebant nobiles illi, & agnosci à spectatoribus.

Movet, &c. Ecce, inquit, prodit in arenam nobilis cum tridente.

Postquam, &c. Retiarius collectum, & suspensum dextra manu rete gestabat, & in Mirmillonis caput scitè proiicere conabatur: quòd si aberrasset, ac librata manu frustra rete effudisset, nec adversarii caput implicuisset, fugiebat, ne ab illo interficeretur, tentabatq; rete iterum colligere, & in adversarium immittere.

Spectacula. Tabulata, unde spectantur ludi, amphiteatri sedilia.

Cedamus &c. Verba sunt Mirmillonis: Parcamus, inquit Mirmillo, Retiario nobili; ne ipsum interficiamus, sed effugere sinamus: est enim nobilis, ut patet ex habitu divite, & magnifico. Vel potiùs, verba sunt spectatorum, faciamus locum nobili Retiario, sinamus effugere, ne à Mirmillone interficiatur. Legunt aliqui, *Credamus tunicæ*; idest, credamus hunc re-

Porrigat, & longo jactetur spira galero.
Ergo ignominiam graviorem pertulit omni
Vulnere, cum Graccho jussus pugnare Secutor.
Libera si dentur populo suffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni?
Cujus supplicio non debuit una parari
Simia, nec serpens unus, nec culeus unus.
Par Agamemnonidæ crimen; sed causa facit rem
Dissimilem: quippe ille, Deis auctoribus, ultor
Patris erat cœsi media inter pocula: sed nec

retiarium esse nobilem, id ex ejus tunica ornatiore, & vestibus intelligamus.

Tunica. Idest, Retiario, quia Retiarii tunicati pugnabant. Tunica erat vestis brevior, & interior, cui toga imponebatur. Habebant etiam Retiarii galerum, sub mento astrictum funiculo; qui, cùm esset auro intextus, ostendebat Gracchum esse divitem, & nobilem.

Spira. Funiculus contortus, & convolutus, qui sub mento colligatus galeam, seu pileum Retiarii retinebat, ne excideret capite. Hujus funiculi extremæ partes abibant in humeros, & huc illuc jactabantur.

Ergo, &c. Turpius fuit Mirmilloni certare cum isto nobili, quàm vulnerari, & interfici ab alio; quia, cùm illum elabi sineret invitus, explosus est à populo spectante.

Secutor. Idest, Mirmillo, sic dictus, quia Retiarium sequebatur, & assequi tentabat, post conjecta incassum retia, fugientem.

Libera si, &c. Si permittatur populo liberè proferre, quid sentiat, nullo Tyranni metu.

Senecam. Optimum virum, sed humili loco natum.

Neroni. Imperatori: sed vitiis inquinatissimo.

Non una. Sed multæ; nec enim unū commiserat parricidium: utpote qui fratrem, uxorem, imò matrē ipsam interfecerat.

Simia, &c. Quicumq; parricidii convictus erat, ille cum simia, gallo gallinaceo, vipera, & cane, insutus culeo, hoc est, sacco coriaceo, in mare, vel proximum flumen proiiciebatur.

Par &c. Fateor; idem Orestes fecit, nempe matrem, ut Nero, peremit: sed à Nerone tamen in eo discrepat, quod honesta de causa matrem interfecerit.

Argamemnonidæ. Orestis, Agamemnonis, & Clytemnestræ filii.

Ille &c. Orestes enim, Diis approbantibus, & impellentibus, ulciscebatur patrem, à matre, & Ægistho adultero interfectum in convivio.

Ile-

Electræ jugulo se polluit, aut Spartani
Sanguine conjugii: nullis aconita propinquis
Miscuit: in scena nunquam cantavit Orestes,
Troica non scripsit. Quid enim Virginius armis
Debuit ulcisci magis, aut cum Vindice Galba?
Quid Nero tam sæva, crudaque tyrannide fecit?
Hæc opera, atq; hæ sunt generosi Principis artes,
Gaudentis fœdo peregrina ad pulpita saltu
Prostitui, Grajæque apium meruisse coronæ.
Majorum effigies habeant insignia vocis.

Electra &c. Cæde sororis suæ Electræ, ut Nero Britannici fratris.

Aut Spartani. &c. Non interfecit conjugem suam Hermionem Spartanam, filiam Menelai Regis Spartæ, seu Lacedæmonis: at Nero manus inquinavit cęde Octaviæ, Antoniæ, & Poppææ, uxorum suarum

Nullis, &c Nullos consanguineos suos veneno sustulit, ut Nero Britannicum fratrem, & Domitiam amitam.

Aconita. Vide Sat 1.

Cantavit. Ut Nero sępe.

Troica, &c. Ut Nero, qui se poetam esse gloriabatur. & carmen de rebus ad Trojam gestis scripsit.

Quid enim, &c. Nihil fuit, quòd Neronis duces, qui in eum arma civilia moverunt, magis ulcisci deberent, & punire atrociùs, quàm istam eius insaniam, quòd histrio, poeta, & citharœdus esse non erubesceret.

Virginius, &c. Virginius, Vindex, & Galba, duces Neronis fuerunt; qui in eum rebellantes arma sumpsere. Virginius Rufus Germanico exercitui preerat; Julius Vindex Gallias administrabat: Sergius Sulpitius Galba Hispaniam.

Quid Nero, &c. Quid enim agebat Nero, toto illo tempore tam sævæ, & crudelis suæ Tyrannidis? Hæc opera sunt egregii Principis; citharædus erat, & saltator. Vel, quid aliud sceleris fecit, quod potiori jure ulciscerentur Virginius, Vindex, &c.

Peregrina. Neapoli scilicet, & in Achaja, aliisq; locis extra Italiam, saltavit Nero, & in scœna histrionem egit

Prostitui. Exponere sese, & spectandum publicè in theatro præbere.

Grajęque, &c. In Græcorũ enim certaminibus, cum citharædis certans apio coronatus est Nero. Apium autem est herba, ex qua fiebant coronæ dari solitæ in Nemeæis certaminibus, magno Græciæ totius concursu celebrari solitis.

Majorum, &c. O Nero, cùm alii duces, & Imperatores rerum à se fortiter ge-

Ante pedes Domitj, longum tu pone Thyestæ
Syrma, vel Antigones, seu personam Menalippes;
Et de marmoreo citharam suspende colosso.
Quis, Catilina; tuis natalibus, atque Cethegi
Inveniet quicquam sublimius? arma tamen vos
Nocturna, & flammas domibus, templisque parastis,
Ut Braccatorum pueri, Senonumque minores:
Ausi, quod liceat tunica punire molesta:

gestarum, & triumphorum insignia statuis majorum suorum affigere soleant; tu coronam ex apio, præmium tuæ vocis, & cantus, appende ad effigies majorum tuorum.

Domitj, &c. Avi tui, vel patris: uterque enim Domitius Nero vocabatur.

Syrma, &c. Vestem longam, qua indutus eras, cùm in tragędia personam Thyestæ, vel Antigones filię Oedipi, ageres. Hæc patri suo excęcato ducem se præbuit. Thyestes filiorum suorum carne pastus est, quos ipsi epulandos Atreus frater apposuerat. De Ædipo consule Ovid. Libro VII. Metamorph. & nostras ibi notas, n.18.

Personam, &c Larvam, qua repræsentasti fabulam Menalippes à Neptuno amatæ, de qua Euripides comędiam scripsisse fertur.

Et de marmoreo, &c. Scilicet citharam à judicibus ad se delatam pronus adoravit Nero, ferrique ad Augusti statuam jussit, quam ingentem instar colossi erexerat: hoc autem ipsi Poeta obiicit,

Quis, Catilina, &c. Quid tuo, Cethegique genere illustrius? De utroq; fit mentio Sat.2. & 10.

Ut Braccatorum, &c. Id est; quasi essetis posteri, & filii Gallorum, qui, sub Brenno duce, Romam ceperunt, & incenderunt, anno ab U.C.364. Porrò Galli Provinciæ Narbonensis, à braccis, seu strictis femoralibus, dicti sunt Braccati. Braccatorum pueri est locutio Græca, pro Braccati Galli.

Senonum. Populi sunt Galliæ Lugdunensis, sive Celticæ. Illi Romanos ad fluvium Alliam ingenti clade affecerunt, à Camillo postea profligati, ac deleti sunt.

Minores. Posteri, nepotes.

Ausi, &c. Aggressi estis facinus dignum, quod ipsa molesta tunica puniretur. Erat autem tunica illa, vestis è stupa, & cannabe confecta, tum sebo, sulphure, & bitumine illita: ea induebantur, & obvoluti cremabantur graviores rei, maximè qui ob incendia damnabantur.

Con-

Sed vigilat Consul, vexillaque vestra coercet.
Hic novus Arpinas, ignobilis, & modò Romæ
Municipalis Eques, galeatum ponit ubique
Præsidium attonitis, & in omni gente laborat.
Tantum igitur muros intra toga contulit illi
Nominis, & tituli, quantum non Leucade, quantum
Thessaliæ campis Octavius abstulit, udo
Cædibus assiduis gladio, sed Roma parentem,
Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.
Arpinas alius Volscorum in monte solebat
Poscere mercedes, alieno lassus aratro:

Consul. Cicero.

Vexillaque, &c. Idest: conatus vestros reprimit.

Hic novus, &c. Idest: hic, quem vocatis per contemptum ignobilem, & novum Arpinatem. Porrò apud Romanos novus homo dicebatur is, qui nulla majorum nobilitate insignis foret.

Municipalis. Oriundus ex municipio Arpino, & Romæ factus nuper Eques Porrò Arpinum Volscorum est oppidulum, patria Ciceronis.

Galeatum, &c. Milites in omni regione Urbis contra conjuratorum insidias collocat.

Et in omni &c. Populos omnes, tum in Italia, tum extra Italiam positos excitat, ac summo cum labore, & diligentia adhibet ad Rempublicam conservandam.

Tantum, &c. Cicero tantam est gloriam in Urbe, & in pace, ob suam prudentiam consecutus, quantam adeptus non est Augustus, confectis, multa civium cæde, bellis civilibus. Toga hìc sumitur pro pace, & civili prudentia: toga enim vestis est civium, ut sagum militum.

Leucade. Cruenta pugna navali, juxta Leucadem insulam Epyri, & Actium promontorium commissa: qua devicti sunt ab Augusto Antonius, & Cleopatra.

Thessaliæ, &c. Ad Philippos in Thessalia, ubi devicti sunt Brutus, & Cassius ab Octavio.

Libera. Conjurationis Catilinariæ metu soluta.

Arpinas alius. C. Marius, itidem ut Cicero, Arpini natus: qui etsi vir esset plane ignobilis, multa tamen præclare gessit.

In Monte, &c. Sensus est: Marius pauper agricola fuit, tum gregarius miles; & tamen &c.

Poscere, &c. Petere pactam pecuniam, cùm alienum agrum arasset.

Na-

Nodosam post hæc frangebat vertice vitem;
Si lentus pigra muniret castra dolabra.
Hic tamen, & Cimbros, & summa pericula rerum
Excipit, & solus trepidantem protegit Urbem.
Atque adeò, postquam ad Cimbros, stragemque volabant,
Qui nunquam attigerant majora cadavera, corvi,
Nobilis ornatur lauro collega secunda.
Plebejæ Deciorum animæ, plebeja fuerunt
Nomina: pro totis legionibus hi tamen, & pro
Omnibus auxiliis, atque omni pube Latina,
Sufficiunt Diis Infernis, Terræque parenti;

Nodosam, &c. Postea Marius, gregarius tunc miles, si, muniendis castris adhibitus, negligenter opus faceret, vapulabat à Centurione, qui vitem suam supra caput ipsius frangebat. Porrò vitis, idest, bacillus ex palmite, erat insigne Centurionum, qui ejusmodi bacillum gestabant, ad milites in officio continendos.

Cimbros. Cimbros, & Teutonas; qui ex Dania, & Germania, maximo cum exercitu Romam tendentes, magnum terrorem Italiæ incusserunt; sed à Mario devicti sunt ingenti clade.

Et solus, &c. Licèt enim ambo Consules contra Cimbros pugnaverint, gloria tamen hujus victoriæ tota Mario tribuebatur.

Postquam, &c. Postquam victor Marius Cimbros corvis vorandos dedit.

Qui nunquam, &c. Cimbri enim erant proceri, & ingentes mole, ac statura.

Nobilis, &c. Q. Catulus, collega Marii, quamvis nobilis, secundo tantùm loco triumphavit; hoc est, illi prælatus est Marius; licèt utriusque Consulis auspiciis res gesta esset, immò soli Mario delatus honor triumphi erat, sed ejus socium adscivit, Q. Catulum.

Plebejæ, &c. Decii, pater, & filius, qui se pro legionibus Romanis devoverũt, fuerunt plebejæ animæ, hoc est, homines ignobiles. Pater Decius, bello Latino, cùm fuisset admonitus in somnis, eam partem victricem fore, cujus dux in prælio cecidisset, equo calcaribus incitato, in medios hostes se conjecit, & ab iis interfectus, victoriam Romanis peperit. Vide *Livium l. 8. c. 9. & seq.* Patris exemplum filius in bello Samnitico secutus est, eadem gloria. *Liv. l. 10. c. 28. & seq.*

Auxiliis, &c. Copiis auxiliaribus.

Pube. Populo, exercitu.

Sufficiunt, &c. Satis fuerunt ad placandos Deos Infero-

Pluris enim Decii, quàm qui servantur ab illis,
Ancilla natus trabeam, & diadema Quirini,
Et fasces meruit, Regum ultimus ille bonorum.
Prodita laxabant portarum claustra Tyrannis
Exulibus juvenes ipsius Consulis, & quos.
Magnum aliquid dubia pro libertate deceret,
Quod miraretur cum Coclite Mutius, & quæ
Imperii fines Tiberinum virgo natavit:

ferorum, & Tellurem: qui enim se ita devovebant, aliorum pericula, & necem in suum caput convertere credebantur.

Pluris enim, &c. Decii pluris æstimantur à Diis, quàm cæteri omnes Romani, quos in eorum gratiam servant.

Ancilla, &c. Servius Tullus, Romanorum rex sextus, etsi matre captiva natus, meruit tamen Romulo in Regia dignitate succedere.

Trabeam. Vestis est pannis albis, & purpureis, instar trabium longis, intexta, qua Reges utebantur, & usi sunt deinde Consules.

Diadema. Fasciam, seu pannum, quo Reges caput vinciebant, coronā Regiā.

Quirini. Romuli. Vide Sat. 3.

Ultimus. Secutus enim est Tarquinius Superbus, Rex pessimus.

Prodita, &c. Ordo est: filii ipsius Bruti Consulis Titus, & Tiberius, volebant laxare, seu, aperire per proditionem portas Romæ Tyrannis exulibus, seu Tarquinio Superbo Roma pulso; filii, inquam, Bruti, quos decuisset exēplo patris audere aliquid magnum pro asserenda Romanorum libertate, nondum satis confirmata, & adhuc nutante, & aliquid egregium aggredi, quòd imitari, & admirari possent Cocles, Mutius, &c.

Coclite. Horatio, Coclite cognominato, propter oculum in prelio amissum; qui Porsenam cum suo exercitu solus in ponte sustinuit, donec pons à tergo rumperetur; quo effracto, desiluit in flumen, & ad suos enatavit.

Mutius. Mutius Scævola, cùm Porsenæ castra subiisset, ac pro illo satellitem ejus occidisset, ut errorem suæ manus plecteret, eam igni injecit: qua animi constantia Rex permotus, remisit liberum, & ipse obsidionem solvit.

Et quæ, &c. Clœlia, quæ, obses Porsenæ data, Tiberim tranavit deceptis hostibus, & ad Romanos equo vecta se recepit. Vocat autem hìc Tiberim Imperii fines, quia tunc adeò angustum erat Imperium Roman. ut ejus limes esset Tiberis.

Oc-

Occulta ad Patres produxit crimina servus
Matronis lugendus: at illos verbera justis
Afficiunt pœnis, & legum prima securis.
Malo pater tibi sit Thersites, dummodò tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas,
Quàm te Thersitæ similem producat Achilles.
Et tamen, ut longè repetas, longèque revolvas
Nomen, ab infami gentem deducis asylo:
Majorum primus quisquis fuit ille tuorum,
Aut pastor fuit, aut illud, quod dicere nolo.

Occulta &c. Idest, conjurationem filiorum Bruti Senatoribus detexit servus quidam.

Lugendus. Dignus, cujus mortem lugerent, & pro fletu cohonestarent matronæ, quippe quas à Tyrannorum libidine liberasset, cùm conjurationem de illis restituendis initam protulit, ac patefecit: quemadmodum eadem de causa Bruti mortem per annum cædem matronæ fleverunt.

At illos &c. Filios enim virgis cæsos pater Brutus, cum aliis conjuratis, securi percussit.

Et legum &c. Supplicium sumptum de conjuratis; quæ legum est prima, hoc est, prima pars, & præcipua justitiæ: leges enim maximè vigent supplicio improborum; & id maxime præcipit justitia, estque illius hæc prima lex, ut improbi plectantur. Securis hic pro capitali supplicio sumitur.

Thersites. Unus omnium Græcorum, qui ad obsidionem Trojæ navigaverant. animo, & corpore maximè deformis.

Æacidæ. Achillis, qui fuit Æaci nepos.

Vulcaniaque &c. Modò strenuus sis, & fortis, ut fuit Achilles, qui armis à Vulcano fabricatis mira edidit facinora.

Ut longe &c. Licèt à quanta volueris antiquitate repetas nominis, & familiæ tuæ originem.

Ab infami &c. Sensus est: ducis originem, & gentem, seu familiam tuam habes ab iis propagatam, qui confugerunt ad asylum, quod Romæ ab Romulo constitutum est. Nam Romulus, ut Romam nascentem, ac vacuam frequentaret civibus, & impleret, edixit, ut illis omnibus liceret impune esse, quicumque ad eam se reciperent. Itaque undique confluxit magna multitudo sceleratorum, & sicariorum, è quibus Roma conflata est: hinc asylum illud appellat infame.

Dicere nolo. Latro, sicarius, homicida, &c. quales ferè fuerunt, qui ad asylum hoc, & Romam recens conditam confugere.

S A-

SATYRA IX.

Nævolum quemdam inducit de patroni avaritia, flagitiisque conquerentem.

Scire velim, quare toties mihi, Nævole, tristis
Occurras fronte obducta, ceu Marsya victus.
Non erat hac facie miserabilior Crepereius
Pollio, qui triplicem usuram præstare paratus
Circuit, & fatuos non invenit. Unde repente
Tot rugæ? Certè modico contentus agebas
Vernam Equitem, conviva joco mordente facetus,

Scire &c. Loquitur ipse Juvenalis, & Nævolum interrogat.

Obducta. Tristitiæ nube quasi tecta, dejecta, & contracta.

Marsya. Fuit ille pastor quidam in Phrygia, qui Apollinem cantu provocare ausus, ab eo victus, & miserè ejulans pelle spoliatus est. Ovid. 6. Metam.

Hac facie. Tua non erat te tristior.

Triplicem &c. Qui, consumptis opibus quærebat ab aliquo fœneratore pecuniã, promittens illi, & paratus præstare, idest, solvere pro illa pecunia mutuò accepta usuram triplicem, idest, tertio tanto majorem, quàm quæ vulgò solvi soleret, vel quàm esset ipsa sors, & caput summæ acceptæ. Eam ob rem circuibat forum, ubi sunt fœneratores, & argentarii, nec tamen ullum adeò fatuum reperiebat, qui vellet ipsi mutuam dare pecuniam; quam nimirum intelligeret ab eo numquam redditum iri.

Modico. Modicis opibus, parvo sumptu, & quæstu.

Agebas &c. Inter servos, & vernas, ejusdem tecum ordinis, & conditionis, tam hilariter vivebas, quam si fuisses Eques Romanus: verna, & servus cùm esses, Equitis animum, & opes æquabas cultu, nitore vestium, &c. eras facetus, & elegans conviva, dicax, & acer in jacendis salibus, non rusticis, & insulsis, sed urbanis, quales intra pomœria, in Urbe, usurpantur.

Vernam. Verna est servus è matre serva domi, & in urbe natus. Erant isti vernæ vulgò vafri, dicaces, & urbani. Equites alii erant veri, & genuini: alii pretio, vel gratia nomen hoc, & honorem adepti. Sententia igitur esse potest, Nævolum tam urbanum fuisse, quàm verum aliquem, & veluti vernam equitem.

Et salibus vehemens intra pomæria natis,
Omnia nunc contra; vultus gravis, horrida siccæ
Sylva comæ, nullus tota nitor in cute, qualem
Præstabat calidi circumlita fascia visci.
Quid macies ægri veteris, quem tempore longo
Torret quarta dies, olimque domestica febris?
Deprehendas animi tormenta latentis in ægro
Corpore, deprehendas & gaudia; sumit utrumq;
Inde habitum facies. Igitur flexisse videris
Propositum, & vitæ contrarius ire priori.
Nuper enim, ut repeto, fanum Isidis, & Ganymedem
Pacis, & advectæ secreta palatia Matris,
Notior Aufidio Chio, celebrare solebas.

Pomæria. Pomærium erat locus purus, & patens circa muros Urbis, & certũ spatium, quòd neque arari, neque habitari fas erat.

Omnia &c. Diversa nunc, & contraria est priori, vitæ tuæ ratio.

Siccæ. Non delibutæ unguentis, iis caput ungebant.

Visci. Utebantur, ad cutem poliendam, & lævigandam, quodam medicamento ex resina, viscæ, &c. quo imbutos, & illitos panniculos cuti admovebant.

Ægri. Qualis cernitur in vultu ægroti, morbo veteri laborantis.

Quarta dies. Quo febris nimirum quartana solet recurrere.

Deprehendas. Deprehẽdi possunt. Sententia est: corpus, vultus, est animi, vel tristis, vel læti index.

Flexisses. Mutasse vitæ institutum, nolle ampliùs patronos divites, & avaros sectari.

Repeto. Recordor.

Isidis. Dea erat Ægyptiorum, apud Romanos culta. Vide Sat. 6.

Ganymedem. Templum pacis, in quo erat Ganymedis statua. Is à Jove in aquilam mutato raptus, ac delatus in Cœlum, ut Superis pocula misceret.

Secreta. Quo in templo arcana, & silenda mysteria celebrantur.

Matris. Templum Cybeles, quæ Deorum mater, seu, Magna Mater dicebatur. Ejus simulachrum ab Phrygiæ oppido Pessinunte Romam erat advectum. Vide Sat. 3

Aufidio. Is cliens diligentissimus habebatur in colendis patronis.

Chio. Oriundo ex insula Chio. Hæc Ægæi maris insula est.

Celebrare. Frequentare, ad deducendos patronos, honoris causa.

Uti-

Utile & hoc multis vitæ genus; at mihi nullum
Inde operæ pretium: pingues aliquando lacernas,
Munimenta togæ, duri, crassique coloris,
Et malè percussas textoris pectine Galli,
Accipimus, tenue argentum, venæque secundæ.
Hæc tribui; deinde illa dedi; mox, plura tulisti.
Computat, atque cavet: ponatur calculus, absint
Cum tabula pueri; numera sestertia quinque
Omnibus in rebus: numerentur deinde labores.

Utile. Respondet jam Nævolus: Fateor istud vitę genus esse multis utile; mihi non est, qui aliud nihil facio lucri, nisi quòd vestem detritam à patrono accipio, &c.

Lacernas. Lacerna, seu pænula erat vestis hyberna, & crassior, quæ togæ superimponebatur, ad eam, ut ait, muniendam, & conservandam; pinguem vocat è crasso filo confectam, vel attritam.

Male &c. Negligenter textas à textore Gallo. Fiebant ejusmodi vulgò lacernæ in Gallia. Pecten porrò est lignum oblongum instar pectinis, quo textores inserunt subtegmen flamini, atque ut compactior, & densior tela sit, adeòque melior, sæpe, & graviter pectine percutiunt subtemen, & flamini implicant, quod contra fit in panno laxiori, & negligentiùs texto.

Vena &c. Nummum ex argento non purgato, quale in aurifodinæ venis secundis, id est, deterioribus, reperitur.

Hæc tribui. Verba sunt patroni avari.

Tulisti. A me obtinuisti plura, quàm deberem tibi dare.

Cavet. Ne deludatur.

Calculus. Ad numerandū.

Tabula. In qua computet: vel, libro expensi, & accepti.

Pueri. Servi, qui servant tabulas, & rationes.

Sestertia &c. Summa hæc redit ad libras monetæ Turonicæ, ut loquuntur Galli, quingentas. Respondet hæc summa nummis Romanis, Scutatis centum quindecim.

Omnibus &c. Id est: si omnia, quæ tibi dedi, rectè æstimes, videbis summam existere quinque sestertiorum, illas omnes res valere quinque sestertia.

Labores. Hoc Nævolus ait: At non numeras meos sudores, operam, ærumnas, in te affectando, colendo, &c. Vel potiùs, hoc: avarus patronus dicet, hoc sensu: numera tuos labores, videbis

En cui tu viridem umbellam, cui succina mittas
Grandia, natalis quoties redit, aut madidum ver
Incipit, & strata positus, longaque cathedra
Munera fœmineis tractat secreta Kalendis.
Dic, passer, cui tot montes, tot prædia servas
Appula, tot milvos intra tua pascua lassos?
Te Trifolinus ager fœcundis vitibus implet,
Suspectumque jugum Cumis, & Gaurus inanis
Nam quis plura linit victuro dolia musto?

bis eos non esse æstimandos quinque sestertiis.

En cui &c. En patronum, ò Juvenalis, quem hactenus colui. Huncine hominem adeò ingratum, dignum censes, cui mittatur umbella? &c.

Umbellam. Velum, quod opponitur capiti ad arcendum solem, & umbram conciliandam.

Succina. Lege Sat. 6.

Natalis &c. Recurrente natali ejus die. Tunc patronis clientes, servi dominis, munera mittebant. Kalendis verò Martiis, quo mense vernum tempus incipit, ac frequentiores pluviæ sunt, mittebantur munera fœminis. Nævolus innuit patronum suum esse hominem libidinosum, & effœminatum, cui, tamquam fœminæ, munera Kalendis Martiis, quas tertio post versu, fœmineas vocat, mittenda.

Strata. Pulvillis, aut tapetibus instrata.

Tractat. Recognoscit, revolvit, &c.

Secreta. Seposita, in interiorem cellam abdita, ut serventur commodiùs.

Passer. Vox blandientis ò homo delicate.

Appula. Erant agri feraces in Apulia, Italiæ regione. Sat. 4.

Milvos &c. Idest, agros tam amplos, ut eos pervolare milvi non possint, quin defatigentur.

Trifolinus. Est ager admodùm fertilis, propè Neapolim, ita dictus ab trifolio, herba quadam, quæ in eo plurima nascitur: trifolium autem ab ternis foliis nomen habet.

Suspectumque &c. Est mons Misenus, ac promontorium, quod Cumæ, (urbs ad ejus radicem posita) suspiciunt. Suspicimus, quæ supra nos sunt; despicimus, quæ infra.

Gaurus. Mons Campaniæ Italicæ, propè Puteolos.

Inanis. Vel, cavernosus, vel, vacuus domibus, te uno omnia possidente.

Nam quis. Qui plures cados implet recenti vino?

Linit. Pice obturat, operculum lino, & resina obducit.

Victuro. Ad servandum mustum, seu vinum diu duraturum, & ad summam sene-

Quantum erat ærumnas laſſi donare clientis
Jugeribus paucis? Meliuſne hic ruſticus infans,
Cum matre, & caſulis, & cum luſore catello,
Cymbala pulſantis legatum fiet amici?
Improbus es, cùm poſcis, ait. Sed penſio clamat,
Poſce: ſed appellat puer unicus, ut Polyphemi
Lata acies, per quam ſolers evaſit Ulyſſes.
Alter emendus erit, namque hic non ſufficit; ambo
Paſcendi: quid agam bruma ſpirante? quid, oro,
Quid dicam ſcapulis ſervorum, menſe Decembri,
Et pedibus? Durate, atque expectate cicadas?
Sci certè, quibus iſta modis, quàm ſæpè rogarim,
Et quæ pollicitus fueris mihi. Juſta doloris,
Nævole, cauſa tui: contra tamen ille quid affert?
Negligit, atque alium bipedem ſibi quærit aſellum.

ſenectutem perventurum.

Quantum erat &c. An ponendum erat in loco, & numero magni cujuſdam muneris, & beneficii, ſi dediſſes mihi pauca jugera, qui omnes meas fortunas in obſequio tuo conſumpſi?

Meliuſne &c. An æquius eſt, ſi villam hanc aliquam, cum ruſticis, qui ſunt in ea, infantibus, & matre, & catellis relinquas teſtamento amico cuiquam tuo, qui ſit è numero Gallorum ſacerdotum, qui ſolent in ſacris Cybeles tympana pulſare, vulgò ſunt homines improbiſſimi. Vide Sat. 4.

Improbus. Importunus. Avari verba ad Nævolum.

Sed &c. Reſponſio Nævoli. Ego verò non tam poſco, quàm penſio domus à me conductæ, quæ mihi dicit, pete, unde ſolvas, & ei, qui domum locavit, me reddas.

Appellat. Poſcit pecuniam.

Puer. Servus: quem unum habeo, ut Polyphemus unam aciem, ideſt, unum oculum.

Per quam &c. Qua effoſſa, evaſit è Polyphemi manibus Ulyſſes. Vide Odiſſeam lib. 10.

Alter. Servulus.

Scapulis. Humeris nudis, quos ſcilicet dominus veſtire debet.

Cicadas. Æſtatem, qua canunt cicadæ. An erunt contenti ſervi, ſi jubeam eos durare nudos, donec æſtas advenerit? neutiquam certè.

Juſta &c. Loquitur Juvenalis.

Aſellum. Clientem tam ſtupidum, quàm ego ſum, à quo me ſic decipi patior.

Hæc.

Hæc soli commissa tibi celare memento,
Et tacitus nostras intra te fige querelas.
Nam res mortifera est inimicus pumice lęvis.
Qui modò secretum commiserat, ardet, & odit,
Tamquam prodiderim, quidquid scio: sumere ferrum,
Fuste aperire caput, candelam apponere valvis
Non dubitat: nec contemnas, aut despicias; quòd
His opibus nunquam cara est annona veneni.
Ergo occulta teges, ut Curia Martis Athenis.
O Corydon, Corydon, secretum divitis ullum
Esse putas? servi ut taceant, jumenta loquentur,
Et canis, & postes, & marmora. Claude fenestras,
Vela tegant rimas, junge ostia, tollito lumen

Hæc. Arcanas de avaro domino querelas.

Fige. Absconde.

Nam, *&c.* Crudeles enim gerunt inimicitias isti effæminati, qui cutem pumicè poliunt. Pumex, lapis scaber, & ad res lęvigandas aptus.

Qui modò, &c. Qui modò me suorum arcanorum faciebat participem, ut si fuissem amicus ipsius summus, & derepente in me furit, & accusat, quòd ea evulgaverim.

Ferrum. Quo me perimat. Gladium in me stringet.

Candelam. Qua meas ædes incendat.

Despicias. Cave autem, putes nihil imminere mihi ab illo periculi, cùm avarus sit; tanquam ipse sumptum nolit ullum, ut me perdat, facere; tantas opes habet, ut facilè sit empturus venenum, quo me interimat. Cara dicitur annona, cùm panis, cibi, & alia id genus, magno pretio constant; vilis, cùm parvo.

Curia Martis. Senatus Atheniensis, qui Areopagus dictus est, idest, pagus, seu collis Martis: eò quòd Mars homicidii accusatus à Neptuno, duodecim Diis judicantibus, sex sententiis in eo loco fuit absolutus. Senatores porrò Athenienses silentii, & arcani adeò tenaces erant, ut solemne illis esset sententiam scripto, non verbo, ferre. Memineris igitur ea, quæ tibi de patrono meo dixi, non minori celare silentio, quàm Areopagitę sua senatusconsulta, & judicia celabant.

O Corydon. O homo rustice simplex, & bone, qui credas domini tui arcana celari posse, Sumptum hoc hemistichium à Virgilio. Ecloga 1. versu 68.

Ut taceant. Quamvis taceant.

Junge Claude: clauditur enim

E medio, clament omnes, prope nemo recumbat;
Quod tamen ad cantum galli facit ille secundum,
Proximus ante diem caupo sciet, audiet & quæ
Finxerunt pariter librarius, archimagiri
Carptores: quod enim dubitant cōponere carmen
In dominos, quoties rumoribus ulciscuntur
Baltea? Nec deerit, qui te per compita quærat
Nolentem, & miseram vinosus inebriet aurem.
Illos ergo roges, quidquid paulò ante petebas
A nobis, taceant illi: sed prodere malunt
Arcanum, quàm subrepti potare Falerni,
Pro populo faciens, quantum Laufella bibebat.

enim janua, cùm junguntur simul valvæ.

Clament. Licèt omnes vociferentur. Legunt aliqui: *taceant omnes*.

Ad cantum, &c. Sub mediam noctem, in tenebris ejus occulta, & tenebricosa flagitia.

Ante diem. Antequam luceat.

Audiet. Idem caupo audiet etiam ea scelera, quæ de suo domino finxerunt librarii, &c.

Librarius. Ea vox in eo loco formatur à nomine substantivo, *libra*, & eum significat, qui libra ponderat carnes, & alia id genus, quæ domi servis dantur: dispensator, promus. Eamdem vocem aliter explicatam habes Sat. 6.

Archimagiri. Græca vox: principes, seu magistri coquorum, primarii coqui.

Carptores. Carminatores, servi, qui lanificio, & carpendis lanis operam dabant.

Quod enim, &c. Quæ est enim tam fœda, & improba cantilena, quàm illi non audeant componere in suos heros, quando his rumoribus, seu fabulis, & cantilenis in vulgus sparsis, volunt ulcisci pœnas, quas de ipsis sumpserunt domini, eos balteis, seu loris è corio factis, verberantes.

Nec deerit, &c. Reperientur ex illis servis nonnulli, qui te istas cantilenas audire nolentem quærant, & tuas aures iis recitandis inebrient, impleant, obtundantque, ipsi vinosi, & ebrii, ideòque ad secreta dominorum aperienda promptiores.

Illos, &c. Pete igitur ab illis servis, quod modò me rogabas, nempe ut sileant: non facient tamen; malunt enim arcanum prodere, quàm vinum furtim raptum haurire; quod tamen libentissime faciunt.

Faciens. Sacrificans. Fiebant sacrificia pro populo Romano Bonæ Deæ: his solæ mulieres intererant, & vino se multo certatim proluebant.

Vivendū rectè, cùm propter plurima, tum de his
Precipuè causis, ut linguas mancipiorum
Contemnas; nam lingua mali pars pessima servi.
Deterior tamen hic, qui liber non erit illis,
Quorum animas, & farre suo custodit, & ære.
Idcircò ut possim linguam contemnere servi,
Utile consilium modò, sed commune dedisti:
Nunc mihi quid suades, post damnum temporis, & spes
Deceptas? festinat enim decurrere velox
Flosculus; angustæ, miseræque brevissima vitæ
Portio: dum bibimus, dum serta, unguenta, rosasque
Poscimus, obrepit non intellecta senectus.
O parvi, nostrique lares, quos thure minuto,
Aut farre, & tenui soleo exornare corona,
Quando ego figam aliquid, quo sit mihi tuta senectus
A tegete, & baculo? viginti millia fœnus

Laufella. Mulier vinosa.

Contemnas. Ut ne timere illas possis: ut nihil habeant, quod tibi meritò possint obiicere.

Deterior, &c. Sententia est. Ille tamen dominus est suis servis nequior, & miserior, qui cogitur illos timere, qui est apud illos veluti servus, & mancipium, sine libertate, semper in metu, ne sua prodantur ab illis scelera.

Quorum animas. Illis, quos pane suo pascit, quos pecunia sua sustentat.

Commune, &c. Docuisti me id, quod omnibus universè faciendum, nempe bene vivendum mihi esse, ut linguas mancipiorum non timeam, sed aliud nunc à te peto; quid mihi jam faciendum censeas: amisi bonam temporis, & ætatis partem in colendo avaro patrono, &c.

Flosculus. Flos, vigor ætatis.

Portio. Subaudi, est.

Non intellecta. Nemine cogitante.

Lares. Dii Domestici.

Farre. Farinam è tritico puriore, quod far vocatur, confectam, & sale conspersam in victimas conjiciebant. Hæc appellabatur mola salsa.

Figam, &c. Fixum aliquid habebo, certam aliquam pecuniæ summam, qua fretus effugiam mendicitatem in senectute. Teges est storea, qua se mendici, aut casulas suas tegunt.

Viginti, &c Quandonam è pe-

Pignoribus positis? argenti vascula puri,
Sed quæ Fabricius Censor notet? & duo fortes
De grege Mœsorum, qui me cervice locata
Securum jubeant clamoso insistere Circo?
Sit mihi præterea curvus cælator, & alter,
Qui multas facies fingat citò. Sufficient hæc,
Quando ego pauper ero: votum miserabile! nec spes
His saltem; nam cùm pro me Fortuna rogatur,

è pecunia mutuò commodata recipiam viginti millia sestertiorum, (conficiunt librarum Turonicarum duo millia. Monetæ Romanæ sunt nummi 400. scutati, ut loquuntur, & sexaginta) pro fœnore, quod mihi certum erit positis, & datis mihi tutis pignoribus ab iis scilicet, qui fœnus hoc solvent mihi? Pignus est id, quod cautionis loco datur alteri, ut si gemmam tradas ei, a quo nummum sumas mutuum, reddendam tibi, quando nummum vicissim reddes.

Puri. A scoria purgati, optimi.

Sed quæ, &c. C. Fabricius Censor fuit admodùm severus: is Cornelium Rufinum, bis Consulem creatum, ac semel Dictatorem, Senatu movit, ea de causa, quòd decem pondo vasa argentea domi haberet. Talia sibi optat vasa Nævolus, Valer. Maxim. lib. II. c. 9.

Duo, &c. Duo servi robusti e Mœsia: est regio propè Thraciam. Inde Romam veniebant servi, ad lecticas ferendas idonei ob robur, & proceritatem corporis.

Locata. Quam mihi locaverint, quorum operam pretio emerim.

Securum. Sedentem in lectica: Non timentem, ne a turba comprimar.

Insistere. Interesse ludis Circensibus. De Circo dictum Sat 6.

Cælator. Qui signa imprimit vasis argenteis. Solent autem isti artifices curvo corpore in opus incumbere.

Facies, &c. Imagines, statuas è cera, argilla, &c. faciat. Legunt aliqui, *pingat*: alii: *Qui multa facies, &c.* Hanc lectionem explicui in Juvenale majori, quem perpetua interpretatione illustravi.

Sufficient, hæc. Hæc mihi tamdiu sufficient, quamdiu ero pauper. si dives fuero, plura petam. Sed tamen frustra hæc vota misera facio, frustra spero magnas opes, frustra illas ipsas tenues, quas commemoravi: nam cùm rogo Fortunam, est illa meis votis

Affigit ceras illa de nave petitas,
Quæ Siculos cantus effugit remige surdo.

tam surda, quàm Ulyssis remiges, & socij, qui sibi aures obturarunt cera, ne Sirenum cantum audirent. Vide Odyss. lib. 12. Erant Sirenes in freto Siculo.

SATYRA X.

Hominum vota.

OMnibus in terris, quæ sunt à Gadibus usque
Auroram, & Gangem, pauci dignoscere possunt
Vera bona, atque illis multùm diversa, remota
Erroris nebula: quid enim ratione timemus,
Aut cupimus? quid tã dextro pede concipis, ut te
Conatus non pœniteat, votique peracti?
Evertere domos totas optantibus ipsis
Dii faciles. Nocitura toga, nocitura petuntur

Omnibus, &c. Idest, in universo orbe: ab oriente ad occidentem. Gades enim insula est in extrema Hispania, propè angustum fretum, per quod mare in medias terras influit, & quod Hispaniam ab Africa, separat. Ganges verò fluvius est maximus Indiæ orientalis.

Diversa. Ea, quæ sunt opposita veris bonis, adeòque vera sunt mala.

Remota nebula. Citra errorem, remota ignorantia, & errore, qui tenebras menti offundit.

Ratione. Rationis ductu, atque impulsu.

Quid tam, &c. Quid tam felici conatu meditaris unquam, ac destinas, ut postquam, consecutus es, quod optabas, non te pœniteat optasse illud, & suscepisse.

Dextro pede, &c. Dextero pede aliquid concipere, est votum aliquod felix edere, rem aliquam alite bona, id est, bonis auspiciis suscipere. Dextera enim pars felix, & bene ominata credebatur, sinistra infelix.

Evertere, &c. Ordo est: Dii nimis indulgentes hominibus aliquid optantibus, fuerunt in causa, cur tot familiæ everterentur, Sic Neptunus Thesei domum evertit, dum ejus contra Hippolytum filium insontem preces faciliùs audivit.

Toga. Idest, pace: vide Sat. 8.

Ter-

Militia: torrens dicendi copia multis,
Et sua mortifera est facundia: viribus ille
Confisus periit, admirandisque lacertis.
Sed plures nimia congesta pecunia cura
Strangulat, & cuncta exuperans patrimonia census,
Quanto delphinis balæna Britannica major.
Temporibus diris igitur, jussuque Neronis,
Longinum, & magnos Senecæ prædivitis hortos
Clausit, & egregias Lateranorum obsidet ædes
Tota cohors. Rarus venit in cœnacula miles.

Torrens, &c. Abundans, & profluens eloquentia.

Viribus ille, &c. Nempe Milo Crotoniates, qui tantas habuisse vires dicitur, ut bovem uno nudæ manus ictu mactaverit, & integrum humeris solus gestarit. Is porrò, cùm iter faceret per sylvam, viresque suas experiri vellet in diducenda hiante quercu, ab arboris partibus in sese coeuntibus interceptus, & inclusus, mox a feris discerptus est.

Strangulat. Exitio est.

Et cuncta, &c. Divitiæ tantò maiores aliorum patrimoniis, quantò balæna Britannica delphinos mole superat.

Britannica. In Oceano enim Anglico balænæ maximæ capiuntur.

Temporibus diris. Quibus Nero, quæsita undique occasione, insidiabatur opibus divitum, & suam crudelitatem in omnes expromebat.

Longinum. Cassium Longinum interfici jussit Nero, non alio objecto crimine, quàm quòd Cassii, unius è Cæsaris percussoribus, statuam in vetere gentili stemmate retinuisset; cùm revera opibus illius inhiaret.

Senecæ, Seneca vir optimus, quo præceptore ipse Nero usus fuerat, Pisonianæ conjurationis falsò accusatus (cùm reipsa immensæ ejus divitiæ essent in causa) a Nerone mori jussus, incisis sibi venis, obiit.

Clausit cohors. Id est, manus militum, ab Imperatore missa ad interficiendum Lateranum, & Senecam, eorum ædes invasit, & clausit.

Lateranorum. Plautii Laterani, Consulis designati, à Nerone divitiis ejus inhiante cæsi.

Rarus, &c. Raròin pauperum domos percussores mittuntur. Cœnacula erant partes superiores domus, & tegulis proximæ. Ita dicta sunt, quia olim in iis ipsi divites, auræ frigidioris captandæ causa, cœnabant: mox ea pauperibus re-

Pauca licèt portes argenti vascula puri,
Nocte iter ingressus, gladium, contumq; timebis,
Et motæ ad Lunam trepidabis arundinis umbram:
Cantabit vacuus coram latrone viator.
Prima ferè vota, & cunctis notissima templis,
Divitiæ ut crescant, & opes, ut maxima toto
Nostra sit arca foro: sed nulla aconita bibuntur
Fictilibus; tunc illa time, cùm pocula sumas
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.
Jamne igitur laudas, quod de sapientibus alter
Ridebat, quoties à lumine moverat unum,
Protuleratque pedem; flebat contrarius alter?
Sed facilis cuivis rigidi censura cachinni:
Mirandum est, unde ille oculis suffecerit humor.
Perpetuo risu pulmonem agitare solebat

reliquerunt, quòd ad illas difficilior esset ascensus.

Puri. Non cælati, non elaborati, atque adeò non tanti pretii.

Gladium. Latronis.

Contum. Contus propriè lignum est cuspide ferrea præfixum, quo utuntur nautæ: hìc longiorem hastam significat.

Cantabit, &c. Viator qui vacuam habet crumenam, nihil a latronibus timebit.

Prima. Hoc primo loco ante omnia precamur in templis.

Arca foro. In foro enim, sive in templis foro vicinis, arcas habebant cives opulenti, in quibus pecunias deponebant, ut essent tutiores, ut potè in loco bene munito, ac sacro.

Fictilibus. In vasis testaceis, & argilla: sensusque est, pauperibus nulla parari venena.

Setinum. Vinum optimum, quod colligebatur propè Setiam, urbem Campaniæ in Italia.

Ardebit, &c. In aureo poculo splendebit, ac velut ignescet.

Jamne, &c. Nonne jam meritò laudabis sapientissimos philosophos, qui, alter ridendo, alter flendo, uterque suo modo, etsi diverso, stultitiam hominum, & vota damnaverunt? Heraclitum, & Democritum indicat.

Alter. Democritus, qui, quoties in publicum procedebat, semper ridebat hominum ineptias.

Contrarius, &c. Heraclitus, qui miserias hominum semper deflebat.

Sed facilis, &c. Facile est cuilibet, (quod fecit Democritus) censuram humanæ vitæ quamdam exercere ridendo; facilis est censura vitiorum, quæ fit cachinno: sed mirum est, unde sup-

Democritus, quamquam non essent urbibus illis
Prætexta, & trabeæ, fasces, lectica, tribunal.
Quid, si vidisset Prætorem curribus altis
Extantem, & medio sublimem in pulvere Circi,
In tunica Jovis, & pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ, magnæque coronæ
Tantum orbem, quanto cervix non sufficit ulla?
Quippe tenet sudans hanc publicus, & sibi Consul.

suppeteret Heraclito tanta lacrymarum copia.

Quamquam, &c. Etsi in urbe Abdera, (ubi natus Democritus) aliisque urbibus Thraciæ, non erat idem luxus, ac fastus, quem videmus Romæ; non prætexta, trabeæ, fasces, &c. subaudi, quantò magis risisset, si hæc omnia vidisset?

Prætexta. Dicebatur ea toga, cujus limbus infimus, & circuitus purpura prætextus erat, sive circumdatus; erat insigne quorumdam magistratuum. Vide Sat. 8.

Fasces. Virgæ in fasces circa securim collectæ, quæ ante Consules, & Prætores ferebantur.

Lectica. Vehiculi genus, quod servorum humeris portabatur.

Tribunal. Ex quo jus dicebatur, quoque variis ornamentis insignitum erat.

Quid, si &c. Quid acturum putas fuisse Democritum, quantos cachinnos editurum, si vidisset Prætorem, &c.

In curribus, &c. Describit Prætorem ludos Circenses spectantem, & disponentem, sublimem in curru, & ornatum vestibus, quibus uti solebant ii, qui triumpharent.

In tunica, &c. Indutum tunica insigni, qualem triumphantes ferebant, è templo Jovis, & Capitolio sumptam: unde tunica Jovis appellatur.

Picta. Figuris acu pictis, præsertim stellis aureis ornatæ.

Sarrana. Tyria, id est, purpurea: nam Tyrus, urbs Phæniciæ, unde advehebatur purpura, dicta est olim Sarra; quare Sarranus idem sonat, ac Tyrius.

Aulæa. Togam latam, & longam instar aulæorum, quibus aularum parietes teguntur.

Magnæque, &c. Hoc est, coronam rotundam tanti ponderis, quanto ferendo vix ullum caput sufficit, ac par est.

Quippe tenet, &c. Servus, seu minister publicus, coronam sustentabat a tergo triumphantis, nec sine labore multo, ac sudore illam ejus capiti imminentem gestabat.

Consul. Consules, itidem ut.

Ne placeat, curru servus portatur eodem.
Da nunc, & volucrem, sceptro quæ surgit eburno,
Illinc cornicines, hinc præcedentia longi
Agminis officia, & niveos ad fræna Quirites,
Defossa in loculis quos sportula fecit amicos.
Tunc quoque materiam risus invenit ad omnes
Occursus hominum; cujus prudentia monstrat
Summos posse viros, & magna exempla daturos,
Vervecum in patria, crassoque sub aere nasci;
Ridebat curas, necnon & gaudia vulgi.
Ergo supervacua hæc, aut perniciosa petuntur

ut Prætores, ludos in circo edebant, ibique cum toga picta, cæterisque triumphantium insignibus, vehebantur. Illorum, ac cæterorum, qui triumphum agerent, fastum ridet.

Sibi ne, &c. Ne se efferat nimiùm, & se homine majorem putet; in eodem curru portatur servus, qui cum illo veluti triumphet, illumq; conceptis verbis admoneat: *Hominem esse te memento, &c.*

Da nunc, &c. Sensus est: adde etiam aliud triumphantis insigne, aquilam nempe, eburnei sceptri vertici impositam.

Officia. Amicos, servos, ministros, qui honoris, & officii causa triumphantem comitantur.

Niveos, &c. Solebant enim cives multi adesse circa currum triumphantis, albis vestibus induti.

Quos sportula, &c. Qui ideo illum affectantur, ut ab eo sportulam accipiant: quos sportulæ accipiendæ spes illi adjungit, & conciliat.

Defossa, &c. Sportula abdita in crumena triumphantis: plerumque enim clientibus pro sportula pecunia dabatur. De sportula plura vide Sat. 1. & 3.

Materiam, &c. Quotiescumque Democritus hominibus occurrebat, quoties domo efferebat pedem, toties reperiebat, quod rideret.

Cujus. Democriti.

Magna, &c. Magnarum virtutum exemplo prodituros, cæteris exemplo futuros.

Vervecum, &c. Idest; posse in barbara urbe, & inculta regione nasci. Abdera, Democriti patria, urbs fuit Thraciæ, ubi homines barbari erant, & rudes, instar vervecum: stupidi enim, ac stolidi per convicium appellantur verveces; quia hoc animal est admodùm vecors, & hebes.

Crasso aere. Qui pingues, & hebetes reddit, ut tenuis aer contra ingeniosos facit.

Propter quæ. Quæ tamen à Diis

Propter quæ fas est genua incerare Deorum.
Quosdam præcipitat subjecta potentia magnæ
Invidiæ; mergit longa, atque insignis honorum
Pagina: descendunt statuæ, restemque sequuntur.
Ipsas deinde rotas bigarum impacta securis
Cædit, & immeritis franguntur crura caballis.
Jam strident ignes, jam follibus, atque caminis
Ardet adoratum populo caput, & crepat ingens
Sejanus: deinde ex facie toto orbe secunda

à Diis ipsis, tanquam valde utilia, petimus, more, & jure passim recepto.

Incerare. Vel, cereas candelas ad Deorum statuas & genua apponere, ad Deos sibi conciliandos: vel potiùs, concepta vota, & tabulis conscripta, in Deorum statuis, & genibus cera figere.

Subjecta. Obnoxia, exposita.

Mergit. Idest, pergit, obruit, exitio est.

Honorum pagina. Hoc est, nocent illi honores multi ipsis dati. Per paginam autem vel intelligit stemmata, & tabulam, in qua describitur ratio generis, & majorum honores: vel Fastos, & alios id genus libros, in quibus Consulatus, & alii civium honores perscribebantur.

Statuæ, &c. Nobilium statuę è sua basi funibus deturbantur: qui enim damnati erant gravioris alicujus criminis, eorum frangebantur statuæ, idque decreto Magistratus, vel populi furore. Restem autem, & laqueos statuis altioribus iniicere, easque detrahere moris fuit, immo & per Urbem raptare.

Ipsas deinde, &c. Franguntur securibus rotæ curruum triumphalium. Biga est currus, qui à duobus equis junctis trahitur; sic triga, & quadriga, qui à tribus, & quatuor.

Caballis. Equis ex ære, aut saxo sculptis, currum triumphalem trahentibus.

Ignes. Quibus funduntur, & liquantur statuæ.

Adoratum, &c. Sejani caput tanto nuper in honore habitum.

Crepat. Cum crepitu resolvitur in ignes, & liquatur.

Sejanus. Statua Sejani, Is tanta primùm gratia fuit apud Tiberium, ut ipsi pene par esse videretur: verùm, cùm potentia, & opibus abuteretur, affectaretque Imperium, ab illo damnatus, & mori cum ignominia jussus est.

Ex facie, &c. Idest, ex facie Sejani, quem totus orbis secundum ab Tiberio Imperatore agnoscebat, & reverebatur.

Fiunt urceoli, pelves, sartago, patellæ.
Pone domi lauros, duc in Capitolia magnum,
Cretatumque bovem; Sejanus ducitur unco
Spectandus; gaudent omnes: Quæ labra? quis illi
Vultus erat? nunquam, si quid mihi credis, amavi
Hunc hominem: sed quo cecidit sub crimine? quisnam
Delator? quibus indiciis, quo teste probavit?
Nil horum, verbosa, & grandis epistola venit
A Capreis. Bene habet, nil plus interrogo: sed quid
Turba Remi? Sequitur fortunam, ut semper, & odit
Damnatos. Idem populus, si Nurtia Thusco

Sartago. Vas est culinarium, ad escas frigendas

Pone, *&c.* Verba sunt populi Sejano insultantis: Lætitiam ostende, inquit unus aliquis alium alloquens orna domum, & fores tuas sertis, & frondibus.

Cretatumque. Immola Jovi in Capitolio bovem candidum, quasi re bene peracta. Diis Superis, v.g Jovi, Junoni, &c. victimas candidas immolabant; Diis Inferis, puta Plutoni, & Proserpinæ, nigras.

Ducitur, *&c.* Ad supplicium unco trahitur in Gemonias scalas. Locus erat, in quo scelerati morte afficiebantur.

Spectandus. Proponendus toti populo ad spectaculum, & ludibrium.

Quæ labra, *&c.* Quàm erat deformis, quàm truculentus?

Quo cecidit, *&c.* Propter quod crimen morte damnatus est?

Quo teste, *&c.* Cujus testimonio crimen ejus probavit accusator?

Nil horum, *&c.* Respondet unus aliquis de populo: Non constat de crimine, de testibus: nihil ejusmodi dicitur.

A Capreis, *&c.* A Tiberio, qui in Capreis, insula parva littoris Italici contra Neapolim, morabatur, ubi voluptatibus fœdissimis indulgebat; hinc scripsit ad Senatum de Sejano condemnando.

Bene habet. Sufficit hoc mihi, ait alter; satis mihi est ad Sejanum condemnandum, quòd epistola Tiberii damnatus fuerit.

Sed quid? Supple, sentit, loquitur?

Turba Remi. Populus Romanus, à Romulo, & Remo propagatus.

Idem, *&c.* Hæc jam dicit Poetà: Si Nurtia Thuscorum.

Faviſſet, ſi oppreſſa foret ſecura ſenectus
Principis, hac ipſa Sejanum diceret hora
Auguſtum. Jampridem, ex quo ſuffragia nulli
Vendimus, effugit curas; nam qui dabat olim
Imperium, faſces, legiones, omnia, nunc ſe
Continet, atque duas tantùm res anxius optat,
Panem, & Circenſes. Perituros audio multos,
Nil dubium; magna eſt fornacula: pallidulus mi
Brutidius meus ad Martis fuit obvius aram:

rum Dea, Sejano Thuſco ita faviſſet, ut Tiberium ſenem in Capreis ſecurè delitescentem opprimeret; hac ipſa hora, qua populus Sejanum condemnabat, eumdem Sejanum Imperatorem ſalutare paratus fuiſſet.

Nurtia. Hæc Dea maxime colebatur in oppido Hetruriæ, Volſinio, Sejani patria.

Ex quo, &c. Ex quo tempore per ſuffragia, ut olim fiebat, non eligimus Magiſtratus, ſed ſolus Imperator illos eligit; ex eo tempore populus de Repub. ſollicitus non eſt, & quis obtineat principatum, & quo jure, parùm laborat.

Vendimus. Solebant enim, qui petebant Magiſtratus, populi ſuffragia ſibi coemere muneribus, & largitionibus.

Qui dabat. Populus, qui olim eligebat pacis, & belli Magiſtratus.

Imperium. Præfecturas exercituum; qui enim toti exercitui præerat, is Imperator dicebatur, maxime ubi aliquam inſignem de hoſte victoriam retuliſſet.

Faſces. Ideſt, Conſulatum, & Præturam. Iis enim magiſtratibus faſces à lictoribus præferebantur. Vide Sat. 8.

Legiones. Præfecturas militares. Porrò in legione ad ſummum numerabantur ſex millia militum: ejus partes erant cohortes decem, & in ſingulis cohortibus manipuli tres.

Se continet. Otium agit, abſtinet ab adminiſtranda Republica.

Panem, &c. Panem, quo vivat; ludos, quibus ſe oblectet. Circenſes autem ludi erant ii, qui celebrabantur in Circo maximo.

Perituros, &c. Alter populi introducitur dialogiſmus: Audio, inquit unus aliquis, multos Sejani cauſa perituros.

Magna, &c. Ira Imperatoris valde eſt accenſa; magnum paratur incendium.

Pallidulus mi, &c. Pro, mihi; ſenſuſque eſt: amicus Brutinius mihi occurrit, propè Martis Ultoris templum, pallidus, ac male metuens, ne ſæviret Tiberius in amicos Sejani, è quorum erat numero.

Quàm timeo, victus ne pœnas exigat Ajax,
Ut malè defensus! curramus præcipites, &
Dum jacet in ripa, calcemus Cæsaris hostem.
Sed videant servi, ne quis neget, & pavidum in jus
Cervice astricta dominum trahat. Hi sermones
Tunc de Sejano, secreta hæc murmura vulgi,
Visne salutari, sicut Sejanus? habere
Tantumdem? atque illi sellas donare Curules,
Illum exercitibus præponere? tutor haberi
Principis angusta Caprearum in rupe sedentis

Quàm timeo, &c. Valde vereor, ne Tiberius malè se a Romanis defensum existimans, & eos Sejano nimiùm favisse arguens in eosdem ruat, non saniùs, quàm Ajax, qui postquam in contentione de Achillis armis ab Ulisse superatus est, per dementiam, & furorem, gladio in pecudes sæviit, ratus se plebē, & proceres Græcorum mactare. Ovid. 13. Metam.

Jacet. Insepultus in Tiberina ripa.

Hostem. Sejanum Tiberii hostem.

Sed Videant, &c. Dum Sejanum calcabimus, faciendū ut servi nostri præsentes adsint, & videant hunc à nobis calcari, ne quis eum à nobis calcatum, & ludibrio habitum fuisse neget: ac nos, tamquam Sejani amicos, accuset.

Et pavidum, &c. Ne nos dominos servi nostri per vim trahant ad judices, injecto in collum laqueo; ut rei, & damnati trahi solent.

Visne, &c. Estne aliquis, qui velit salutari, & appellari honorificis illis nominibus, quibus Sejanus salutabatur; nempe collega, & amicus summus Imperatoris, &c.

Tantumdem. Idest, tantas opes, quantas habuit Sejanus.

Atque illi, &c. Et quemadmodùm Sejanus faciebat, alii cuipiam donare Magistratus, alium exercitui præficere, &c.

Donare, &c. Creare Magistratus urbanos: sellis enim curulibus in curiam vehi, & ex iis jus dicere solebant Magistratus. Erant illæ sellæ ex ebore: Curules dicebantur, vel a Curibus urbe Sabinorum, unde pleraque dignitatis ornamenta, atque insignia Romani sumpserunt; vel ex eo, quòd illæ sellæ in curribus ponerentur, cùm veherentur Magistratus in curiam.

Tutor, &c. Et existimari vicarius, ac veluti defensor, ac tutor Tiberii; qui, ut pupillus impar administrando Imperio, latebat otiosus in Capreis, insula exigua, & scopulosa.

Gre-

Cum grege Chaldæo? Vis certè pila, cohortes,
Egregios Equites, & castra domestica: quidni
Hæc cupias? & qui nolunt occidere quemquam,
Posse volunt. Sed quæ præclara, & prospera tanti,
Ut rebus lætis par sit mensura malorum?
Hujus, qui trahitur, prætextam sumere mavis,
An Fidenarum, Gabiorumque esse Potestas,
Et de mensura jus dicere? vasa minora
Frangere pannosus vacuis Ædilis Ulubris?
Ergo, quid optandum foret, ignorasse fateris
Sejanum: nam, qui nimios optabat honores,
Et nimias poscebat opes, numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata, unde altior esset

Grege Chaldæo. Cùm mathematicis, & ariolis; iis enim delectabatur Tiberius: illi appellantur Chaldæi; quia Chaldæi, seu Babylonii peritissimi astrologiæ fuerunt, maximè judiciariæ, seu divinatricis.

Vis certè, &c. Idest; scio te velle, & optare militarem aliquam dignitatem, & præesse cum Imperio exercitui, ut Sejanus, qui castra habebat in ipsa Urbe: ubi milites prætorianos, & domesticum quasi exercitum ad Imperatoris custodiam tenebat.

Pila. Pilum erat peditum Romanorum hastile exiguum, & missile.

Quidni, &c. Facilè adducor, ut credam tibi hæc placere.

Posse volunt. Volunt habere potestatem occidendi, etsi nolint ea uti.

Sed quæ, &c. Sensus est; quæ dignitas tanti est; quænam meretur optari ea lege, ut, quantum habes commodi, & boni, tantumdem habeas mali, & periculi? ut pari mensura bonis mala æquentur?

Hujus, &c. An mavis summum imperium Sejani, quæ vides unco in locum supplicii raptari, quàm, &c.

Prætextam. Hæc vox sæpe jam explicata est.

Fidenarum. Municipiorum vilium, quales erant Fidenæ, & Gabii, oppidula Italiæ.

Potestas. Magistratus.

De mensura, &c. Ædilium enim erat de mensuris publicis, & ponderibus curare, ac statuere; ut & de ædibus urbis, annona, &c.

Ulubris. Ulubræ, oppidũ pęne desertum in Latio.

Minora. Angustiora, & arctiora justo.

Pannosus. Egens, sordidè vestitus.

Numerosa, &c. Sensus est: Sejanus, dum se ad altissimos honores extollebat, ædificabat veluti turrim altissimam multis tabulatis,

&

Casus, & impulsæ præceps immane ruinæ.
Quid Crassos, quid Pompejos evertit, & illum,
Ad sua, qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus nulla non arte petitus,
Magnaque Numinibus vota exaudita malignis.
Ad generum Cereris sine cæde, & vulnere pauci
Descendunt Reges, & sicca morte tyranni.
Eloquium, ac famam Demosthenis, aut Ciceronis,
Incipit optare, & totis Quinquatribus optat,
Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam;

& contignationibus constantem, unde graviùs caderet.

Et impulsæ, &c. Unde & ipse impulsus in ruinam immani casu, in subjectum, & pro fundum præcipitium rueret.

Crassos. Patrem, & filium à Parthis trucidatos, ambos ditissimos.

Pompejos. Pompejum Magnum, ejusque duos filios à Cæsare, & Cæsarianis oppressos in bello civili.

Illum, qui &c. Julium Cæsarem, qui in Senatu interfectus est.

Ad sua, &c. Idest, qui domuit Romanum populum, & illum veluti flagris suis subjecit; qui Romanos, tamquam mancipia, exuit libertate, ac loris turpiter cecidit.

Summus, &c. Responsio est Poetæ. Nempe illis exitio fuit, illos evertit sua dignitas, & primus in Repub. locus, quem tam cupidè ambierant.

Malignis. Non propitiis, non amicis: utpote, qui importunitate votorum victi, res optantibus nocituras annuerent.

Ad generum, &c. Plutonem Proserpinæ, Cereris filiæ maritum; idest, ad mortem, & Inferos.

Sicca. Non cruenta, non violenta.

Eloquium, &c. Puer, qui tenui mercede litteris initiatur, quem servus deducit ad scholam, & reducit, optat in festis Minervæ, (quæ scientiarum est præses) eloquentiam Demosthenis, aut Ciceronis.

Quinquatribus. Quinquatria, sive Quinquatrus, fuerunt Minervæ festa, quæ ita dicta sunt à quinque diebus, quibus celebrabantur, vel, à die quinta post idus Martias, qua die inchoabantur.

Colit Minervam. Litteras docetur, & amat, iis delectatur: quas uno asse, idest, exigua mercede præceptori data sibi peperit, edidicit. Potest hoc idem explicari de parva Minervæ statua, uno asse empta, quam puer domi colat.

Cap-

Quem sequitur custos angustæ vernula capsæ.
Eloquio sed uterque perit orator; utrumque
Largus, & exundans letho dedit ingenii fons:
Ingenio manus est, & cervix cæsa; nec unquam
Sanguine causidici maduerunt rostra pusilli.
O fortunatam natam me Consule Romam!
Antoni gladios potuit contemnere, si sic
Omnia dixisset: ridenda poemata malo,
Quàm te conspicuæ divina Philippica famæ,
Volveris à prima quæ proxima. Sævus & illum
Exitus eripuit, quem mirabantur Athenæ
Torrentem, & pleni moderantem fræna theatri.
Diis ille adversis genitus, fatoque sinistro,

Capsa. Quæ libros pueri continet; quàm servus custodit, ne quis libros furetur.

Eloquio, &c. Tamen Demosthenes, & Cicero, periere propter suam eloquētiam, & ingenium eximium.

Manus, &c. Manus enim, & caput Ciceronis abscissa, & affixa sunt ab Antonio in rostris, è quibus in eum suas orationes pronunciaverat.

Rostra. Erat locus in foro, unde ad populum dicebatur; ita dictus, à rostris navium Antiatium, quibus adornatus erat.

Pusilli. Mali, vel mediocris.

O fortunatam, &c. Versus hic Ciceronis est, de oppressa Catilinæ conjuratione in suo Consulatu, parùm sanè concinnus.

Si sic. Tam barbarè, tam ineleganter.

Quam te, &c. Idest, quàm admirabilem illam orationem, quæ secunda est ex illis, quas Cicero in Antonium scripsit, vocavitque Philippicas, imitatus eas, quas in Philippum Macedoniæ Regem habuerat Demosthenes.

Illum, &c. Demosthenem; qui, cùm audisset se quæri ad necem à percussoribus, Athenis in Thraciam profugit ad templum Neptuni. à cujus ara satelles eum abstrahere dum conaretur, Demosthenes, veneno, quod in calamo servabat, hausto, sibi necem attulit.

Torrentem. Magna vi, & copia dicentem, instar torrentis verba devolventem.

Fræna Qui moderabatur, & veluti habenis ducebat, quò vellet, populum, à quo audiebatur tam frequenti concione, quàm si ad ludos, & theatra populus confluxisset. Alii volunt Demosthenem recitasse suas orationes è theatro; quod aliquando tunc fiebat.

Diis ille, &c. Demosthenes Diis iratis natus est, Deos infensos habuit.

Quem pater ardentis massæ fuligine lippus
A carbone, & forcipibus, gladiosque parante
Incude, & luteo Vulcano, ad rhetora misit
Bellorum exuviæ, truncis affixa trophæis
Lorica, & fracta de cassìde bucula pendens,
Et curtum temone jugum, victæque triremis
Aplustre, & summo tristis captivus in arcu;
Humanis majora bonis creduntur: ad hæc se
Romanus, Grajusque, ac Barbarus Induperator
Erexit; causas discriminis, atque laboris
Inde habuit; tantò major famæ sitis est, quàm

Pater. Pater Demosthenis, qui gladiorum faber fuit.

Ardentis, &c. Lippus ob fumum, fuliginem, & candentis ferri massas, quas in officina sua tractare consueverat.

Et luteo, &c. A lutosa, & nigra Vulcani, idest, fabri ferrarii officina.

Rethora. Scholam rhetoris Isæi, qui Demosthenis magister fuit.

Bellorum, &c. Ostendit jam Poeta, quàm inania sint illorum vota, qui ad arma se conferunt, & in gloria bellica summum bonum constituunt.

Truncis, &c. Lorica affixa in trophæis mutilatis, & truncatis. Trophæa enim erant arbores truncatæ, & decisis ramis aptatæ, quæ induebantur hostium spoliis, & armis, in eoque loco statuebantur, ubi hostes in fugam versi erant.

Bucula. Ea pars est galeæ, quæ buccam, seu, os militis tegit,

Curtum, &c. Carens, sive mutilus temone currus. Jugum propriè est lignū transversum in anteriori curru, quod equos jungit, ut simul trahant currum.

Aplustre. Sunt aplustria, ornamenta navium, quę ab victis navibus diripiebant victores, &, ut victoriæ monumenta, servabant domi, foribus appendebant.

Et summo, &c. Effigies captivorum tristium è lapide facta, positaque in fastigio arcus, seu fornicis triumphalis, ob victoriam extructi.

Humanis, &c. Idest, ea omnia magni æstimantur ab hominibus, & divina quædam bona putantur.

Induperator. Imperator: vox vetus.

Ad hęc se, &c. Ut ea consequerentur Græci, & Romani Imperatores, omni ope contenderunt.

Inde, &c. Hæc gloriæ cupiditas in causa fuit, cur pericula, & labores maximos adirent.

Tantò, &c. Adeò verùm est gloriæ avidiores esse homines, quàm veræ virtutis!

Virtutis! quis enim virtutem amplectitur ipsam,
Præmia si tollas? Patriam tamen obruit olim
Gloria paucorum, & laudis, titulique cupido
Hæsuri saxis cinerum custodibus, ad quæ
Discutienda valent sterilis mala robora ficus:
Quandoquidem data sunt ipsis quoque fata sepulchris.
Expende Hannibalem: quot libras in duce summo
Invenies? hic est, quem non capit Africa, Mauro
Perfusa Oceano, Niloque admota tepenti.
Rursus ad Æthiopum populos, aliosque elephantes,
Additur imperiis Hispania; Pyrenæum
Transilit: opposuit natura Alpemque, nivemque
Diduxit scopulos, & montem rupit aceto:
Jam tenet Italiam, tamen ultra pergere tendit:

Patriam &c. Multi tamen fuerunt exitio suæ patriæ, propter suam ambitionem, & gloriæ sitim immodicam.

Hæsuri &c. Inscribendi: idest, ut haberent titulum, & elogium, quod suo sepulchro insculperant.

Saxis &c. Saxeis sepulchris, in quibus urnæ, cineresque mortuorum conduntur, & asservantur.

Ad quæ &c. Tamen ad saxa, & sepulchrorum moles magnificas destruendas, satis virium habet ficus sterilis, seu caprificus: est enim arbuscula quædam, quæ inter saxa nascitur, & ea sensim disjicit.

Quandoquidem &c. Nam, & ipsa sepulchra pereunt, ac destruuntur, ut homines, & res cæteræ mortalium.

Expende Hannibalem. Hannibalis cineres pōdera.

Quem &c. Qui tota Africa contentus non erat.

Mauro. Atlantico mari, quo alluitur Mauritania.

Nilo &c. Porrecta, & patens Africa usque ad Nilum, qui à meridie in septentrionem fluit per Ægyptum, Æthiopiam Zonæ torridæ subjectam; unde tepentem illum appellat.

Rursus &c. Non contentus unius Æthiopiæ, seu Africæ, cujus pars est Æthiopia, regnis, & elephantis, addit Imperio Hispaniam.

Pyrenæum. Montem, qui Hispaniam dividit à Gallia.

Alpemque &c. Alpes sunt montes altissimi, perpetuisque tecti nivibus, qui Italiam, à Gallia, & Germania separant.

Rupit aceto. Hannibal enim, ut ait Livius, montem facto incendio, infusoque insuper aceto disrupit.

Actum

Actum, inquit, nihil est, nisi Pœno milite portas
Frangimus, & media vexillum pono Suburra.
O qualis facies, & quali digna tabella,
Cùm Getula ducem portaret bellua luscum!
Exitus ergo quis est? ò gloria! vincitur idem
Nempe, & in exilium præceps fugit; atque ibi magnus,
Mirandusque cliens sedet ad prætoria Regis,
Donec Bithyno libeat vigilare Tyranno.
Finem animæ, quæ res humanas miscuit olim,
Non gladii, non saxa dabunt, non tela, sed ille
Cannarum vindex, ac tanti sanguinis ultor
Annulus. I demens, & sævas curre per Alpes,

Actum &c. Frustra sunt tot relatæ hactenus victoriæ.

Pœno. Carthaginiensi.

Portas &c. Supple, Romæ: idest, nisi Romam ipsam capio.

Suburra. Vico Urbis Romæ celeberrimo.

O qualis &c. Quàm lepidùm erat videre Hannibalem luscum, elephanti insidentem!

Getula &c. Elephas è Getulia, Lybiæ parte.

Luscum. Uno oculo captum. Alterum enim oculum Hannibal amiserat vigiliis, & nocturno humore, dum Romam properaret.

Exitus &c. Quis Hannibalis finis fuit? quem tot victoriarum, quem ambitionis suæ fructum tulit?

O gloria! O quàm inanis est hominum gloria!

Vincitur &c. A Scipione, qui bellum in Africam deportaverat; ubi victus Hannibal, & à suis posteà damnatus, ac pulsus in exilium, fugit in Syriam, & Bithyniam.

Cliens. Ille dicitur cliens, qui se in alterius patrocinium, & tutelam tradidit.

Ad prætoria. Idest, ad Regii cubiculi aditum. Prætorium propriè est domus Prætoris, sive ducis exercitus; palatium Imperatoris: hìc significat palatia Antiochi Regis Syriæ, & Prusiæ Regis Bithyniæ, apud quos exulabat Hannibal.

Donec &c. Expectans ad Prusiæ januam manè, donec evigilare, & surgere è lectulo regi libeat, ut eum nempe salutet.

Finem animæ &c. Hannibali, qui omnia perturbaverat bellis, & cladibus, non tela, aut saxa vitam eripient, sed annulus ultor effusi ab eo Romani sanguinis in prælio Cannensi.

Annulus. In cujus nempe pala, seu gemma, venenum abditum habebat, quo se peremit.

I demens. Alloquitur poeta Hannibalem, & irridet.

Ut pueris placeas, & declamatio fias.
Unus Pellæo juveni non sufficit orbis;
Æstuat infelix angusto limite mundi,
Ut Gyaræ clausus scopulis, parvaque Seripho:
Cùm tamen à figulis munitam intraverit urbem,
Sarcophago contentus erit. Mors sola fatetur,
Quantula sint hominum corpuscula. Creditur olim
Velificatus Athos, & quidquid Græcia mendax
Audet in historia: constratum classibus iisdem,
Suppositumque rotis solidum mare: credimus altos

Ut pueris &c. Nempe id lucri facies, ut sis argumentum puerilium in scholis declamationum.

Unus &c. Cùm Alexander Anaxarchum philosophum de infinitis mundis audisset disputantem, flevisse fertur, dixisseque. Me miserum, qui nondum unius dominus factus sim!

Pellæo juveni. Alexandro, nato in urbe Pella, Macedoniæ primaria.

Æstuat &c. Mundi limites videntur ipsi angustiores; vix habet respirandi liberè, ac se vertendi locum, quasi si inclusus esset in aliqua exigua insula, qualis est Gyara, vel Seriphus, duæ insulæ maris Ægæi angustissimæ.

A figulis munitam urbem &c. Id est, Babylonem, quam muris è latere, ac testa structis cinxit Semiramis: qua in urbe veneno periit Alexander.

Sarcophago. Sepulchro: ita dicitur Græcè, quia carnes vorat.

Mors sola &c. Sola mors docet, quàm exigua res sit homo.

Creditur &c. Literis proditum est, montem Atho factum fuisse navibus, ac velis pervium. Athos est mons altissimus in Macedonia, à Xerxe Persarum Rege abscissus à continente, & circumnavigatus. Velificatus hìc est significationis passivæ.

Et quidquid &c. Credimus etiam omnia, quæ mendaces plerumque Græci in sua historia scribunt, v. gr. mare fuisse prorsus opertum navibus iisdem, quibus Athos velificatus fuerat. Tanta enim erat Persicarum navium multitudo, ut iis mare tegeretur, & insterneretur.

Suppositumque &c. Videlicet ponte facto è navibus. Dicitur Xerxes Asiam, & Europam junxisse, & per eum suos currus, equitatumque transvexisse. Quare tunc suppositum fuit mare rotis curruum, per pontem transeuntium.

Me-

Defecisse amnes, epotaque flumina Medo
Prandente, & madidis cantat quæ Sostratus alis.
Ille tamen qualis rediit Salamine relicta?
In Corum, atque Eurum solitus sævire flagellis
Barbarus, Æolio nunquam hoc in carcere passos?
Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigæum?
Mitius id sanè, quòd non & stigmate dignum
Credidit: huic quisquam vellet servire Deorum?
Sed qualis rediit? nempe una nave, cruentis
Fluctibus, ac tarda per densa cadavera prora:

Medo. Exercitu è Medis, & Persis, qui tantus erat, ut in prandio unico, totum aliquod flumen ebiberet, atque exhauriret; si tamen credere dignum est.

Madidis &c. Credimus ea portenta, quæ canit Poeta Sostratus, madidus, hoc est, bene potus, & ebrius: vel, furore poetico sic abreptus, ut præ nimia contentione toto corpore sudet. Dantur poetis vulgò alæ, & Apollinis cycni appellantur.

Ille tamen &c. Irridet Poeta Xerxem: Quomodo tamen, inquit, ille in Asiam rediit, postquam navali prælio à Themistocle victus est, propè Salaminem? Dicitur in scapha piscatoria coactus fuisse trāsmittere Hellespontum, ut in Asiam rediret.

Salamine. Insula est in mari Ægæo, è regione Atticæ.

In Corum &c. Ille, qui flagris ventos ceciderat. Xerxes enim jussit ventos, & mare ipsum flagris verberari, & mari catenas injici, iratus Neptuno, quia pons ab ipso compactus tempestate disjectus fuisset. Corus est ventus ab occidente spirans, Eurus ab oriente.

Æolio &c. Æolus, ventorum rex. Numquam ille ventos (inquit Poeta) flagris cecidit.

Ennosigæum. Neptunum maris Deum. Vox Græca est, quæ significat, terram quatiens; estque Neptuni epithetum frequens apud poetas Græcos.

Mitius &c. Ironice. Clementer sanè cum Neptuno Xerxes egit, quod eum candenti ferro notari, & inuri non jusserit. Est enim stigma, nota inusta maximè in fronte, qua quis ad ignominiam afficitur.

Huic &c. Tam stulto, & tam vesano Principi quis Deorum vellet opitulari, & operam navare?

Nave. Scapha piscatoria.

Cruentis &c. Per cruentos sanguine Persarum fluctus.

Ac tarda &c. Per cadavera suorum cæsorum, & in undis fluitantium, tanta mul-

Has toties optata exegit gloria pœnas.
Da spatium vitæ, multos da Jupiter annos:
Hoc recto vultu, solum hoc & pallidus optas:
Sed quàm continuis, & quantis longa senectus
Plena malis? deformem, & tetrum ante omnia vultum,
Dissimilemque sui, deformem pro cute pellem,
Pendentesque genas, & tales aspice rugas,
Quales, umbriferos ubi pandit Tabracha saltus,
In vetula scalpit jam mater simia bucca.
Plurima sunt juvenum discrimina: pulchrior ille:
Hoc, atque ille alio; multùm hic robustior illo:
Una senum facies; cum voce trementia labra,
Et jam læve caput, madidique infantia nasi.
Frangendus misero gingiva panis inermi:
Usque adeò gravis uxori, gnatisque, sibique,
Ut captatori moveat fastigia Cosso.
Quid refert, magni sedeat qua parte theatri,

multitudine, ut navigii cursum retardarent.

Recto &c. Palam, & clara voce, non clam, & demisso vultu.

Solum. Præ cæteris.

Pallidus. Anxius, & solicitus, timens, ne non obtineas, quod petis.

Dissimilemque sui. Ab eo, qui erat in juventute, diversum.

Cute. Pelle delicata.

Quales &c. Ordo est: quales rugas scalpit simia senior in sua vetula bucca, ubi Tabracha, &c. hoc est, in sylvis, juxta Tabracham, urbem Africæ, simiarum plenis.

Jam mater. Annosa simia, eòque horridior: similæ enim vetulæ sunt admodùm deformes.

Plurima &c. Juvenes alii alia re sunt inter se dissimiles: alii alia dote præstant: senum omnium eadem est facies, iidem morbi, eadem incommoda.

Læve. Calvum, pilis carens.

Madidique &c. More infantium, ipsi humor perpetuò de naribus pendet.

Frangendus &c. Necesse est miserum senem, cui jam dentes omnes exciderint, ipsa gingiva edentula, & inermi panem suum frangere.

Ut captatori &c. Adeò ut nauseam moveat vel iis ipsis, qui ejus hæreditatem captant: etsi ejusmodi homines gravia omnia, & molesta soleant æquo animo ferre. Cossus nomen est alicujus hæredipetæ.

Quid refert &c. Nihil interest, an procul ab actoribus, & scena sedeat, cùm spe-

Defecisse amnes, epotaque flumina Medo
Prandente, & madidis cantat quæ Sostratus alis.
Ille tamen qualis rediit Salamine relicta?
In Corum, atque Eurum solitus sævire flagellis
Barbarus, Æolio nunquam hoc in carcere passos?
Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigæum?
Mitius id sanè, quòd non & stigmate dignum
Credidit: huic quisquam vellet servire Deorum?
Sed qualis rediit? nempe una nave, cruentis
Fluctibus, ac tarda per densa cadavera prora:

Medo. Exercitu è Medis, & Persis, qui tantus erat, ut in prandio unico, totum aliquod flumen ebiberet, atque exhauriret; si tamen credere dignum est.

Madidis &c. Credimus ea portenta, quæ canit Poeta Sostratus, madidus, hoc est, bene potus, & ebrius: vel, furore poetico sic abreptus, ut præ nimia contentione toto corpore sudet. Dantur poetis vulgò alæ, & Apollinis cycni appellantur.

Ille tamen &c. Irridet Poeta Xerxem: Quomodo tamen, inquit, ille in Asiam rediit, postquam navali prælio à Themistocle victus est, propè Salaminem? Dicitur in scapha piscatoria coactus fuisse trãsmittere Hellespontum, ut in Asiam rediret.

Salamine. Insula e[illegible] mari Ægæo, è [illegible] Atticæ.

In Corum [illegible] [illegible]ris [illegible] pons ab ipso compactus tempestate disjectus fuisset. Corus est ventus ab occidente spirans, Eurus ab oriente.

Æolio &c. Æolus, ventorum rex. Numquam ille ventos (inquit Poeta) flagris cecidit.

Ennosigæum. Neptunum maris Deum. Vox Græca est, quæ significat, terram quatiens; estque Neptuni epithetum frequens apud poetas Græcos.

Mitius &c. Ironice. Clementer sanè cum Neptuno Xerxes egit, quod eum candenti ferro notari, & inuri non jusserit. Est enim stigma, nota inusta in fronte, qua [illegible] miniam a[illegible]

Huic [illegible] tam[illegible]

[illegible] cruen[illegible] [illegible]arum flu[illegible]

[illegible] &c. Per [illegible]

Has toties optata exegit gloria pœnas.
Da spatium vitæ, multos da Jupiter annos:
Hoc recto vultu, solum hoc & pallidus optas:
Sed quàm continuis, & quantis longa senectus
Plena malis? deformem, & tetrum ante omnia vultum,
Dissimilemque sui, deformem pro cute pellem,
Pendentesque genas, & tales aspice rugas,
Quales, umbriferos ubi pandit Tabracha saltus,
In vetula scalpit jam mater simia bucca.
Plurima sunt juvenum discrimina: pulchrior ille:
Hoc, atque ille alio; multùm hic robustior illo:
Una senum facies; cum voce trementia labra,
Et jam læve caput, madidique infantia nasi.
Frangendus misero gingiva panis inermi:
Usque adeò gravis uxori, gnatisque, sibique,
Ut captatori moveat fastigia Cosso.
Quid refert, magni sedeat qua parte theatri,

multitudine, ut navigii cursum retardarent.

Recto &c. Palam, & clara voce, non clam, & demisso vultu.

Solum. Præ cæteris.

Pallidus. Anxius, & solicitus, timens, ne non obtineas, quod petis.

Dissimilemque sui. Ab eo, qui erat in [illegible] diversum.

Cute. P[illegible]

Quales [illegible] quales [illegible] senior i[illegible] ubi Ta[illegible] in sylv[illegible] urbe[illegible] ple[illegible]

les: alii alia dote præstant: senum omnium eadem est facies, iidem morbi, eadem incommoda.

Læve. Calvum, pilis carens.

Madidique &c. More infantium, ipsi humor perpetuò de naribus pendet.

Frangendus &c. Necesse est miseram senem, cum [illegible] omnes exciderint, [illegible] gingiva edentula, & [illegible] panem suum frangere [illegible]

Captatori &c. Adeò [illegible] moveat vel iis [illegible] qui ejus hæreditatem [illegible] est [illegible] [illegible] omnia, & [illegible] solent [illegible] animo [illegible]

Hæc eadem Peleus, raptum cùm luget Achillem;
Atque alius, cui fas Ithacum lugere natantem.
Incolumi Troja Priamus venisset ad umbras
Assaraci, magnis solemnibus, Hectore funus
Portante, ac reliquis fratrum cervicibus, inter
Iliadum lacrymas, ut primos edere planctus
Cassandra inciperet, scissaque Polyxena palla,
Si foret extinctus diverso tempore, quo jam
Cœperat audaces Paris ædificare carinas.
Longa dies igitur quid contulit? omnia vidit
Eversa, & flammis Asiam, ferròque cadentem.
Tunc miles tremulus posita tulit arma tiara,
Et ruit ante aram summi Jovis, ut vetulus bos,

Hæc eadem. Subaudi, quæritur.

Peleus. Pater Achillis, quem Paris in templo Apollinis sagitta interemit.

Alius. Laertes, Ulyssis pater.

Cui fas &c. Ideſt, qui nimis diu vixit; siquidem per senectutem licuit illi esse misero, & lugere filium suum natantem, hoc est, per maria decem jam annos jactatum, & errantem. Porrò Ulyssem Ithacum vocat, à Patria Ithaca, quæ Insula est in mari Jonio, prope Epirum, parva, & aspera.

Venisset &c. Ad sepulchra majorum, ad manes Assaraci apud Inferos descendisset, stante adhuc, & florente Troja.

Assaraci Fuit Assaracus Trois Trojanorum Regis filius, & Ili frater: Ilus vero pater Laomedontis, cujus filius Priamus fuit.

Magnis solemnibus, &c. Cum solemni, & magna pompa.

Hectore &c. Hectore, & reliquis suis filiis adhuc viventibus, qui patris funus, seu cadaver, ad rogum extulissent.

Iliadum. Trojanarum mulierum. Troja Ilium est vocata.

Ut primos &c. Adeò ut næniam funebrem inchoasset Cassandra, &c.

Cassandra, Polyxena. Priami filiæ fuerunt.

Diverso. Alio tempore, atque illo, quo periit; si priùs mortuus fuisset.

Audaces. Quibus Helenam raperet, ipse audax.

Longa dies. Longa vita.

Contulit. Juvit, profuit.

Asiam. Asiæ partem magnam, Phrygiam.

Tunc miles, &c. Scilicet Priamus ætate confectus, Troja jam capta, arma sumpsit. Vide Virg. 2. Æneid. versu 509.

Tiara. Diademate, pileo Regio.

Ruit &c. Occisus à Pyrrho, Achillis filio. Vide lib. 2. Æneid.

Qui domini cultris tenue, & miserabile collum
Præbet, ab ingrato jam fastiditus aratro.
Exitus ille utcumque hominis: sed torva canino
Latravit rictu, quæ post hunc vixerat, uxor.
Festino ad nostros, & Regem transeo Ponti,
Et Crœsum, quem vox justi facunda Solonis
Respicere ad longæ jussu spatia ultima vitæ.
Exilium, & carcer, Minturnarumque paludes,
Et mendicatus victa Carthagine panis,
Hinc causas habuere. Quid illo cive tulisset
Natura in terris, quid Roma beatius unquam;
Si circumducto captivorum agmine, & omni
Bellorum pompa, animam exhalasset opimam,
Cùm de Teutonico vellet descendere curru?

Ab ingrato &c. Abstractus ab aratro ab ingrato agricola, qui bovem, ob senium agro colendo inutilem, interficit, immemor ejus laborum.

Exitus, &c. Sensus est: mors Priami, etsi miserrima, hominis tamen mors fuit, non belluæ; ut Hecubæ mors. Ovid. 13. Metam n. 15.

Uxor. Hecuba, Priami uxor, quæ in canem conversa dicitur, & canis instar latravit.

Nostros. Ad Romana exempla.

Regem Ponti. Mithridatem, qui post bella 40. annos contra Romanos gesta, tandem victus à Pompejo, sibi ipse mortem conscivit.

Crœsum. Lydiæ Regem, qui, cùm se beatum putaret, sapienter est monitus à Solone, uno è Græciæ sapientibus, neminem ante obitum felicem dicendum esse: jussusque ab eo est respicere ad mortem; quippe quæ de hominum felicitate certissimum judicium sola ferret.

Exilium, &c. Senectus causa fuit ærumnarum C. Marii, qui à Sylla superatus, è palude Minturnensi, ubi latuit, extractus, & in carcerem conjectus est; dein exul mendicavit in urbe à Romanis victa, nempe Carthagine.

Hinc &c. Ex vita longa: his omnibus causam senectus dedit.

Illo cive. Mario.

Si &c. Idest, si post triumphos suos obiisset.

Circumducto. Per urbis Romanæ vicos. Qui enim triumphabāt, captivos post currum vinctos trahebant.

Captivorum. Cimbrorum, & Teutonum, Vide Sat. 8.

Opimam. Lætam, triumphantem, & quasi opima spolia ferentem.

Teutonico. Quo, de Teutonibus triumphans, vehebatur. Teutones Germaniæ

Provida Pompejo dederat Campania febres
Optandas: sed multæ urbes, & publica vota
Vicerunt: igitur fortuna ipsius, & Urbis
Servatum victo caput abstulit. Hoc cruciatu
Lentulus, hac pœna caruit, ceciditque Cethegus
Integer, & jacuit Catilina cadavere toto.

Formam optat modico pueris, majore puellis
Murmure, cùm Veneris fanum videt anxia mater
Usque ad delicias votorum. Cur tamen, inquit,
Corripias? pulchra gaudet Latona Diana.
Sed vetat optari faciem Lucretia, qualem

populi, à Mario victi. Ipse ab Africa, in quam se receperat, Syllam fugiens, revocatus à Cinna, bellum civile moliente, Romam cum eo victor iniit, & cæde inimicorum, ac sanguine satiatus, crapula, & senio confectus paulò post obiit.

Provida &c. Factum esse Superum, ac Fortunæ nutu videbatur, ut Pompejus ante bella civilia febri in Cāpania laboraret: quasi prævidisset illa eum pòsteà crudeli morte peiturū. Campania, pars Italię, ubi Capua.

Optandas. Optandum enim erat, ut iis febribus confectus moreretur, adhuc florente fortuna.

Vicerunt. Idest, vitam Pompejo impetraverunt.

Fortuna. Adversa fortuna Pompeji, & Romæ, quæ in ejus morte libertatem perdidit.

Servatum. Morbis, & morti ereptum, Ptolemæi gladio reservavit, post Pharsalicam pugnam, ex qua fugit in Ægyptum, ubi occisus est.

Hoc cruciatu, &c. Non enim ei caput abscissum; sed in carcere cum reliquis conjuratis strangulatus est.

Lentulus. Qui in patriam cum Catilina, & Cethego conjuraverat. Vide Sallustium de bello Catil.

Integer. Non abscisso capite, ut Pompejus.

Majore murmure. Voce clariori, majori studio, & contentione.

Cùm Veneris &c. Quæ Dea scilicet formæ præest.

Usque ad &c. Ita ut modum omnem vota excedant; ut nimia; & quasi delicata vota sint: quæ v.g. optat filio formam Apollineæ similem, &c.

Cur tamen &c. At (objiciet aliquis) cur hæc vota reprehendis? nonne Latona ipsa gratulatur sibi ob Dianæ filiæ pulchritudinem?

Sed vetat, &c. Monet optandam non esse insignem formam Lucretiæ, cùm ob eam perierit: illa enim à Sexto, Tarquinii superbi filio, per vim temerata, sibi mortem conscivit.

Ru-

Ipsa habuit; cuperet Rutilæ Virginia gibbum
Accipere, atque suam Rutilæ dare. Filius autem
Corporis egregii miseros, trepidosque parentes
Semper habet: rara est adeò concordia formæ,
Atque pudicitiæ! sanctos licèt horrida mores
Tradiderit domus, ac veteres imitata Sabinas:
Præntereà castum ingenium, vultumque modesto
Sanguine ferventem tribuat natura benigna
Larga manu (quid enim puero cōferre potest plus,
Custode, & cura natura potentior omni?)
Sed casto quid forma nocet? Quid profuit olim

Rutilæ &c. Deformis, & gibbosæ alicujus puellæ.

Virginia. Filia L. Virginii, quæ, ne in potestatem veniret Appii Claudii Decemviri, à patre fuit interfecta. Is enim, centurio, & vir probus, cùm ab Appio pudicitiam filiæ attentari cognovisset, Romam advolans è castris, eam ultro jugulavit, maluitque filiam nullam habere, quàm turpem. Liv. lib. 3. c. 44.

Suam. Faciem, & formam.

Trepidos. De castitate filii solicitos.

Sanctos licet, &c. Licèt puer severe domi fuerit educatus, sanctosque mores edoctus à parentibus severis, & castis, qui similes fuerint priscis illis Sabinis, pudicitia, & morum sanctitate celebratis.

Modesto &c. Idest facilè erubescentem: rubor enim (ut ajunt) est castitatis color. Fit autem rubor, cùm fervet sanguis in vultu, & genas tingit.

Quid enim, &c. Quid enim alicui puero ipsa natura ad tuendam probitatem efficaciùs conferre potest, quàm naturalem propensionem ad castitatem, & modestiam? natura, inquam, potentior omni custode, & parentum cura?

Sed &c. Objectio est. Atenim, inquies, quid nocet pulchritudo illi, qui castus esse omninò decreverit?

Quid &c. Respondet objectioni. Quid Hippolyto profuit firmum propositum servandæ castitatis? ob formam nihilominùs periit. Erat ille Thesei Regis Athenarum filius, qui cùm Phædræ novercæ suæ infando amori non responderet, apud patrem ab ea fuit accusatus, quasi nolentem provocasset. Hippolytus iratum patrem fugiens, ab equis, territis marino monstro, dejectus curru, & discerptus est. Bellerophon filius erat Glauci regis Corinthi: is cùm apud Prœtum regem Argivorum versaretur, ab Stenobæa ejus uxore solicitatus, & apud Prœtum itidem accusatus, ab eo gravissimis est periculis objectus.

Hippolyto grave propositum ? quid Bellerophonti ?
Erubuit nempe hæc, ceu fastidita repulsâ:
Nec Stenobæa minùs, quàm Cressa excanduit, & se
Concussere ambæ, Mulier sævissima tunc est,
Cùm stimulos odio pudor admovet. Elige quidnã
Suadendum esse putes, cui nubere Cæsaris uxor
Destinat? Optimus hic, & formosissimus idem
Gentis Patriciæ, rapitur miser extinguendus
Messalinæ oculis: dudum sedet illa parato
Flammeolo; Tyriusque palàm genialis in hortis

Hæc. Phædra nempe, repulsam ab Hippolyto passa, erubuit quasi ab eo contempta. Consule Ovid. lib. 15. Metam. numero, ut edidi, 11. Item Appendicis Ovidianæ cap. 16. De Bellerophonte meminit idem Ovid. Lib. 4. n. 12. lib. 6. n 8. Append. c. 14.

Cressa. Phædra Thesei uxor secunda, filia Minois Regis Cretæ. Cressa autem est vox à Græco facta, significans feminam Cretensem.

Se concussere. Se ad ultionem excitarunt. Ductum ab athletis, qui pectus, aut latera concutiunt, ad iram provocandam, & vires acuendas.

Pudor. Metus turpitudinis, & infamiæ.

Elige &c. Probat recentiori exemplo formam obesse vel castissimis. C. Silius adolescens probus, & formosus fuit sub Claudio Roman. Imperatore quinto. Is Consul designatus cùm fuisset, vocatus est à Messalina Imperatoris conjuge admodùm impudica, ut ei palàm, vivente viro, at absente, ipsa nuberet; ni faceret, jussus est ab eadem mori. Hoc igitur dicit Juvenalis: Age, quid putas faciendum Silio, cui nubere vult Messalina ? quid illi dedisses consilii, si te consuluisset ? en ille optimus Patriciæ familiæ suæ juvenis vocatur, & rapitur occidendus in oculis Messalinæ, si ejus nuptias respuat: at si eas admittat, non potest necem effugere, quam illi, re audita, Imperator irrogabit. En cui periculo forma juvenem objicit.

Gentis. Familię. Erant patricii, homines nobilissimi apud Romanos, orti ab centum primis Senatoribus, quos Romulus Patres appellavit, & eorum posteros, Patricios.

Sedet. Expectat Silium.

Flammeolo. Flammeum erat vestis nuptialis, coloris ignei, à quo etiam habebat nomen.

Genialis. Subaudi, lectus; nuptialis lectus purpureus. Is à Genio sic est appella-

Sternitur, & ritu decies centena dabuntur
Antiquo; veniat cum signatoribus auspex.
Hæc tu secreta, & paucis commissa putabas:
Non nisi legitimè vult nubere. Quid placeat, dic;
Ni parere velis, pereundum est ante lucernas:
Si scelus admittas, dabitur mora parvula, dum res
Nota Urbi, & populo contingat Principis aures.
Dedecus ille domùs sciet ultimus: intereà tu
Obsequere imperio, si tanti est vita dierum
Paucorum: quidquid levius, meliusque putaris,
Præbenda est gladio pulchra hæc, & candida
cervix.

Nil ergo optabunt homines? Si consilium vis;
Permittes ipsis expendere Numinibus, quid
Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris.
Nam pro jucundis, aptissima quæque dabunt Dii?
Carior est illis homo, quàm sibi, Nos animorum
Impulsu, & cæca, magnaque cupidine ducti
Conjugium petimus, partumque uxoris: at illis
Notum, qui pueri, qualisque futura sit uxor.

tus, quia illi præesse Genius dicebatur, qui nativitatis puerorum curam habebat.

Ritu antiquo. Antiquo more dotem viro dabat uxor, eamque modicam.

Decies centena &c. Subaudi, sestertiorum millia; quę summa libras Francicas cōtinet centum millia nummos verò argenteos Italos, qui vulgò scutati appellantur, viginti duo millia, & quingentos. Hæc summa pecuniæ legibus erat constituta pro dote ordinaria

Signatoribus. Cum testibus, & scribis publicis, qui obsignent tabulas, & contractum matrimonii.

Auspex. Sacerdos, qui, captatis ritè auspiciis, cœremonias matrimonii peragat.

Legitimè. Ironia: palàm, quasi legitimum celebraret matrimonium adultera, & impudens fœmina. Vide Svet. c. 26. & 27.

Dic. O Sili, elige.

Lucernas. Vesperam, cùm lucernæ accenduntur.

Ultimus Erat enim homo vecors, & stolidus. Lege Cornel. Tac. Lib. 11. Ann.

Quidquid. Utrumlibet eligas, moriendum tibi erit.

Permittes &c. Relinques hoc Deorum arbitrio, ut expendant ipsi: quid tibi futurum sit utilius.

Pro jucundis &c. Quæ unà ferè petimus.

Aptissima. Utilissima.

Animorum. Idest, affectuum, cupiditatum.

Quem pater ardentis massæ fuligine lippus
A carbone, & forcipibus, gladiosque parante
Incude, & luteo Vulcano, ad rhetora misit
Bellorum exuviæ, truncis affixa trophæis
Lorica, & fracta de casside bucula pendens,
Et curtum temone jugum, victæque triremis
Aplustre, & summo tristis captivus in arcu;
Humanis majora bonis creduntur: ad hæc se
Romanus, Grajusque, ac Barbarus Induperator
Erexit; causas discriminis, atque laboris
Inde habuit; tantò major famæ sitis est, quàm

Pater. Pater Demosthenis, qui gladiorum faber fuit.

Ardentis, &c. Lippus ob fumum, fuliginem, & candentis ferri massas, quas in officina sua tractare consueverat.

Et luteo, &c. A lutosa, & nigra Vulcani, idest, fabri ferrarii officina.

Rethora. Scholam rhetoris Isæi, qui Demosthenis magister fuit.

Bellorum, &c. Ostendit jam Poeta, quàm inania sint illorum vota, qui ad arma se conferunt, & in gloria bellica summum bonum constituunt.

Truncis, &c. Lorica affixa in trophæis mutilatis, & truncatis. Trophæa enim erant arbores truncatæ, & decisis ramis aptatæ, quæ induebantur hostium spoliis, & armis, in eoque loco statuebantur, ubi hostes in fugam versi erant.

Bucula. Ea pars est galeæ, quæ buccam, seu, os militis tegit,

Curtum, &c. Carens, sive mutilus temone currus. Jugum propriè est lignũ transversum in anteriori curru, quod equos jungit, ut simul trahant currum.

Aplustre. Sunt aplustria, ornamenta navium, quę ab victis navibus diripiebant victores, &, ut victoriæ monumenta, servabant domi, foribus appendebant.

Et summo, &c. Effigies captivorum tristium è lapide facta, positaque in fastigio arcus, seu fornicis triumphalis, ob victoriam extructi.

Humanis, &c. Idest, ea omnia magni æstimantur ab hominibus, & divina quædam bona putantur.

Induperator. Imperator: vox vetus.

Ad hęc se, &c. Ut ea consequerentur Græci, & Romani Imperatores, omni ope contenderunt.

Inde, &c. Hæc gloriæ cupiditas in causa fuit, cur pericula, & labores maximos adirent.

Tantò, &c. Adeò verùm est gloriæ avidiores esse homines, quàm veræ virtutis!

Pa-

Virtutis! quis enim virtutem amplectitur ipsam,
Præmia si tollas? Patriam tamen obruit olim
Gloria paucorum, & laudis, tituliquecupido
Hæsuri saxis cinerum custodibus, ad quæ
Discutienda valent sterilis mala robora ficus:
Quandoquidem data sunt ipsis quoque fata sepulchris.
Expende Hannibalem: quot libras in duce summo
Invenies? hic est, quem non capit Africa, Mauro
Perfusa Oceano, Niloque admota tepenti.
Rursus ad Æthiopum populos, aliosque elephantes,
Additur imperiis Hispania; Pyrenæum
Transilit: opposuit natura Alpemque, nivemque
Diduxit scopulos, & montem rupit aceto:
Jam tenet Italiam, tamen ultra pergere tendit:

Patriam &c. Multi tamen fuerunt exitio suæ patriæ, propter suam ambitionem, & gloriæ sitim immodicam.

Hæsuri &c. Inscribendi: idest, ut haberent titulum, & elogium, quod suo sepulchro insculperant.

Saxis &c. Saxeis sepulchris, in quibus urnæ, cineresquè mortuorum conduntur, & asservantur.

Ad quæ &c. Tamen ad saxa, & sepulchrorum moles magnificas destruendas, satis virium habet ficus sterilis, seu caprificus: est enim arbuscula quædam, quæ inter saxa nascitur, & ea sensim disjicit.

Quandoquidem &c. Nam, & ipsa sepulchra pereunt, ac destruuntur, ut homines, & res cæteræ mortalium.

Expende Hannibalem. Hannibalis cineres pōdera.

Quem &c. Qui tota Africa contentus non erat.

Mauro. Atlantico mari, quo alluitur Mauritania.

Nilo &c. Porrecta, & patens Africa usque ad Nilum, qui à meridie in septentrionem fluit per Ægyptum, Æthiopiam Zonæ torridæ subjectam; unde tepentem illum appellat.

Rursus &c. Non contentus unius Æthiopiæ, seu Africæ, cujus pars est Æthiopia, regnis, & elephantis, addit Imperio Hispaniam.

Pyrenæum. Montem, qui Hispaniam dividit à Gallia.

Alpemque &c. Alpes sunt montes altissimi, perpetuisque tecti nivibus, qui Italiam, à Gallia, & Germania separant.

Rupit aceto. Hannibal enim, ut ait Livius, montem facto incendio, infusoque insuper aceto disrupit.

Actum

Actum, inquit, nihil est, nisi Pœno milite portas
Frangimus, & media vexillum pono Suburra.
O qualis facies, & quali digna tabella,
Cùm Getula ducem portaret bellua luscum!
Exitus ergo quis est? ò gloria! vincitur idem
Nempe, & in exilium præceps fugit; atque ibi magnus,
Mirandusque cliens sedet ad prætoria Regis,
Donec Bithyno libeat vigilare Tyranno.
Finem animæ, quæ res humanas miscuit olim,
Non gladii, non saxa dabunt, non tela, sed ille
Cannarum vindex, ac tanti sanguinis ultor
Annulus. I demens, & sævas curre per Alpes,

Actum &c. Frustra sunt tot relatæ hactenus victoriæ.

Pœno. Carthaginiensi.

Portas &c. Supple, Romæ: idest, nisi Romam ipsam capio.

Suburra. Vico Urbis Romæ celeberrimo.

O qualis &c. Quàm lepidum erat videre Hannibalem luscum, elephanti insidentem!

Getula &c. Elephas è Getulia, Lybiæ parte.

Luscum. Uno oculo captum. Alterum enim oculum Hannibal amiserat vigiliis, & nocturno humore, dum Romam properaret.

Exitus &c. Quis Hannibalis finis fuit? quem tot victoriarum, quem ambitionis suæ fructum tulit?

O gloria! O quàm inanis est hominum gloria!

Vincitur &c. A Scipione, qui bellum in Africam deportaverat; ubi victus Hannibal, & à suis posteà damnatus, ac pulsus in exilium, fugit in Syriam, & Bithyniam.

Cliens. Ille dicitur cliens, qui se in alterius patrocinium, & tutelam tradidit.

Ad prætoria. Idest, ad Regii cubiculi aditum. Prætorium propriè est domus Prætoris, sive ducis exercitus; palatium Imperatoris: hìc significat palatia Antiochi Regis Syriæ, & Prusiæ Regis Bithyniæ, apud quos exulabat Hannibal.

Donec &c. Expectans ad Prusiæ januam manè, donec evigilare, & surgere è lectulo regi libeat, ut cum nempe salutet.

Finem animæ &c. Hannibali, qui omnia perturbaverat bellis, & cladibus, non tela, aut saxa vitam eripient, sed annulus ultor effusi ab eo Romani sanguinis in prælio Cannensi.

Annulus. In cujus nempe pala, seu gemma, venenum abditum habebat, quo se peremit.

I demens. Alloquitur poeta Hannibalem, & irridet.

Ut.

Ut pueris placeas, & declamatio fias.
Unus Pellæo juveni non sufficit orbis;
Æstuat infelix angusto limite mundi,
Ut Gyaræ clausus scopulis, parvaque Seripho:
Cùm tamen à figulis munitam intraverit urbem,
Sarcophago contentus erit. Mors sola fatetur,
Quantula sint hominum corpuscula. Creditur olim
Velificatus Athos, & quidquid Græcia mendax
Audet in historia: constratum classibus iisdem,
Suppositumque rotis solidum mare: credimus altos

Ut pueris &c. Nempe id lucri facies, ut sis argumentum puerilium in scholis declamationum.

Unus &c. Cùm Alexander Anaxarchum philosophum de infinitis mundis audisset disputantem, flevisse fertur, dixisseque. Me miserum, qui nondum unius dominus factus sim!

Pellæo juveni. Alexandro, nato in urbe Pella, Macedoniæ primaria.

Æstuat &c. Mundi limites videntur ipsi angustiores; vix habet respirandi liberè, ac se vertendi locum, quasi si inclusus esset in aliqua exigua insula, qualis est Gyara, vel Seriphus, duæ insulæ maris Ægæi angustissimæ.

A figulis munitam urbem &c. Id est, Babylonem, quam muris è latere, ac testa structis cinxit Semiramis: qua in urbe veneno periit Alexander.

Sarcophago. Sepulchro: ita dicitur Græcè, quia carnes vorat.

Mors sola &c. Sola mors docet, quàm exigua res sit homo.

Creditur &c. Literis proditum est, montem Atho factum fuisse navibus, ac velis pervium. Athos est mons altissimus in Macedonia, à Xerxe Persarum Rege abscissus à continente, & circumnavigatus. Velificatus hìc est significationis passivæ.

Et quidquid &c. Credimus etiam omnia, quæ mendaces plerumque Græci in sua historia scribunt, v. gr. mare fuisse prorsus opertum navibus iisdem, quibus Athos velificatus fuerat. Tanta enim erat Persicarum navium multitudo, ut iis mare tegeretur, & insterneretur.

Suppositumque &c. Videlicet ponte facto è navibus. Dicitur Xerxes Asiam, & Europam junxisse, & per eum suos currus, equitatumque transvexisse. Quare tunc suppositum fuit mare rotis curruum, per pontem transeuntium.

Me-

Defecisse amnes, epotaque flumina Medo
Prandente, & madidis cantat quæ Sostratus alis.
Ille tamen qualis rediit Salamine relicta?
In Corum, atque Eurum solitus sævire flagellis
Barbarus, Æolio nunquam hoc in carcere passos?
Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigæum?
Mitius id sanè, quòd non & stigmate dignum
Credidit: huic quisquam vellet servire Deorum?
Sed qualis rediit? nempe una nave, cruentis
Fluctibus, ac tarda per densa cadavera prora:

Medo. Exercitu è Medis, & Persis, qui tantus erat, ut in prandio unico, totum aliquod flumen ebiberet, atque exhauriret; si tamen credere dignum est.

Madidis &c. Credimus ea portenta, quæ canit Poeta Sostratus, madidus, hoc est, bene potus, & ebrius: vel, furore poetico sic abreptus, ut præ nimia contentione toto corpore sudet. Dantur poetis vulgò alæ, & Apollinis cycni appellantur.

Ille tamen &c. Irridet Poeta Xerxem: Quomodo tamen, inquit, ille in Asiam rediit, postquam navali prælio à Themistocle victus est, propè Salaminem? Dicitur in scapha piscatoria coactus fuisse trāsmittere Hellespontum, ut in Asiam rediret.

Salamine. Insula est in mari Ægæo, è regione Atticæ.

In Corum &c. Ille, qui flagris ventos ceciderat. Xerxes enim jussit ventos, & mare ipsum flagris verberari, & mari catenas injici, iratus Neptuno, quia pons ab ipso compactus tempestate disjectus fuisset. Corus est ventus ab occidente spirans, Eurus ab oriente.

Æolio &c. Æolus, ventorum rex. Nunquam ille ventos (inquit Poeta) flagris cecidit.

Ennosigæum. Neptunum maris Deum. Vox Græca est, quæ significat, terram quatiens; estque Neptuni epithetum frequens apud poetas Græcos.

Mitius &c. Ironice. Clementer sanè cum Neptuno Xerxes egit, quod eum candenti ferro notari, & inuri non jusserit. Est enim stigma, nota inusta maximè in fronte, qua quis ad ignominiam afficitur.

Huic &c. Tam stulto, & tam vesano Principi quis Deorum vellet opitulari, & operam navare?

Nave. Scapha piscatoria.

Cruentis &c. Per cruentos sanguine Persarum fluctus.

Ac tarda &c. Per cadavera suorum cæsorum, & in undis fluitantium, tanta

mul-

Has toties optata exegit gloria pœnas.
Da ſpatium vitæ, multos da Jupiter annos:
Hoc recto vultu, ſolum hoc & pallidus optas:
Sed quàm continuis, & quantis longa ſenectus
Plena malis? deformem, & tetrum ante omnia vultum,
Diſſimilemque ſui, deformem pro cute pellem,
Pendenteſque genas, & tales aſpice rugas,
Quales, umbriferos ubi pandit Tabracha ſaltus,
In vetula ſcalpit jam mater ſimia bucca.
Plurima ſunt juvenum diſcrimina: pulchrior ille:
Hoc, atque ille alio; multùm hic robuſtior illo:
Una ſenum facies; cum voce trementia labra,
Et jam læve caput, madidique infantia naſi.
Frangendus miſero gingiva panis inermi:
Uſque adeò gravis uxori, gnatiſque, ſibique,
Ut captatori moveat faſtigia Coſſo.
Quid refert, magni ſedeat qua parte theatri,

multitudine, ut navigii curſum retardarent.

Recto &c. Palam, & clara voce, non clam, & demiſſo vultu.

Solum. Præ cæteris.

Pallidus. Anxius, & ſolicitus, timens, ne non obtineas, quod petis.

Diſſimilemque ſui. Ab eo, qui erat in juventute, diverſum.

Cute. Pelle delicata.

Quales &c. Ordo eſt: quales rugas ſcalpit ſimia ſenior in ſua vetula bucca, ubi Tabracha, &c. hoc eſt, in ſylvis, juxta Tabracham, urbem Africæ, ſimiarum plenis.

Jam mater. Annoſa ſimia, eòque horridior: ſimiæ enim vetulæ ſunt admodùm deformes.

Plurima &c. Juvenes alii alia re ſunt inter ſe diſſimiles: alii alia dote præſtant: ſenum omnium eadem eſt facies, iidem morbi, eadem incommoda.

Læve. Calvum, pilis carens.

Madidique &c. More infantium, ipſi humor perpetuò de naribus pendet.

Frangendus &c. Neceſse eſt miſerum ſenem, cui jam dentes omnes exciderint, ipſa gingiva edentula, & inermi panem ſuum frangere.

Ut captatori &c. Adeò ut nauſeam moveat vel iis ipſis, qui ejus hæreditatem captant: etſi ejuſmodi homines gravia omnia, & moleſta ſoleant æquo animo ferre. Coſſus nomen eſt alicujus hæredipetæ.

Quid refert &c. Nihil intereſt, an procul ab actoribus, & ſcena ſedeat, cùm ſpe-

Qui vix cornicines exaudiat, atque tubarum
Concentus? clamore opus est, ut sentiat auris,
Quem dicat venisse puer, quot nuntiet horas.
Præterea minimus gelido jam corpore sanguis
Febre calet sola; circumsilit agmine facto
Morborum omne genus, quorum si nomina quæras,
Quot Themison ægros autumno occiderit uno,
Percurram citiùs; quot villas possideat nunc,
Quo tondente gravis juveni mihi barba sonabat.
Ille humero, hic lumbis, hic coxa debilis; ambos
Perdidit ille oculos, & luscis invidet: hujus
Pallida labra cibum capiunt digitis alienis:
Ipse ad conspectum cœnæ diducere rictum
Suetus, hiat tantùm, ceu pullus hirundinis, ad quem
Ore volat pleno mater jejuna. Sed omni
Membrorum damno major dementia, quæ nec
Nomina servorum, nec vultum agnoscit amici.
Ut vigeant sensus animi; ducenda tamen sunt
Funera gnatorum; rogus aspiciendus amatæ

spectat ludos; siquidem vix turbas audiet; adeò surdus est.

Cornicines. Eos, qui inflant cornua, tubas &c.

Clamore &c. Oportet, ut clamet alta voce famulus, ut possit à sene audiri, cùm eum admonet, quota sit hora, quis eum convenerit, &c.

Minimus &c. Parum habet in corpore sanguinis, idque frigidum, & quod non incalescat, nisi cùm laborat febri senex.

Themison. Medicus imperitus.

Autumno. Tunc enim morbi frequentiores, & graviores esse solent.

Quo tondente &c. Cinnamus, vel Crispinus, olim tonsor, posteà Imperatoris libertus. Vide Sat 2.

Invidet. Habet, quod luscis invideat, qui uno tantùm oculo carent.

Hiat &c. Os aperit, dumtaxat, nihil aliud potest.

Jejuna. Quæ cibo abstinet, quem pullis importat.

Sed omni &c. Sed omnibus corporis incommodis longè gravius quiddam est in senibus, quòd mens eos, & ratio deficit; ita ut nec agnoscant, &c.

Ut vigeant &c. Fac tamen vigeant in aliquo sene sensus animi.

So-

Conjugis, & fratris, plenæque sororibus urnæ.
Hæc data pœna diu viventibus, ut renovata
Semper clade domûs, multis in luctibus, inque
Perpetuo mœrore, & nigra veste senescant.
Rex Pylius, magno si quicquam credis Homero,
Exemplum vitæ fuit à cornice secundæ:
Felix nimirum, qui tot per sæcula mortem
Distulit, atque suos jam dextra computat annos,
Quique novum toties mustum bibit: oro, parumper
Attendas, quantum de legibus ipse queratur
Fatorum, & nimio de stamine; cùm videt acris
Antilochi barbam ardentem; cùm quærit ab omni,
Quisquis adest, socio, cur hæc in tempora duret,
Quod facinus dignum tam longo admiserit ævo.

Sororibus. Sororum ossibus, & cineribus.

Nigra. Pulla, lugubri.

Rex Pylius. Nestor, qui regnabat in Pilo, urbe Peloponnesi.

Exemplum, &c. Fuit exemplum vitæ longissimæ post cornicis vitam. Cùm enim tres hominum ætates ab Homero vixisse dicatur, proximè accessit ad vitam cornicis, quæ novem vivere fertur ætates. Unam porrò ætatem quidam annis triginta definiunt, alii pluribus, quidam centenis totis.

Felix &c. Nempe illum putas felicem, qui tamdiu vixerit.

Jam dextra &c. Veteres utebantur manuum digitis, ad annos ætatis numerandos; & læva manu indicabant omnes numeros infra centenarium, digitis variè conformatis; dextr verò numeros supra centenarium. Itaque si dextera jam Nestor utebatur ad annos computandos, vixerat jam ampliùs centum annis.

Mustum. Tot nempè autumnis, quot annos vixerat.

Nimio de &c. De vita longiore, quam ipsi Parcæ largiantur. Parcæ hominum annos, dicuntur nere in colu; ut homo tamdiu vivat, donec filum ab iis præcidatur. Porrò stamen idem est in hoc loco, ut filum, quod è colu ducitur: alibi significat fila stabilia, & longiora, quibus dum tela texitur, alia transversa intertexuntur.

Cùm videt &c. Cùm videt filium suum Antilochum, jam barbatum, & adulta ætate, à Memnone pro Trojanis pugnante occisum; & rogo impositum, ardentemque.

Hæc eadem Peleus, raptum cùm luget Achillem;
Atque alius, cui fas Ithacum lugere natantem.
Incolumi Troja Priamus venisset ad umbras
Assaraci, magnis solemnibus, Hectore funus
Portante, ac reliquis fratrum cervicibus, inter
Iliadum lacrymas, ut primos edere planctus
Cassandra inciperet, scissaque Polyxena palla,
Si foret extinctus diverso tempore, quo jam
Cœperat audaces Paris ædificare carinas.
Longa dies igitur quid contulit? omnia vidit
Eversa, & flammis Asiam, ferròque cadentem.
Tunc miles tremulus posita tulit arma tiara,
Et ruit ante aram summi Jovis, ut vetulus bos,

Hæc eadem. Subaudi, quæritur.

Peleus. Pater Achillis, quem Paris in templo Apollinis sagitta interemit.

Alius. Laertes, Ulyssis pater.

Cui fas &c. Ideſt, qui nimis diu vixit; siquidem per senectutem licuit illi esse misero, & lugere filium suum natantem, hoc est, per maria decem jam annos jactatum, & errantem. Porrò Ulysſem Ithacum vocat, à Patria Ithaca, quæ Insula est in mari Jonio, prope Epirum, parva, & aspera.

Venisset &c. Ad sepulchra majorum, ad manes Assaraci apud Inferos descendisset, stante adhuc, & florente Troja.

Assaraci Fuit Assaracus Trois Trojanorum Regis filius, & Ili frater: Ilus vero pater Laomedontis, cujus filius Priamus fuit.

Magnis solemnibus, &c. Cum solemni, & magna pompa.

Hectore &c. Hectore, & reliquis suis filiis adhuc viventibus, qui patris funus, seu cadaver, ad rogum extulissent.

Iliadum. Trojanarum mulierum. Troja Ilium est vocata.

Ut primos &c. Adeò ut næniam funebrem inchoasset Cassandra, &c.

Cassandra, Polyxena. Priami filiæ fuerunt.

Diverso. Alio tempore, atque illo, quo periit; si priùs mortuus fuisset.

Audaces. Quibus Helenam raperet, ipse audax.

Longa dies. Longa vita.

Contulit. Juvit, profuit.

Asiam. Asiæ partem magnam, Phrygiam.

Tunc miles, &c. Scilicet Priamus ætate confectus, Troja jam capta, arma sumpsit. Vide Virg. 2. Æneid. versu 509.

Tiara. Diademate, pileo Regio.

Ruit &c. Occisus à Pyrrho, Achillis filio. Vide lib. 2. Æneid.

Ab

Qui domini cultris tenue, & miserabile collum
Præbet, ab ingrato jam fastiditus aratro.
Exitus ille utcumque hominis: sed torva canino
Latravit rictu, quæ post hunc vixerat, uxor.
Festino ad nostros, & Regem transeo Ponti,
Et Crœsum, quem vox justi facunda Solonis
Respicere ad longæ jussu spatia ultima vitæ.
Exilium, & carcer, Minturnarumque paludes,
Et mendicatus victa Carthagine panis,
Hinc causas habuere. Quid illo cive tulisset
Natura in terris, quid Roma beatius unquam;
Si circumducto captivorum agmine, & omni
Bellorum pompa, animam exhalasset opimam,
Cùm de Teutonico vellet descendere curru?

Ab ingrato &c. Abstractus ab aratro ab ingrato agricola, qui bovem, ob senium agro colendo inutilem, interficit, immemor ejus laborum.

Exitus, &c. Sensus est: mors Priami, etsi miserrima, hominis tamen mors fuit, non belluæ; ut Hecubæ mors. Ovid. 13. Metam. n. 15.

Uxor. Hecuba, Priami uxor, quæ in canem conversa dicitur, & canis instar latravit.

Nostros. Ad Romana exempla.

Regem Ponti. Mithridatem, qui post bella 40. annos contra Romanos gesta, tandem victus à Pompejo, sibi ipse mortem conscivit.

Crœsum. Lydiæ Regem, qui, cùm se beatum putaret, sapienter est monitus à Solone, uno è Græciæ sapientibus, neminem ante obitum felicem dicendum esse: jussusque ab eo est respicere ad mortem; quippe quæ de hominum felicitate certissimum judicium sola ferret.

Exilium, &c. Senectus causa fuit ærumnarum C. Marii, qui à Sylla superatus, è palude Minturnensi, ubi latuit, extractus, & in carcerem conjectus est; dein exul mendicavit in urbe à Romanis victa, nempe Carthagine.

Hinc &c. Ex vita longa: his omnibus causam senectus dedit.

Illo cive. Mario.

Si &c. Idest, si post triumphos suos obiisset.

Circumducto. Per urbis Romanæ vicos. Qui enim triumphabāt, captivos post currum vinctos trahebant.

Captivorum. Cimbrorum, & Teutonum, Vide Sat. 8.

Opimam. Lætam, triumphantem, & quasi opima spolia ferentem.

Teutonico. Quo, de Teutonibus triumphans, vehebatur. Teutones Germaniæ po-

Provida Pompejo dederat Campania febres
Optandas: sed multæ urbes, & publica vota
Vicerunt: igitur fortuna ipsius, & Urbis
Servatum victo caput abstulit. Hoc cruciatu
Lentulus, hac pœna caruit, ceciditque Cethegus
Integer, & jacuit Catilina cadavere toto.
Formam optat modico pueris, majore puellis
Murmure, cùm Veneris fanum videt anxia mater
Usque ad delicias votorum. Cur tamen, inquit,
Corripias? pulchra gaudet Latona Diana.
Sed vetat optari faciem Lucretia, qualem

populi, à Mario victi. Ipse ab Africa, in quam se receperat, Syllam fugiens, revocatus à Cinna, bellum civile moliente, Romam cum eo victor iniit, & cæde inimicorum, ac sanguine satiatus, crapula, & senio confectus paulò post obiit.

Provida &c. Factum esse Superum, ac Fortunæ nutu videbatur, ut Pompejus ante bella civilia febri in Cãpania laboraret: quasi prævidisset illa eum pòsteà crudeli morte periturũ. Campania, pars Italię, ubi Capua.

Optandas. Optandum enim erat, ut iis febribus confectus moreretur, adhuc florente fortuna.

Vicerunt. Idest, vitam Pompejo impetraverunt.

Fortuna. Adversa fortuna Pompeji, & Romæ, quæ in ejus morte libertatem perdidit.

Servatum. Morbis, & morti ereptum, Ptolemæi gladio reservavit, post Pharsalicam pugnam, ex qua fugit in Ægyptum, ubi cæsus est.

Hoc cruciatu, &c. Non enim ei caput abscissum; sed in carcere cum reliquis conjuratis strangulatus est.

Lentulus. Qui in patriam cum Catilina, & Cethego conjuraverat. Vide Sallustium de bello Catil.

Integer. Non abscisso capite, ut Pompejus.

Majore murmure. Voce clariori, majori studio, & contentione.

Cùm Veneris &c. Quæ Dea scilicet formæ præest.

Usque ad &c. Ita ut modum omnem vota excedant; ut nimia; & quasi delicata vota sint: quæ v.g. optat filio formam Apollineæ similem, &c.

Cur tamen &c. At (objiciet aliquis) cur hæc vota reprehendis? nonne Latona ipsa gratulatur sibi ob Dianæ filiæ pulchritudinem?

Sed vetat, &c. Monet optandam non esse insignem formam Lucretiæ, cùm ob eam perierit: illa enim à Sexto, Tarquinii superbi filio, per vim temerata, sibi mortem conscivit.

Ru-

Ipsa habuit; cuperet Rutilæ Virginia gibbum
Accipere, atque suam Rutilæ dare. Filius autem
Corporis egregii miseros, trepidosque parentes
Semper habet: rara est adeò concordia formæ,
Atque pudicitiæ! sanctos licèt horrida mores
Tradiderit domus, ac veteres imitata Sabinas:
Præterea castum ingenium, vultumque modesto
Sanguine ferventem tribuat natura benigna
Larga manu (quid enim puero cōferre potest plus,
Custode, & cura natura potentior omni?)
 Sed casto quid forma nocet? Quid profuit olim

Rutilæ &c. Deformis, & gibbosæ alicujus puellæ.

Virginia. Filia L. Virginii, quæ, ne in potestatem veniret Appii Claudii Decemviri, à patre fuit interfecta. Is enim, centurio, & vir probus, cùm ab Appio pudicitiam filiæ attentari cognovisset, Romam advolans è castris, eam ultro jugulavit, maluitque filiam nullam habere, quàm turpem. Liv. lib. 3. c. 44.

Suam. Faciem, & formam.

Trepidos. De castitate filii solicitos.

Sanctos licet, &c. Licèt puer severe domi fuerit educatus, sanctosque mores edoctus à parentibus severis, & castis, qui similes fuerint priscis illis Sabinis, pudicitia, & morum sanctitate celebratis.

Modesto &c. Idest facilè erubescentem: rubor enim (ut ajunt) est castitatis color. Fit autem rubor, cùm fervet sanguis in vultu, & genas tingit.

Quid enim, &c. Quid enim alicui puero ipsa natura ad tuendam probitatem efficaciùs conferre potest, quàm naturalem propensionem ad castitatem, & modestiam? natura, inquam, potentior omni custode, & parentum cura?

Sed &c. Objectio est. Atenim, inquies, quid nocet pulchritudo illi, qui castus esse omninò decreverit?

Quid &c. Respondet objectioni. Quid Hippolyto profuit firmum propositum servandæ castitatis? ob formam nihilominùs periit. Erat ille Thesei Regis Athenarum filius, qui cùm Phædræ novercæ suæ infando amori non responderet, apud patrem ab ea fuit accusatus, quasi nolentem provocasset. Hippolytus iratum patrem fugiens, ab equis, territis marino monstro, dejectus curru, & discerptus est. Bellerophon filius erat Glauci regis Corinthi: is cùm apud Prœtum regem Argivorum versaretur, ab Stenobæa ejus uxore solicitatus, & apud Prœtum itidem accusatus, ab eo gravissimis est periculis objectus.

Hippolyto grave propositum? quid Bellerophonti?
Erubuit nempe hæc, ceu fastidita repulsâ:
Nec Stenobæa minùs, quàm Cressa excanduit, & se
Concussere ambæ, Mulier sævissima tunc est,
Cùm stimulos odio pudor admovet. Elige quidnã
Suadendum esse putes, cui nubere Cæsaris uxor
Destinat? Optimus hic, & formosissimus idem
Gentis Patriciæ, rapitur miser extinguendus
Messalinæ oculis: dudum sedet illa parato
Flammeolo; Tyriusque palàm genialis in hortis

Hæc. Phædra nempe, repulsam ab Hippolyto passa, erubuit quasi ab eo contempta. Consule Ovid. lib. 15. Metam. numero, ut edidi, 11. Item Appendicis Ovidianæ cap. 16. De Bellerophonte meminit idem Ovid. Lib. 4. n. 12. lib. 6. n 8. Append. c. 14.

Cressa. Phædra Thesei uxor secunda, filia Minois Regis Cretæ. Cressa autem est vox à Græco facta, significans feminam Cretensem.

Se concussere. Se ad ultionem excitarunt. Ductum ab athletis, qui pectus, aut latera concutiunt, ad iram provocandam, & vires acuendas.

Pudor. Metus turpitudinis, & infamiæ.

Elige &c. Probat recentiori exemplo formam obesse vel castissimis. C. Silius adolescens probus, & formosus fuit sub Claudio Roman. Imperatore quinto. Is Consul designatus cùm fuisset, vocatus est à Messalina Imperatoris conjuge admodùm impudica, ut ei palàm, vivente viro, at absente, ipsa nuberet; ni faceret, jussus est ab eadem mori. Hoc igitur dicit Juvenalis: Age, quid putas faciendum Silio, cui nubere vult Messalina? quid illi dedisses consilii, si te consuluisset? en ille optimus Patriciæ familiæ suæ juvenis vocatur, & rapitur occidendus in oculis Messalinæ, si ejus nuptias respuat: at si eas admittat, non potest necem effugere, quam illi, re audita, Imperator irrogabit. En cui periculo forma juvenem objicit.

Gentis. Familię. Erant patricii, homines nobilissimi apud Romanos, orti ab centum primis Senatoribus, quos Romulus Patres appellavit, & eorum posteros, Patricios.

Sedet. Expectat Silium.

Flammeolo. Flammeum erat vestis nuptialis, coloris ignei, à quo etiam habebat nomen.

Genialis. Subaudi, lectus; nuptialis lectus purpureus. Is à Genio sic est appellatus,

Sternitur, & ritu decies centena dabuntur
Antiquo; veniat cum signatoribus auspex.
Hæc tu secreta, & paucis commissa putabas:
Non nisi legitimè vult nubere. Quid placeat, dic:
Ni parere velis, pereundum est ante lucernas:
Si scelus admittas, dabitur mora parvula, dum res
Nota Urbi, & populo contingat Principis aures.
Dedecus ille domûs sciet ultimus: intereà tu
Obsequere imperio, si tanti est vita dierum
Paucorum: quidquid levius, meliusque putaris,
Præbenda est gladio pulchra hæc, & candida cervix.

Nil ergo optabunt homines? Si consilium vis;
Permittes ipsis expendere Numinibus, quid
Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris.
Nam pro jucundis, aptissima quæque dabunt Dii?
Carior est illis homo, quàm sibi, Nos animorum
Impulsu, & cæca, magnaque cupidine ducti
Conjugium petimus, partumque uxoris: at illis
Notum, qui pueri, qualisque futura sit uxor.

tus, quia illi præesse Genius dicebatur, qui nativitatis puerorum curam habebat.

Ritu antiquo. Antiquò more dotem viro dabat uxor, eamque modicam.

Decies centena &c. Subaudi, sestertiorum millia; quę summa libras Francicas cōtinet centum millia nummos verò argenteos Italos, qui vulgò scutati appellantur, viginti duo millia, & quingentos. Hæc summa pecuniæ legibus erat constituta pro dote ordinaria

Signatoribus. Cum testibus, & scribis publicis, qui obsignent tabulas, & contractum matrimonii.

Auspex. Sacerdos, qui, captatis ritè auspiciis, cœremonias matrimonii peragat.

Legitimè. Ironia: palàm, quasi legitimum celebraret matrimonium adultera, & impudens fœmina. Vide Suet. c. 26. & 27.

Dic. O Sili, elige.

Lucernas. Vesperam, cùm lucernæ accenduntur.

Ultimus Erat enim homo vecors, & stolidus. Lege Cornel. Tac. Lib. 11. Ann.

Quidquid. Utrumlibet eligas, moriendum tibi erit.

Permittes &c. Relinques hoc Deorum arbitrio, ut expendant ipsi: quid tibi futurum sit utilius.

Pro jucundis &c. Quæ unà ferè petimus.

Aptissima. Utilissima.

Animorum. Idest, affectuum, cupiditatum.

Ut tamen & poscas aliquid, voveasque sacellis
Exta, & candiduli divina tomacula porci:
Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano:
Fortem posce animum, & mortis terrore carentem;
Qui spatium vitæ extremum inter munera ponat
Naturæ, qui ferre queat quoscumque labores;
Nesciat irasci, cupiat nihil: & potiores
Herculis ærumnas credat, sævosque labores
Et venere, & cœnis, & plumis Sardanapali.
Monstro, quod ipse tibi possis dare: semita certè
Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ.
Nullum numen habes, si sit prudentia: nos te,
Nos facimus, Fortuna, Deam; Cœloque locamus

Voveasque &c. Et in templis Deorum, victimæ alicujus viscera ipsis immoles.

Tomacula. Farcimina è jecore, & carnibus porcinis concisis, qualia Diis offerri solebant.

Mortis terrore carentem &c. Qui mortem non timeat.

Qui spatium &c. Qui vitam longam putet unum esse ex naturæ muneribus levissimum, & extremo loco ponendum. Vel, qui extremum vitæ spatium, hoc est, mortem, inter naturæ dona recenseat: qui optandam mortem esse putet.

Et potiores &c. Sensus est: qui virtutem, etiam cum labore conjunctam, voluptatibus omnibus anteponat.

Sardanapali. Ultimi Assyriorum Regis, viri mollissimi, qui lectulis è pluma fartis utebatur, atque omni voluptatum generi indulgebat.

Monstro. Docebo te, quod efficere per te ipse possis, ut sis beatus; virtutem cole: in qua sola est ad veram felicitatem via.

Habes. O Fortuna, nullum habes numen, nullam potestatem in nos, si prudentiam sequimur, & virtutem.

Nos facimus &c. Nostro vitio fit, ut locum Fortuna inter Deos habeat: si enim essemus virtute, si prudentia præditi, nobis fortuna non esset opus, eam non invocaremus, ut Deam, ab ea nullo modo penderemus.

SATYRA XI.

Invitat Persicum, & amicum suum, ad frugalem cœnam, & occasione data helluones insectatur.

ATticus eximiè si cœnat, lautus habetur;
Si Rutilus, demens: quid enim majore cachinno
Excipitur vulgi, quàm pauper Apicius? omnis
Convictus, thermæ, stationes, omne theatrum
De Rutilo; nam, dum valida, ac juvenilia membra
Sufficiunt galeæ, dumque ardens sanguine, fertur
Non cogente quidem, sed nec prohibente Tribuno,
Scripturus leges, & regia verba lanistæ,

Atticus. Dives aliquis.

Lautus &c. Honestè, ac splendidè sumptum facere dicitur.

Rutilus. Nobilis adolescens, qui bona luxu, & gula perdiderat.

Quid enim &c. Quid enim est magis ridiculum, quàm pauper, qui Apicius esse velit; quàm si quis pauper lautè, & delicatè velit vivere, instar famosi illius ob gulam Apicii, de quo Sat. 4. ? Dicitur impendisse in profusas epulas sexagies centena aureorum millia.

Omnis &c. Omnes in conviviis, in balneis, in foro, & theatro, loquuntur de Rutilo, & eum irrident. De Thermis dictum Sat. 7 & 8.

Stationes. Erant loca in foro, in quibus solebant cives consistere, & miscere sermones.

Nam, dum &c. Dum satis habet virium ad galeam ferendam: donec adhuc membra juvenili calore ardent; fertur, pergit in ludum gladiatorium, ut excipiat ibi, exscribatq; precepta artis, quæ traduntur à lanista; (sic vocabantur gladiatorum magistri) & quæstum aliquem ex arte gladiatoria faciat, redactus ad egestatem. Gladiatores pretio conducebantur ad spectacula, ad exequias, &c. Hinc meritò ridetur, qui ad artem adeò vilem cogatur descendere.

Tribuno. Debuisset tribunus plebis impedire, ne civis, ne vir nobilis gladiatoriam artem tractaret, quæ vulgò mancipiorum erat.

Regia verba. Verba, quibus lanistæ suis discipulis

 im-

Multos porrò vides, quod sæpe elusus ad ipsum
Creditor introitum solet expectare macelli:
Et quibus in solo vivendi causa palato est.
Egregiùs cænat, meliùsque miserrimus horum,
Et citò casurus jam perlucente ruina.
Intereà gustus elementa per omnia quærunt,
Nunquam animo pretiis obstantibus: interiùs si
Attendas, magis illa juvant, quæ pluris emuntur.
Ergo haud difficile est perituram arcessere summam,
Lancibus oppositis, & matris imagine fracta,
Et quadringentis nummis condire gulosum
Fictile; sic veniunt ad Miscellanea ludj.

imperant: Attolle, declina &c.

Elusus. Deceptus: sententia est; multos reperire est, qui quamvis ære alieno sint obruti, tamen genium curant, ita ut eorum domibus exclusi creditores, & elusi, non alibi eos certiùs, quàm in macello reperiant, ac deprehendant.

Expectare Ut in jus trahat, pecuniamque repetat.

Quibus &c. Quos dicas, ideò tantùm vivere, ut edant, & bibant.

Egregiùs. Adverbium comparationis est, magis egregiè.

Miserrimus. Pauperrimus: & sensus est; quò sunt egentiores, eò delicatioribus utuntur cibis.

Et citò &c. Brevi ad extremam egestatem redigendus.

Perlucente. Metaphora ducitur ab hiante, & rimoso muro; ea enim vox significat rimas muri jam ita patentes esse, ut murus quasi perluceat, idest, trans rimas prospectus pateat.

Gustus. Cibos exquisiti saporis: gulæ irritamenta.

Nunquam &c. Nunquam deterriti ab emendo, pretii magnitudine.

Interiùs &c. Si rei veritatem velis propiùs attendere.

Juvant. Placent.

Arcessere. Conficere: sensusque est; illi gulosi facilè inveniunt pecuniam, quæ ab iis malè perdenda, & insumenda est nempe patinas, & statuas majorū vendunt.

Oppositis. Pignori datis.

Et quadringentis &c. Sensus est: & in vase fictili præparare exquisitiores cibos, qui constent sestertiis 400. Quanta hæc summa sit, explicatum est Sat. I.

Sic veniunt &c. Ita consumptis per gulam opibus, eò deveniunt, ut cogantur fieri ludii, idest, histriones, & in ludis Miscellaneis personam agere. Ponitur hic, *ludj*, per contractionem pro, *ludii*.

Miscellanea. Ludi erant, qui

Refert ergo, quis hac eadem paret; in Rutilo nam
Luxuria est, in Ventidio laudabile nomen
Sumit, & à sensu famam trahit. Illum ego jure
Despiciam, qui scit, quantò sublimior Atlas
Omnibus in Libya sit montibus: hic tamen idem
Ignoret, quantùm ferrata distet ab arca
Sacculus. E Cœlo descendit, γνῶθι σεαυτόν.
Figendum, & memori tractandum pectore, sive
Conjugium quæras, vel sacri in parte Senatus.
Esse velis: nec enim loricam poscit Achillis
Thersites, in qua se traducebat Ulysses.
Ancipitem, seu tu magno discrimine causam
Protegere affectas; te consule, dic tibi quis sis,
Orator vehemens, an Curtius, an Matho. Buccæ
Noscenda est mensura tuæ, spectandaque rebus
In summis, minimisque: etiam cùm piscis emetur,

qui & Miscelli vocabantur, sic dicti à rerum, quæ in iis exhibebantur, varietate. Erant etiam cibi viles variis è dapibus mixti, quibus gladiatores vescebantur.

Refert, &c. Videndum, quis sumptum faciat, ut indulgeat gulæ: an dives, ut Ventidius; an pauper, ut Rutilius.

A censu, &c. Idest, laudatur, quia fit à divite.

Qui scit, &c. Qui multa curiosa, & inutilia novit; ignorat autem, quàm distet parva sua crumena, hoc est, modicæ opes, à magnis divitum opibus, quæ in arca ferrea servantur.

Atlas. Mons Mauritaniæ editissimus.

Descendit, &c. Divina illa sententia, *Nosce te ipsum*, fertur è Cęlo descendisse; hæc revocanda sæpe in memoriam, &c. Hanc sententiam tribuit Cicero Apollini Lib. 1. Tusc 9. Alii Thaleti, uni è septem Græciæ sapientibus.

In parte, &c. Senator esse.

Nec enim, &c. Thersites, homo inter Græcos vilissimus, cùm se ipsum nosceret, ac suæ ignaviæ esset conscius, non petiit Achyllis arma; in quibus ipse Ulysses, qui ea obtinuit, se ridendum præbebat, cùm illis ferendis ne ipse quidem par esset. Ovid. 13. Metam.

Ancipitem, &c. Si defendere dubiam causam in foro cupis.

Te consule. Tuas perpende vires; an sis orator eloquens, an quales fuere Curtius, & Matho, viles causidici.

Bucca, &c. Oris: eloquentiæ tuæ, ingenii captus.

Ne mullum cupias, cùm sit tibi gobio tantùm
In loculis: quis enim te, deficiente crumena,
Et crescente gula, manet exitus? ære paterno,
Ac rebus mersis in ventrem, fœnoris, atque
Argenti gravis, & pecorum, agrorumq; capacem?
Talibus à dominis post cuncta novissimus exit
Annulus, & digito mendicat Pollio nudo.
Non præmaturi cineres, nec funus acerbum,
Luxuriæ, sed morte magis metuenda senectus.
Hi plerumque gradus, conducta pecunia, Romę,
Et coram dominis consumitur: inde ubi paulùm
Nescio quid superest, & pallet fœnoris auctor,
Qui vertere solum, Bajas, & ad Ostia currunt.
Cedere namque foro jam non tibi deterius, quàm

Mullum. Magnum, & pretii majoris piscem.

Gobio. Idest, pecunia, qua possis emere gobionem, vilem pisciculum.

Ære, &c. Cùm opes paternas consumpseris, serviendo gulæ, & ventri.

Feonoris, &c. In ventrem satis amplum ad capiendum fœnus, argentum, agros, pecora. Per ventrem, gulam intelligit, quæ hæc omnia devorat, absorbetque.

Gravis. Non signati, puri.

Talibus, &c. Ejusmodi helluones, post alia omnia consumpta, ad extremum coguntur vendere ipsum annulum, insigne Equestris dignitatis.

Non præmaturi, &c Libidinosis, & gulosis non mors præmatura, sed senectus, morbis, & egestate oppressa, timenda est.

Hi plerumque, &c Hi sunt vulgò gradus, per quos helluones deveniunt ad extremam egestatem.

Conducta. Mutuò sumpta.

Dominis. Creditoribus, qui pecuniæ datæ domini sunt.

Et pallet, &c. Et timet, fęneratur, ne creditum perdat.

Qui, &c. Patriam deserunt, & postea currunt, &c.

Bajas. Urbem maritimam Campaniæ, propè Neapolim.

Ostia. Urbem, & portum ad ostia Tiberis, sexdecim à Roma milliaribus distantem.

Currunt. Ut hinc, si premantur à creditoribus, navi possint aufugere.

Cedere, &c. Urbem enim deserere non videtur aliquid turpius, quàm si tantùm à Suburra, vico Urbis frequentissimo, in alium minùs celebratum, puta in collem Esquilinum, migraret.

Foro. Circa forum tabernas

Esquilias à ferventi migrare Suburra.
Ille dolor solus patriam fugientibus, illa
Mœstitia est, caruisse anno Circensibus uno:
Sanguinis in facie non hæret gutta; morantur
Pauci ridiculum, & fugientem ex Urbe pudorem.
Experiere hodie, numquid pulcherrima dictu,
Persice, non præstem vita, nec moribus, & re;
Sed laudem siliquas occultus ganeo; pultes
Coram aliis dictem puero, sed in aure placentas?
Nam cùm sis conviva mihi promissus, habebis
Evandrum, venies Tirynthius, aut minor illo
Hospes, & ipse tamen contingens sanguine Cœlũ;
Alter aquis, alter flammis ad sidera missus.

nas habebant suas, & mensas argentarii, quibuscum nihil erat, quod agerent, qui fidem, & opes amiserant. Itaque foro cedere dicebantur.

Esquilias. Unum e septem Romæ montibus, atque adeò frigidiore utentem cęlo. Suburra in humili posita loco, erat calidior. Sat. 3.

ircensibus. De his ludis sæpe meminit. Vide Sat 3. &c.

Sanguinis, &c. Non erubescunt ullo modo, quòd decoxerint, quòd patriam deseruerint.

Morantur, &c. Pauci retinere curant pudorem, jam ex Urbe fugientem, id est, qui jam in Urbe ferè nullus est: Paucos pudet fraudare creditorem.

Experiere. Cognosces hodie è cœna, ad quam te invitavi, ò Persice, an frugalitatem, quam adeò laudo, ipse reverà colam, an moribus non præstem, quod verbis profiteor.

Siliquas. Viles cibos. Siliquæ propriè sunt legumina, sive olerum tunicæ.

Occultus ganeo. Idest: dum clam domi gulosus utor lautis cibis, & genium curo.

Pultes, &c. Sensus est: an is sim, qui coram aliis servo imperem, ut viles cibos paret, ac demissa voce jubeam, ut lautiores apponat.

Nam cùm, &c. Sensus est: cùm enim promiseris te domi meæ cęnaturum, tam frugali convivio excipieris à me, quàm olim ab Evandro Hercules, & postea Æneas excepti sunt: de quo vide Virg. lib. 8. Æneid.

Tirynthius. Hercules, sic dictus à Tirynthe, oppido Græciæ, ubi educatus.

Minor. Æneas minor Hercule.

Contingens. Deorum consanguineus. Ex Venere natus scilicet.

Alter aquis, &c. Æneas, Numicio fluvio submersus, & sic in Cęlum translatus.

Alter flammis, &c. Hercules, qui venenatam tu-

Fercula nunc audi nullis ornata macellis.
De Tiburtino veniet pinguissimus agro
Hædulus, & toto grege mollior, inscius herbæ,
Necdum ausus virgas humilis mordere salicti,
Qui plus lactis habet, quàm sanguinis, & montani
Asparagi, posito quos legit villica fuso
Grandia præterea, tortoque calentia fœno
Ova adsunt ipsis cum matribus, & servatæ
Parte anni, quales fuerant in vitibus uvæ.
Signinum, Syriumque pyrum de corbibus iisdem
Æmula Picenis, & odoris mala recentis;
Nec metuenda tibi, siccatum frigore postquam
Autumnum, & crudi posuere pericula succi.
Hæc olim nostri jam luxuriosa Senatus
Cœna fuit. Curius, parvo quæ legerat horto,
Ipse focis brevibus ponebat oluscula, quæ nunc
Squallidus in magna fastidit compede fossor.

nicam à Dejanira sibi missam cùm induisset, furore correptus, pyram in Oeta monte extructam conscendit, & flammis absumptus est, relatusque inter Deos. Ovid. lib. 9. Metam.

Nullis, &c. Non comparata in macello, & præparata.

Tiburtino. Tibur, oppidum Latii, in Romæ conspectu.

Inscius. Qui nondum herbis vesci cepit, nondum à lacte depulsus.

Salicti. Salictum, locus est salicibus consitus.

Posito fuso. Deposito colo.

Tortoque, &c. Idest, recentia ova, & adhuc à nido, qui e fœno torto conflatus est, calentia.

Matribus. Gallinis.

Signinum. A Signia, Latii oppido.

Syrium. Aut in Syria, parte Asiæ, natum; aut ex arboribus, olim advectis è Syria, collectum.

Æmula, &c. Quæ nihil cedunt malis, seu pomis, in Piceno agro natis. Picenum est pars Italiæ, ubi Ancona: ibi mala optima sunt.

Et odoris, &c. Quæ eumdem habent odorem, ac si essent recentia.

Siccatum, &c. Quæ crudum, & noxium, quem autummo habuerant, humorem decoxerunt hyberno frigore, & siccarunt.

Jam luxuriosa. Cùm jam Senatores essent lautiores, & ab antiqua parsimonia deficerent.

Curius. Curius Dentatus, frugalitate sua celebris. Sat. 2.

In magna, &c. Quæ olera fastidiunt etiam servi; qui,

Sicci terga suis, rara pendentia crate,
Moris erat quondam festis servare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente nova, si quam dabat hostia, carne.
Cognatorum aliquis, titulo ter Consulis, atque
Castrorum imperiis, & Dictatoris honore
Functus, ad has epulas solitò maturiùs ibat,
Erectum domito referens à monte ligonem.
Cùm tremerent autem Fabios, durumq; Catonem,
Et Scauros, & Fabricios, rigidique severos
Censoris mores etiam collega timeret:
Nemo inter curas, & seria duxit habendum,
Qualis in Oceani fluctu testudo nataret,
Clarum Trojugenis factura, ac nobile fulcrum:
Sed nudo latere, & parvis frons ærea lectis,

qui, catenis vincti, terram in agris fodiunt.

Sicci, &c. In crate lignea fumo, & vento exsiccati. Rara crates dicitur, quia constat è viminibus laxis, & à se invicem disjunctis.

Natalitium. Sepositum ad natalem diem celebrandum, quo die lautiùs vescebantur.

Accedente, &c. Addita carne recenti victimæ alicujus, si quàm fortè mactarent.

Titulo ter Consulis. Ter adeptus Consulatum.

Solitò maturiùs. Tanquam ad epulas lautiores.

Erectum. Humeris sublatum.

Domito. Culto, subacto, arato.

Cùm tremerent. Sensus est porrò, quamdiù Romani Fabios, Scauros, severum illum Catonem Censorium, aliosque id genus Censores rigidos, & luxui infestos formidarunt, nemo illorum de ornanda mensa, aut lectulo cogitavit.

Censoris. Censores erant duo: Magistratum gerebant quinquennium, & emendandis civium moribus maximè vacabant.

Collega timeret. Fuere enim Censores, ab ipsis collegis graviter interdum notati, & reprehensi, ut Decius à Fabio, Salinator à Nerone, &c. consule Valer. Max. Lib. II. cap. 9.

Trojugenis. Nobilibus Romanis, qui e Trojanis oriundi.

Factura, &c. Idest, ad ornandum lignum, quo sustinebatur lectulus, in quo mensæ accumbebant. Tempore enim Juvenalis, testæ, seu putamina testudinum, secabantur in laminas, quibus mensas, & lectos ornare moris erat.

Nudo latere. Lecti sponda inornata, & inculta.

Frons.

Vile coronati caput ostendebat aselli,
Ad quod lascivi ludebant ruris alumni.
Tales ergo cibi, qualis domus, atque supellex.
Tunc rudis, & Grajas mirari nescius artes,
Urbibus eversis, prædarum in parte reperta
Magnorum artificum frangebat pocula miles;
Ut phaleris gauderet equus; cœlataque cassis
Romuleæ simulachra feræ mansuescere jussæ
Imperii fato, & geminos sub rupe Quirinos,
Ac nudam effigiem clypeo fulgentis, & hasta,
Pendentisque Dei, perituro ostenderet hosti:
Argenti quod erat, solis fulgebat in armis.
Ponebant igitur Thusco farrata catino
Omnia tunc, quibus invideas, si lividulus sis.
Templorum quoque majestas præsentior; & vox
Nocte ferè media, mediamque audita per Urbem,

Frons. Anterior lecti pars ære ornata sustinebat caput asini, sertis coronati, circa quod rustici luderent.

Tunc rudis, &c. Miles Romanus tunc rudis, & Græcorum artificum præclara opera, statuas, vasa, contemnens.

Urbibus, &c. Frangebat argentea, sive aurea vasa, facta olim ab egregiis artificibus, & in spoliis urbium eversarum reperta.

Ut phaleris, &c. Ut inde phaleras (equorum sunt ornamenta) equo suo conficeret.

Cælataque. &c. Sensus est: ut cælaret in casside simulachra ostendenda perituro hosti; nempe effigiem lupę, quæ Romani Imperii fato jussa est mansuescere, & lac præbere Romulo, & Remo, sub rupe Quirinalis montis; item ipsos geminos, Remum & Romulum; necnon effigiem nudam patris ipsorum Martis, fulgentis clypeo, atque hasta, & pendentis, seu extantis è galea, hostiq; veluti imminentis.

Quirinos. Sic vocat Remum, & Romulum, quamvis Romulus tantùm diceretur propriè Quirinus, ab hasta, quam Sabini Quirim appellabant, qua solebat armatus incedere.

Ponebant, &c. Ergo vilia tunc, & è farre confecta cibaria ponebant in catino Thusco, idest, fictili, quia in Etruria vulgò fiebant ejusmodi vasa fictilia.

Omnia tunc, &c. Quę tunc omnia erant ipsorum fercula, vel etiam vasa; sed quibus tamen ita contenti, erant, & beati, ut illis meritò invideas, si qua tangi potes invidia.

Et vox, &c. Narrat Livius à Romano quodam vigilie, vocem humana clariorem au-

Littore ab Oceani Gallis venientibus, & Diis
Officium vatis peragentibus: his monuit nos,
Hanc rebus Latiis curam præstare solebat
Fictilis, & nullo violatus Jupiter auro.
Illa dominatas, nostraque ex arbore mensas
Tempora viderunt: hos lignum stabat in usus,
Annosam si fortè nucem dejecerat Eurus:
At nunc divitibus cœnandi nulla voluptas,
Nil rhombus, nil dama sapit, putere videntur
Unguenta, atque rosæ, latos nisi sustinet orbes
Grande ebur, & magno sublimis pardus hiatu,
Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes,
Et Mauri celeres, & Mauro obscurior Indus;

auditam in Capitolio, quę Gallos adventare admoneret.

Littore, &c. Gallia enim alluitur Oceano occidentali.

Gallis, &c. Qui Romam incenderunt, Vide sub finem Sat. 8.

Et Diis, &c. Diis ipsis vaticinantibus.

His monuit. His vocibus Romanos monuit de periculo.

Hanc. &c. Sic Romanam rem curabat Jupiter.

Fictilis. Jupiter fictilem habens statuam, & simpliciter cultus.

Et nullo, &c. Nondum ullam Jupiter habens ex auro statuam; quo illum violatum dicit, id est, corruptum, inquinatum, seu offensum, quòd scilicet illi displiceant ejusmodi statuæ, quia sunt indicia luxus, &c.

Domi, &c, Factas è fago, nuce, aut alia domestica arbore, quam ventus fortè dejecisset, evertissetque; non è citro, cedro, aliisque ejusmodi pretiosis lignis, quæ ex Africa, Asiave asferuntur in Italiam ad mensas conficiendas.

Rhombus. Piscis exquisitus, & magni pretii.

Unguenta. Quibus delibuti accumbebant.

Rosæ. Serta ex rosis, quibus coronari solebant convivæ.

Orbes. Mensas rotundas.

Ebur. Pes eburneus.

Et magno, &c. Effigies pari ore aperto hiantis, qui instar pedis mensam sustinet, facta ex dentibus elephantis, quos mittit Africa.

Quos, &c. Qui ab insula Elephantide, per urbem Africæ Syenen, tanquam per portam, mittuntur Romam. Ea ratione in Sat. 3. vocat Cumas januam Bajarum, quia per Cumas iter est Bajas. Syene est urbs Ægypti, limite Æthiopiæ. Propè illam est insula Elephantina, sive Elephantis, intra ipsum Nilum.

Celeres. Agiles, veloces.

Obscurior. Nigrior.

Et quos deposuit Nabathæo bellua saltu,
Jam nimios, capitique graves: hinc surgit orexis,
Hinc stoma ho vires: nam pes argenteus illis,
Annulus in digito, quòd ferreus. Ergo superbum
Convivam caveo, qui me sibi comparat, & res
Despicit exiguas: adeò nulla uncia nobis
Est eboris; nec tessellæ, nec calculus ex hac
Materia: quia ipsa manubria cultellorum
Ossea; non tamen his ulla unquam obsonia fiunt
Rancidula: haud ideò pejor gallina secatur.
Sed nec structor erit, cui cedere debeat omnis
Pergula, discipulus Tripheri doctoris, apud quem

Nabathæo saltu. Idest, in sylvis Arabiæ: Arabia enim dicta est quoque Nabathæa.

Bellua. Elephas, qui dentes jam nimios, & capiti graves, arbori incussos deponit.

Hinc surgit, &c. Ironicè: scilicet ex hac lautitia supellectilis, ex ebore illo, oritur edendi appetitus: hinc vires adduntur stomacho, ut cibos faciliùs digerat.

Nam pes, &c. Sensus est: tam spernunt Romani mensam non eburneo pede, sed argenteo fultam, quàm annulum è ferro, non ex auro constantem.

Qui me, &c. Qui tenuem, & frugalem mensam meam cum suis opibus, & deliciis comparans, eam despicit.

Tessellæ. Per tessellas intelligit vel talos ipsos, & tesseras, quibus luditur, vel abaci, & alveoli lusorii arcam, sectis ex ebore, ebano, aut alia materia particulis, in quadrum plerumque descriptis, stratam.

Calculus. Latrunculi, scrupi lusorii.

Non tamen, &c. Non ideò fiunt mei cibi rancidi, & insulsi; non sunt deteriores gallinæ, quia secantur cultellis, quorum sunt ex osse manubria.

Structor. Qui mensæ dapes secat, struit, & componit suo loco, & ordine.

Cui cedere, &c. Qui sit peritissimus illorum omnium, qui artem obsonia peritè secandi discunt.

Pergula. Propriè est ambulacrum quoddam in viæ ipsis ædificiis conjunctum, ubi magistri solebant discipulos erudire: quare hic pro schola Structorum sumitur.

Tripheri. Qui artem ciborum dissecandorum docuit Romæ in vico Suburræ.

Apud quem, &c. Ordo est: apud quem lautissima cœna, sed ulmea, idest, constans è volucrum, & animalium, apri, leporis, &c. simulacris ulmeis, è ligno, seu vimine ulmeo factis, obtuso cultello

Sumine cum magno lepus, atque aper, & pygargus,
Et Scythicæ volucres, & phœnicopterus ingens,
Et Getulus oryx, hebeti lautissima ferro.
Cæditur, & tota sonat ulmea cæna Suburra;
Nec frustum capreæ subducere, nec latus Afræ
Novit avis noster tirunculus, ac rudis omni
Tempore, & exiguæ frustis imbutus ofellæ.
Plebejos calices, & paucis assibus emptos,
Porriget incultus puer, atque a frigore tutus:
Non Phryx, aut Lycius, non à mangone petitus
Quisquam erit, & magno: cùm posces, posce Latinè.
Idem habitus cunctis; tonsi, rectique capilli,
Atque hodie tantùm propter convivia pexi.
Pastoris duri est hic filius, ille bubulci,

lo secatur in vico Suburra, non sine strepitu. Faciebant autem periculum in cibis ulmeis secandis, & ea discebant, quæ in veris cibis secandis postea observarent.

Sumine. Sumen, est venter suillus, qui tunc in deliciis erat.

Pygargus. Caprea sylvestris; aut avis ex aquilarum genere, caudam habens albicantem; unde & nomen accepit.

Schyticæ volucres, Phasiani; sic dicti, à Phasi fluvio Colchidis, unde primùm in Europam aves illæ asportatæ sunt. Scythicas vocat, quia Colchis est Scythiæ vicina.

Phœnicopterus. Avis à puniceo alarum colore habens nomen: cujus lingua potissimùm in deliciis erat.

Oryx. Animal è caprearum genere, frequens in Africa.

Subducere. Peritè secare.

Afræ avis. Gallinæ Numidicæ. Numidia pars Africæ.

Noster, &c. Servus meus, qui in arte ciborũ secandorum planè rudis est, ac tiro.

Et frustis, &c. Qui frusta carnis porcinæ tantùm secare novit, & iis concidendis tantùm se exercuit. Offa est massa levior carnis, maximè porcinæ, vel panis, vel etiam pultis.

Tutus. Vestibus potiùs contra vim frigoris munitus, quàm ornatus ad elegantiam,

Non Phryx, &c, Non elegans aliquod è Phrygia, aut Lycia mancipium.

Non à mangone, &c. Non à venditore servorum magno pretio emptus.

Latinè. Italus enim est, non Asiaticus aliquis: Latinè tantùm scit.

Cunctis. Meis servis, &

Suspirat longo non visam tempore matrem,
Et casulam, & notos tristis desiderat hædos:
Ingenui vultus puer, ingenuique pudoris,
Quales esse decet, quos ardens purpura vestit.
Hic tibi vina dabit, diffusa in montibus illis,
A quibus ipse venit, quorum sub vertice lusit:
Namque una, atque eadem vini patria, atque ministri.
Forsitan expectes, ut Gaditana canoro
Incipiat cantare choro, plausuque probetur:
Non capit has nugas humilis domus; audiat ille
Testarum crepitus cum cantibus, ille fruatur
Vocibus obscænis, omnique libidinis arte,
Qui Lacedæmonium pytismate lubricat orbem.
Namque ibi fortunæ veniam damus: alea turpis,
Turpe & adulterium mediocribus: hæc eadem illi
Omnia cùm faciunt, hilares, nitidique vocantur.

& ministris.

Recti. Non calamistrati, non cincinnati.

Suspirat. Dolet, quòd à matre tandiù absit.

Quos, &c, Idest, pueros liberaliter institutos, & qui prætextam, idest, vestem limbo purpureo insignitam gerunt: gerebant autem usque ad annum circiter 16.

Ardens. Ignei coloris.

Diffusa. Nata, & expressa, vel, in cados, & amphoras fusa.

Gaditana. Saltatrix aliqua & Psaltria, quales multæ Romam è Gadibus, insula propè Hispaniam in angusto freto sita, veniebant.

Canoro choro. In cantantium cętu.

Humilis. Pauper.

Testarum. Hic intelliguntur crepitacula in morem testarum excavata, quibus per certas vices manu compressis edebant canorum strepitum, ut hodie fit.

Qui, &c. Dives, qui abacum, vel pavimentum, aut etiam rotundam pelvim Lacedæmonio marmore factam, rejecto vino conspuens lubricat, idest, aspergit, & levigat, qualia sunt marmora humida. Lacedæmon, sive Sparta, civitas Peloponnesi, in Græcia.

Pytismate. Græca vox, significans sputum, sive quod ore eiicitur, ut vinum probandi gratia, vel oris abluendi causa haustum, & statim rejectum.

Ibi. In divitum peccatis excusamus illorum opes, & fortunam; ignoscimus divitibus, cum peccant.

Mediocribus. Plebeiis hominibus & tenuibus.

Nitidi. Lauti, magnifici.

Conditor Iliados cantabitur, atque Maronis
Altisoni dubiam facientia carmina palmam:
Quid refert, tales versus qua voce legantur?
Sed nunc dilatis averte negotia curis,
Et gratam requiem dona tibi; quando licebit
Per totam cessare diem: non fœnoris ulla
Mentio, nec prima si luce egressa, reverti
Nocte solet, tacito bilem tibi contrahat uxor.
Protinus ante meum, quidquid dolet, exue limen;
Pone domum, & servos, & quidquid frangitur illis,
Aut perit; ingratus ante omnia pone sodales.
Intereà Megalesiacæ spectacula mappæ

Conditor, &c. Recitabuntur tibi carmina Homeri, qui Iliadem scripsit.

Dubiam, &c. Quæ tam egregia sunt, ut meritò legentibus dubitationem injiciant, uter præstantior Poeta sit, Homerus, an Virgilius.

Quid refert, &c. Idest: nihil necesse est eleganti, & concinna voce tales versus legere, qui satis placent per se se.

Dilatis. Rejectis in aliud tempus.

Cessare, Quiescere, genio indulgere.

Nec prima, &c. Nec ad iram uxor te provocet; quòd tardiùs domum redeat, quæ prima luce fuerat egressa.

Quidquid, &c. Quidquid te anxium, & solicitum habet.

Pone domum, &c. Omitte domesticas curas, & quidquid à servis aut amittitur, aut frangitur.

Ingratos, &c. Ac presertim depone memoriam, obliviscere ingratorum amicorum.

Intereà, &c. Sensus est: dum nos epulabimur, alii ludos spectabunt.

Megalesiacæ. Ludorum Circensium, institutorum in honorem Cybeles, magnæ matris Deorum, ex Ida Romam olim advectæ.

Spectacula &c. Ordo est: spectacula, & ludi, indicti, ac denunciati populo per mappam ex aliquo loco edito suspensam, celebrant festum Idæum: hoc est, festum Idææ matris, seu Cybeles, celebratur spectaculis, & ludis Circensibus.

Mappa. Suspensa mappa signum erat ludorum Circensium celebrandorum. Iste verò mos inde ortus est, quòd aliquando cùm plebs in Circo sedens ederet strepitum, ac Neronem, qui tum prandebat, rogaret, ut quamprimùm ludos juberet inchoari, ille, mappa projecta per fenestram, juſ-

Idæum solemne colunt, similisque triumpho
Prædo caballorum Prætor sedet; ac, mihi pace
Immensæ, nimiæque licet si dicere plebis,
Totam hodie Romam Circus capit, & fragor aurem
Percutit, eventum viridis quo colligo panni.
Nam si deficeret, mæstam, attonitamque videres
Hanc urbem, veluti Cannarum in pulvere victis
Consulibus. Spectent juvenes, quos clamor, & audax
Sponsio, quos cultæ decet assedisse puellæ.
Nostra bibat vernum contracta cuticula Solem,
Effugiatque togam. Jam nunc in balnea salva

jusserit eos statim inchoari.

Similisque, &c. Prætor triumphanti similis sedet in Circo, ad ludos spectandos, disponendosque.

Prædo, &c. Qui equos vili pretio emebat, vel invitis dominis eripiebat, ut illis ad ludos uteretur, & ad currus in circo agitandos.

Fragor. Clamor, & plausus spectatorum.

Eventum, &c. Ex quo conjicio relatum fuisse præmiū ab aliquo, ex illa aurigarum factione, quæ viridi, seu prasino panno utitur: cui scilicet factioni pleriq; Romanorum, ipsique etiam Imperatores favebant. Erant autem aurigarum, qui equos in Circo agitabant, quatuor veluti factiones, suis singulæ vestibus, coloribusque distinctæ, qui singulis anni tempestatibus quasi respondebant: prima colore prasino, seu viridi, qui Veri convenit, utebatur; altera russato, seu rubro, qui Æstati; tertia albo, qui Autumno; quarta veneto, seu cæruleo, qui Hyemi. Addidit subinde aliam Domitianus, quæ panno purpureo uteretur; & aliam, quæ aurato.

Nam si &c. Si enim prasina factio vinceretur.

Cannarum. Vide Sat. 2. & 10.

Spectent. Supple, ludos.

Audax sponsio. Concertatio, depositis pignoribus, nempe utra factio vincat, an alba, an viridis, &c.

Nostra, &c. Id est, nos, qui senes sumus, omissis his nugis, assideamus ad Solem vernum, togam deponamus, & apricemur in otio.

Effugiat togam. Urbanas, ac forenses curas omittat. Cives in urbe, ac foro toga plurimùm utebantur.

Contracta. Rugis aspera.

In balnea, &c. Hodie salvo pudore potes adire balnea, etiamsi tantùm sit hora quinta, nempe post ortum solis. Diem in horas 12. Romani dividebant. Legitima balnei hora erat hyeme, nona, id est, post meridiem tertia;

Fronte licèt vadas, quamquam solida hora supersit
Ad sextam: facere hoc non possis quinque diebus
Continuis; quia sunt talis quoque tædia vitæ
Magna: voluptates commendat rarior usus,

tia; æstate, octava: sed festis diebus horam balnei, atque cœnæ prævertere licebat absque intemperantiæ nota.

Sextam, Hæc in meridiem incidebat.

Facere hoc. Scilicet frequentare convivia, & genio indulgerè.

Quinque diebus. Megalesia per dies quinque celebrabantur.

Talis, Otiosæ, voluptariæ.

Commendat. Gratiores facit.

SATYRA XII.

Catulli naufragium, hæreditatum captatores.

NAtali, Corvine, die mihi dulcior hæc lux,
Qua festus promissa Deis animalia cespes
Expectat: niveam Reginæ cædimus agnam;
Par vellus dabitur pugnanti Gorgone Maura:
Sed procul extensum petulans quatit hostia funem,
Tarpejo servata Jovi, frontemque coruscat:
Quippe ferox vitulus, templis maturus, & aræ,
Spargendusque mero, quem jam pudet ubera matris

Natali die, &c. Solebant Romani diem illum ducere lætissimum, quo nati erant.

Qua, &c. Hæc dies mihi natali meo jucundior est, qua die debeo immolare in ara facta è cespite victimas Diis promissas, ob amicum meum Catullum, è naufragio servatum.

Reginæ, &c. Junoni, Deorum Reginæ, ovem albam immolabo.

Par vellus, &c. Idest, paris velleris agna, ovis nivea, similiter immolabitur Palladi, quæ pugnat armata clypeo, in quo est caput Gorgonis Mauræ, seu Medusæ, quæ Maura hìc appellatur, quia in Mauritania habitabat, Vide Sat. 3.

Sed procul, &c. At Jovi servatur immolandus ferox vitulus, qui funem, quo ad aram trahitur, excutit, caput agitando, & quassando.

Tarpejo. Capitolino.

Spargendusque, &c. Solebant enim inter victimarum cor-

Ducere, qui vexat nascenti robora cornu.
Si res ampla domi, similisque affectibus esset
Pinguior Hispulla traheretur taurus, & ipsa
Mole piger, nec finitima nutritus in herba;
Læta sed ostendens Clitumni pascua sanguis
Iret, & grandi cervix ferienda ministro,
Ob reditum trepidantis adhuc, horrendaque passi
Nuper, & incolumem sese mirantis amici.
Nam præter pelagi casus, & fulguris ictum
Evasi, densæ Cœlum abscondere tenebræ
Nube una, subitusque antennas impulit ignis:
Cùm se quisque illo percussum crederet, & mox
Attonitus nullum conferri posse putaret
Naufragium velis ardentibus: omnia fiunt
Talia, tam graviter, si quando poetica surgit
Tempestas. Genus ecce aliud discriminis; audi,
Et miserere iterum; quanquam sint cætera sortis
Ejusdem: pars dira quidem, sed cognita multis,

cornua vinum fundere.

Qui vexat, &c. Qui arbores recentibus cornibus pulsat.

Similisque, &c. Si responderent opes voluntati, & animo, si esse tam dives, quàm sum amicus Catulli.

Hispulla. Muliere obesa, & crassa, quam aliud agendo carpit.

Finitima, &c. In vicinis pascuis.

Læta, &c. Sensus est: sed funderetur à me sanguis victimæ, quæ adeò pinguis, & nitida esset, ut facilè intelligeretur esse nutrita in lætis, & fertilibus pascuis, quæ sunt ad ripam Clitumni, fluminis Italiæ.

Casus. Pericula varia.

Evasi. Evitati ab illo.

Nube una. Tanta, ut totum Cœlum sola tegeret.

Subitusque, &c. Repentinum fulmen antennas, hoc est, transversa ligna, unde vela pendent, percussit, incenditque.

Nullum, &c. Et putaret satius esse naufragio, quàm incendio perire; naufragium levius aliquid esse, neque comparandum cum nave incensa.

Talia, &c. Eadem pericula expertus est Catullus, quæ describunt poetæ, cùm tempestatē narrant exaggerando tragicum in morem.

Sortis ejusdem. Æquè dura, & gravia; inter se similima.

Pars &c. Hoc infortunium, quod dicturus sum, nempe projectio mercium in mare, pars est quidem istius naufragii, sed quæ aliis multis accidit, & quę picta conspicitur in tabulis vo-

Et quam votiva testantur fana tabella
Plurima: pictores quis nescit ab Iside pasci?
Accidit & nostro similis fortuna Catullo:
Cùm plenus fluctu totus foret alveus, & jam
Alternum puppis latus evertentibus undis
Arboris incertæ, nullam prudentia cani
Rectoris conferret opem, decidere jactu
Cœpit cum ventis, cupiens evadere: In æquor
Fundite, quæ mea sunt, dicebat, cuncta Catullus,
Præcipitare volens etiam pulcherrima, vestem
Purpuream, teneris quoque Mœcenatibus aptam,
Atque alias, quarum generosi graminis ipsum
Infecit natura pecus, sed & egregius fons
Viribus occultis, & Bæticus adjuvat aer.
Illé nec argentum dubitabat mittere, lances

votivis, quæ in templis Deorum à naufragiis suspendi solent.

Pictores, &c. Quis nescit pictores victitare pecunia, quam conficiunt pingendis tabellis, quæ in fano Isidis à naufragis appenduntur? Erat Isis Ægyptiorum Dea; sed quæ Romæ maxime tunc colebatur, & quæ adeò sæpe à naufragãtibus invocabatur.

Similis, &c. Similis nẽpe fortunę aliorũ naufragorũ.

Totus alveus. Tota interior navis capacitas.

Alternum, &c. Cùm nunc latus hoc, nunc illud undæ everterent, & inclinarent.

Arboris incertæ. Navis fluitantis, & jactatæ.

Nullam, &c. Nec ullam opem afferret naviganti-bus senis, & prudentis gubernatoris industria.

Decidere, &c. Ortam cum ventis veluti litem quasi dirimere, & pacisci ea lege cœpit, ut bona sua proiiciendo vitam incolumem retineret.

Teneris, &c. Hominibus delicatis, & mollibus, qualis fuit Mœcenas.

Atque alias, &c. Alias etiam vestes ex lana Bætica, nativo, non ascititio colore tinctas.

Quarum, &c. Ordo est: quarum vestium pecus, seu lanam è pecore sumptã infecit, hoc est, tinxit ipsa natura graminis egregii, quo vescuntur oves: neque oritur iste color tantùm ex gramine, & pascuis, sed etiam ex ipso fluvio Bæti, & aere illius regionis, qui arcanas vires habet ad lanam imbuendam eximio quodam, ac splendido colore. Est autem Bætis fluvius Hispanię versus meridiem, vulgò *Quadalquivir.*

Ille. Catullus.

Mittere. In æquor proiicere.

Par-

Parthenio factas, urnæ cratera capacem,
Et dignum sitiente Pholo, vel conjuge Fusci:
Adde & bascaudas, & mille escaria multùm
Cælati, biberat quo callidus emptor Olynthi,
Sed quis nunc alius, qua mundi parte, quis audet
Argento preferre caput, rebusque salutem?
Non propter vitam faciunt patrimonia quidam,
Sed vitio cæci propter patrimonia vivunt.
Jactatur rerum utilium pars maxima; sed nec
Damna levant: tunc adversis urgentibus illuc
Decidit: ut malum ferro summitteret, ac se
Explicat angustum, discriminis ultima quando
Præsidia afferimus, navem factura minorem.

Parthenio, &c. A Parthenio perito artifice factas, vel factas ita affabrè, ut iis libenter fuisset usurus Parthenius, homo politissimus, & lautissimus, Domitiani cubicularius.

Urne, &c. Pateram, quæ urnam vini integram caperet: qualis patera deceret Pholum unum è Centauris, vini avidissimum, aut Fusci uxorem vinosam, & bibacem.

Bascaudas. Vasa quędam Anglica, seu lebetes.

Escaria. Vasa idonea escis apponendis.

Cęlati. Supple, auri, argenti.

Biberat, &c. Pocula cęlata, in quibus biberat olim Philippus, Alexandri Magni pater: Emptorem Olynthi vocat, quia Olynthum, urbem Thraciæ pulcherrimam, gubernatore corrupto, auro cepit.

Quis audet, &c. Quis est adeò generosus, ut malit vitam servare, quàm opes?

Non propter, &c. Quidam non faciunt patrimonia, id est, opes non colligunt, propter vitam commodiùs ducendam; sed ideò videntur vivere, ut opes colligant: tanta est illorum cœcitas!

Jactatur. In mare projicitur.

Levant. Minuunt tempestatem.

Illuc, &c. Necessitate compulsus, eò recidit, eò redactus est, ut malus ipsi secandus esset.

Ac se, &c. Tunc se Catullus, in angustias anteà redactus, explicat, & expeditiorem facit, ad vim tempestatis perferendam, sublato malo, & reciso.

Discriminis, &c. Siquidem tunc ultimum est discrimen, cùm non alio præsidio illi subveniri potest, quàm si navis mutiletur, & fiat minor, ejus aliqua parte truncata, secto malo.

I nunc, & ventis animam committe, dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor, ac septem, si sit latissima tæda;
Mox cum reticulis, & pane, & ventre lagenæ,
Aspice sumendas in tempestate secures.
Sed postquam jacuit planum mare; tempora postquam
Prospera vectoris, fatumque valentius Euro,
Et pelago; postquam Parcæ meliora benigna
Pensa manu ducunt hilàres, & staminis albi
Lanificæ; modica non multò fortior aura
Ventus adest: inopi miserabilis arte cucurrit,
Vestibus extensis, & quod superaverat unum,
Velo prora suo: jam deficientibus Austris,
Spes vitæ cum Sole redit: tum gratus Julo,

Dolato. Navi è lignis dolatis factæ.

Digitis, &c. Cùm inter te, & mortem, non majus intervallum sit, quàm digitorum quatuor, aut septem, quanta scilicet est crassitudo asserum, quibus navis constat.

Tæda. Tabula, asser. Tæda est arbor, ex qua fiunt naves.

Reticulis. Peris, seu sacculis, in modum retis factis, quibus utebantur viatores, nautæ, vectores, ad panem, & alia id genus ferenda.

Ventre lagenæ. Lagena ventricosa, capaci, & ampla.

Accipe, &c. Vide, ut sumas, noli omittere secures, quibus malum abscindas in tempestate.

Postquam, &c Postquam mare conquievit, sedata tempestate.

Vectoris. Catulli, qui navi vehebatur.

Parcæ, &c. Postquam mitigatę Parcę feliciorem jam cursum illi, & navigationem dederunt. Si quid calamitosum eveniebat, Parcæ, quæ hominum vitam, & sortem è sua colu suspensam habebant, dicebantur nigrum stamen è colu deducere; si quid feliciter accidebat, album.

Albi, &c. Lanam albam trahentes.

Ventus, &c. Flare cœpit ventus modicus.

Inopi, &c. Tunc prora, seu navis, cucurrit, idest, navigavit, arte miserabili; nempe adhibitis instar velorum, & extensis Catulli, nautarumque vestibus, cum uno velo, quod supererat, aliis fulgure, & naufragio absumptis.

Deficientibus, &c Spirare desinentibus procellosis à meridie ventis.

Tum gratus, &c. Tum con-

Atque novercali sedes prælata Lavino.
Conspicitur sublimis apex, cui candida nomen
Scrofa dedit, lætis Phrygibus mirabile sumen,
Et nunquam visis triginta clara mamillis.
Tandem intrat positas inclusa per æquora moles,
Thyrrhenamque Pharon, porrectaque brachia rursus,
Quæ pelago occurrunt medio: longèq; relinquunt
Italiam: non sic igitur mirabere portus,
Quos natura dedit. Sed trunca puppe magister
Interiora petit Bajanæ pervia cymbæ,
Tuti stagna sinus; gaudent ibi vertice raso

spexerunt nautæ Albanum montem, ubi Julus Æneę filius condidit Albam, quam prætulit Lavinio, seu Lavino, urbi sic appellatæ ab Lavinia, uxore secunda Æneæ, & noverca Juli, cujus mater Creusa.

Cui, &c. Qui dictus est Albanus, quia in eo loco reperta fuerat scrofa, seu porca alba, cum 30. mamillis, hoc est 30 porcellis, quos mamillis alebat. Virg. Lib. 3. & 8.

Sumen. Sus, vel porca, Pars ponitur pro toto; sumen enim est venter suillus. Læti autem dicuntur Phryges, sive Trojani, ob suem ex oraculo inventam.

Intrat, &c. Navis Catulli, intrat in portum Ostiensem, munitum molibus, quæ quasi brachiis æquor amplectuntur, & includunt.

Pharon. Pharus fuit excelsa turris, ad introitum Alexandrini portus in Ægypto posita, in qua turri erant accensi per noctem ignes, quin autis portum ostenderent. Similem isti turrim Claudius Imperator, in portu Ostiensi, qui mare Tyrrhenum, seu Hetruscum spectant, extrui jussit, quam ideò hìc Tyrrhenam Pharum vocat.

Porrectaque, &c. Moles, aggeres ex utraq; parte portus Ostiensis, in medium mare, instar brachiorum productos, qui ab Italia videntur veluti longiùs recedere.

Rursus. Quia portum Ostiensem, olim ab Agrippa jussu Augusti ædificatum, & Claudio Imperatore auctū, Trajanus instauraverat.

Trunca, &c. Gubernator navis fractę, & malo carentis, subit in sinum interiorem portus, ubi mare instar stagni placidum est, & tutæ sunt etiam naviculæ; quales reperiuntur in lacu Lucrino juxta Bajas.

Vertice raso. Scilicet nautæ in tempestatis periculo tondebant sibi caput, & crines Diis marinis, veluti in sacrificium offerebant.

Garrula securi narrare pericula nautæ.
Ite igitur pueri, linguis, animisque faventes,
Sertaque delubris, & farra imponite cultris,
Ac molles ornate focos, glebamque virentem.
Jam sequar, & sacro, quod restat, ritè peracto,
Inde domum repetam, graciles ubi parva coronas
Accipiant fragili simulacra nitentia cera.
Hìc nostrum placabo Jovem, Laribusque paternis
Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores.
Cuncta nitent, longos erexit janua ramos,
Et matutinis operitur festa lucernis.
Nec suspecta tibi sint hæc, Corvine: Catullus,
Pro cujus reditu tot pono altaria, parvos
Tres habet hæredes. Libet expectare, quis ægram,
Et claudentem oculos gallinam impendat amico

Garrula. Quæ magnam loquacitatis materiam ipsis præbent.

Ite, &c. Hortatur servos ad sacrificium peragendum.

Linguis, &c. Hoc est; tacete, & attenti estote. Verba sunt solemnia, quibus in sacrificiis utebantur.

Farra, &c. Cultros mola inspergite. Erat autem confecta ista mola ex farre, seu tritico tosto, & sale; & ea inspergebantur cultri, quibus cædenda victima; ignis, quo absumenda; & ipsius victimæ caput.

Ornate, &c. Ignem præparate ad sacrificium, aramque è cespite. Molles focos vocat, nempe aram factam è molli cespite, & gramineo, herbis conspersam, & floribus.

Quod restat. Quod unum ultimo loco faciendum superest, nempe ut laribus meis dem thura.

Ubi parva, &c. Ubi coronas e floribus imponam statuis cereis. Deorum domesticorum.

Nostrum. Quem domi privatim colo, & veneror.

Laribusque, &c. Diis privatis, ac domesticis, quos avus meus, paterque coluerunt.

Omnes, &c. Violas omnis coloris spargam humi, albas, luteas, &c.

Cuncta. Fingit servos dicto audientes omnia comparasse: En jam, inquit, nitent omnia; jam ramis ornata est viridibus janua, jam lucernæ in ea mane summo positæ sunt ad festum celebrandum.

Nec suspecta. Noli suspicari, me hęc omnia facere, quòd Catulli hæreditatem captare his officiis velim.

Tot, &c. Tot sacrificia instituo, alia Jovi, alia Minervæ, &c.

Libet, &c. Quem reperias, qui in gratiam amici sterilis, idest, à quo nihil sit sperandum, velit gallinam

Tam ſterili: verùm hæc nimia eſt impenſa, coturnix
Nulla unquam pro patre cadet. Sentire calorem
Si cœpit locuplex Gallita, & Paccius, orbi;
Legitimè fixis veſtitur tota tabellis
Porticus; exiſtunt, qui promittant hecatomben;
Quatenus hic non ſunt nec venales elephanti,
Nec Latio, aut uſquam noſtro ſub ſidere talis
Bellua concipitur, ſed furva gente petita
Arboribus Rutulis, & Turni paſcitur agro,
Cæſaris armentum: nulli ſervire paratum
Privato; ſiquidem Tyrio ſervire ſolebant
Hannibali, & noſtris ducibus, Regique Moloſſo
Horum majores, & dorſo ferre cohortes,
Partem aliquam belli, & euntem in prælia turrim.
Nulla igitur mora per Novium, mora nulla per Hiſtrum

immolare jam vetulam, & moribundam; quamquam quid dico gallinam? vix coturnicem immolaverit, pro eo, qui liberos habeat, qui pater ſit.

Sentire, &c. Si vero divites aliqui liberis orbi, ut Paccius, & Gallita, febriculę calorem ſentire cęperint, ſtatim atrium illorum domus, vel templi veſtibulum ornatur totum, ac tegitur tabellis, in quibus ſcripta ſunt vota captatorum.

Legitimè. Ritè poſitis, ſervatis omnibus, quibus id ſit, cæremoniis.

Hecatomben. Sacrificium centum boum.

Quatenus, &c. Quoniam hic Romæ non venduntur elephanti, nec in noſtra regione generantur; ſi enim eſſent in promptu, eos ſacrificarent.

Furva, &c. Ex Africa, aut India, ubi homines furvo, ideſt, nigro ſunt colore, deportatur in Italiam, ubi ad Imperatorũ delicias ſervatur, in ea parte Italiæ, ubi Rutuli olim, & eorum Rex Turnus, fuerunt.

Nulli, &c. Et verò elephanti non ſerviebant olim privatis hominibus, ſed tantùm ducibus noſtris, ut Scipioni; & exteris, ut Pyrrho, Moloſſorum in Epiro Græciæ parte Regi, & Hannibali Tyrio, ideſt, Carthaginenſi; Carthago enim à Didone Tyria condita eſt.

Horum, &c. Illorum, qui nunc ſunt, elephantorum avi, & proavi ſolebant in turribus dorſo impoſitis cohortes totas ferre.

Nulla, &c. Non dubitarent igitur Novius, & Hiſter

Pacuvium, quin illud ebur ducatur ad aras,
Et cadat ante Lares Gallitæ victima sacra,
Tantis digna Deis, & captoribus horum.
Alter enim, si concedas mactare, vovebit
De grege servorum magna, & pulcherrima quæque
Corpora, vel pueris, & frontibus ancillarum
Imponet vittas, & si qua est nubilis illi
Iphigenia domi, dabit hanc altaribus, etsi
Non speret tragicæ furtiva piacula cervæ.
Laudo meum civem, nec comparo testamento
Mille rates: nam si Libitinam evaserit æger,
Delebit tabulas, inclusus carcere nassæ,

ster Pacuvius, hæreditatum captatores, elephantos immolare, si essent venales Romæ.

Illud ebur. Idest, elephantes, quorum dentes sunt ebur.

Deis. Digna victima Paccio, & Gallita, qui instar Deorum à captatoribus coluntur.

Alter, &c. Neque verò mirare, si dixerim elephantes facilè à captatoribus immolatum iri, si præsto essent; eorum enim aliquis, si lex sineret, voveret se mactaturum suos etiam servos, immò & ipsos liberos.

Imponet, &c. Victimarum capita vittis, sive tæniis quibusdam, & lemniscis ornabantur.

Iphigenia. Idest, filia. Alludit poeta ad historiam Iphigeniæ, quæ ad placandam Dianam Græcis iratam, ab Agamemnone patre sacrificio destinata est: verùm cùm ad aram adducta fuisset, ab ipsa Diana servata est, ejusque in locum cerva substituta.

Etsi, &c. Etiamsi non speret cervam pro filia sua furtim suppositum iri. Tragicam illam cervam hic appellat, quia hoc argumentum, de substituta in locum Iphigeniæ cerva, sæpe in tragœdiis agitatum fuit.

Piacula. Ea vox significat sacrificium, seu victimam, qua piatur crimen, & purgatur.

Laudo, &c. Ironicè. Laudo Romanos captatores: næ illi rectè faciunt, qui parati sint filiam immolare, ut in testamento alicujus orbi hæredes scribantur: præstat enim hoc, quàm mille naves, & Græcorum exercitum integrum servare, quod Agamemnon, in immolanda filia, spectabat.

Libitinam. Idest, mortem. Libitina Dea erat, cujus in templo vendebantur, ea omnia, quæ ad funus pertinebant.

Delebit, &c. Delebit priùs testamentum, ut novum conficiat, in quo Pacuvius scribatur

[illegible]

uvium, quis ... icerit urnâ,
cadat ante Lares ... es, Calvine, recenti
itis digna Deum ... latæ crimine? sed nec
er enim, si ... contigit, ut mediocris
grege servorum ... s, nec rara videmus,
quæque ... tis hic cognitus, ac jam
rpora, vel ... ortunæ ductus acervo.
ponet ... itus: flagrantior æquo
igenia domi, ... e viri, nec vulnere major.
on speret ... minimam, exiguamque,
udo meum ...
ille rates: ... re potes, spumantibus ardens
lebit ... tibi quòd non reddat amicus
... et hæc, qui jam post terga

... Fontejo Consule natus?
... elius tot rerum proficis usu?

r Pacuvi...
n captato...
molare, ...
mæ.

Illud ebur ...
antes, ...
it ebur.
Deis Dim...
o, & Galli...
eorum à ...
ntur.
Alter,&c. ...
re, fidi...
cilè ca...
tum iri ...
orum ...
neret, ...
rum ...
mmò ...
Imp...
ap...
ju...
or...

... antur suf-
quæ reco-
..., damna-
vel absolu-
bant: Præto-
udiciis præs-
n quibusdam
allacem Præto...
nam. Se...
...st.
c. Quale
...nibus
...i, per
...epositum
...avit? ne
...n ac dete...
...tam tibi f...
... .
nec,&c. Pr...
exiguæ tib...
d egestatem
ui, & merg...
is ob ejusmo...
Casus,&c. Co...
e usitatus casu...
positum dene...
culiaris ille ...

mus, sed sumptus è medio veluti acervo vulgarium illorum casuum, quibus homines fortuna vexare quotidie solet.

Flagrantior, &c. Vehementior, quàm res poscat.

Vulnere. Damno, doloris ...sa.

...*umantibus,&c.* Æstuas ...ndia.

...*um.* Quod sanctè con...lum, & reddendum quod interposita ju...di fide, & religione ...erat se redditurum.

...*t, &c.* Tune hoc mi...qui sexagenario ma...

...*jo.* Vixit Fo...one, & Con... V.C.812. ... A quo temp...agesimus inc... Adriani tert... 872.

...*nihil, &c.* Nih...

 tan-

Magna quidem, sacris quæ dat præcepta libellis,
Victrix fortunæ sapientia. Dicimus autem
Hos quoque felices, qui ferre incommoda vitæ,
Nec jactare jugum, vita didicere magistra.

Quæ tam festa dies, ut cesset prodere furem,
Perfidiam, fraudes, atque omni ex crimine lucrum
Quæsitum, & partos gladio, vel pyxide nummo?
Rari quippe boni; numero vix sunt totidem, quot
Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.
Nunc ætas agitur, pejoraque sæcula ferri
Temporibus; quorum sceleri non invenit ipsa
Nomen, & à nullo posuit natura metallo.

tandem profecisti, & didicisti tam longa experientia, ad meliùs, & fortiùs res adversas ferendas?

Magna, &c. Magnam quidem vim affert ad ferendas res adversas sapientia, quæ fortunam vincit, & in libris philosophicis tam egregia in eam rem dat præcepta; at non minùs tamen ad hoc juvat, nec minùs felices nos facit experientia vitæ longioris, quæ docet nos colla submittere, & patienter adversa ferre.

Nec jactare, &c. Non ægrè ferre impositam nobis necessitatem multa præter voluntatem patiendi: metaphora ducta à bobus, qui jugum jactant, & excutiunt.

Quæ tam, &c. Nulla dies est tam sacra, in qua non aliquis in furto deprehendatur, in fraude, &c.

Et partos, &c. In qua non aliquis necem alteri afferat, vel gladio, vel veneno in pyxide contento, ut ejus nummos auferat. Pyxis propriè est theca è buxo: sumitur pro qualibet capsula.

Thebarum, &c. Thebæ, civitas erat Græciæ in Bœotia, quæ septem habebat portas. Nilus item ostiis septem in mare devolvitur. Dives appellatur hic, quia ditat Ægyptum, & fœcundat exundans annis singulis.

Nunc ætas, &c. Ætas nostra pejor adhuc est ætate ferrea: neque ullum est metallum, à quo jam denominari possit: est enim ferrum omnium metallorum ultimum. Quatuor vulgò distinguuntur ætates, à metallis quatuor denominatæ; aurea, qua homines probi erant, & sceleris expertes; argentea, qua pristinam probitatem exuere cœperunt; ærea, qua deteriores evaserunt; ferrea, qua nequissimi. Legunt aliqui. *Nona ætas agitur:* quia Græci non tantùm 4. ætates numerabant, ut Latini, sed octo: auream, argenteam, electream, æream, cupream, stanneam, plumbeam, ferream.

Nos hominum, Divûmque fidem clamore ciemus,
Quanto Fessidium laudat vocalis agentem
Sportula. Dic, senior bulla dignissime, nescis
Quas habeat Veneres aliena pecunia? nescis
Quem tua simplicitas risum vulgo moveat, cùm
Exigis à quoquam, ne pejeret: & putet ullis
Esse aliquod Numen templis, aræque rubenti?
Quondam hoc indigenæ vivebant more, priusquam
Sumeret agrestem, posito diademate, falcem
Saturnus fugiens; tunc, cùm virguncula Juno,
Et privatus adhuc Idæis Jupiter antris;
Nulla super nubes convivia Cælicolarum;
Nec puer Iliacus, formosa nec Herculis uxor
Ad cyathos, & jam siccato nectare tergens

Nos &c. Imploramus Deùm, hominumque fidem.

Quanto &c Quanto clamore clientes, qui à Fessidio patrono suo accipiunt sportulam, eum agentem causas in foro laudant per adulationem. Quid sit sportula, vide Sat. 1.

Dic &c. O Calvine, jam senex, & digne tamen, qui, ut puer, feras bullam; quippe qui non magis, quàm puer, sapias. Erat bulla corculum quoddam, vel aliquid simile ex auro, crystallo, &c. factum, quod è collo puerorum appendebatur.

Veneres. Illecebras. Vide Sat. 5.

Exigis &c. Cùm exigis, ut aliquis hoc sæculo corruptissimo datum jusjurandum servet, ac Deorum tangatur metu.

Rubenti. Victimarum nempe in ea immolatarum sanguine, vel igne, qui ad sacrificia accenditur.

Hoc more. Fidem, & jurisjurandi religionem servabant.

Indigenæ. Primi Italiæ incolæ ex ipsa oriundi, non aliunde orti, ut Romani, qui à Trojanis originem ducebant.

Priusquam &c. Antequam Saturnus, à Jove filio pulsus, in Italiam veniret è Creta insula, ibique corona, & regno exutus, vites, sumpta falce, coleret: idest, ætate aurea.

Privatus. Nondum Rex, in Creta degens, ubi Ida mons.

Puer &c. Ganymedes, filius Trois Regis Ilii, sive Trojæ, qui à Jove raptus est in Cœlum, ut ibi vinum Superis misceret.

Uxor. Hebe, Dea juventutis, quæ Herculi in Cœlum recepto nupsit: hæc, priusquam Ganymedes à Jove raperetur, Superis vina miscebat.

Ad cyathos. Præsto erat

Brachia Vulcanus Liparæa nigra taberna.
Prandebat sibi quisque Deus: nec turba Deorum
Talis, ut est hodie; contentaque sidera paucis
Numinibus, miserum urgebant Atlanta minori
Pondere: nondum aliquis sortitus triste profundi
Imperium; aut Sicula torvus cum conjuge Pluto:
Nec rota, nec furiæ, nec saxum, aut vulturis atri
Pœna; sed infernis hilares sine Regibus umbræ.
Improbitas illo fuit admirabilis ævo:
Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si juvenis vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicumque puer: licèt ipse videret

ad calices Jovi porrigendos.

Et jam &c. Sensus est: nec bibebat Vulcanus in Cœlo nectar; eoque exhausto, seu siccatis poculis, in quibus biberat, non extergebat os brachiis fuligine officinæ suæ nigris.

Liparæa. Lipara est insula in freto Siculo, in qua Vulcanus suas tabernas, seu officinas habere dicebatur.

Sibi. Privatim, domi suę, non in turba cum aliis.

Atlanta. Atlas enim Cęlum, & sidera ferre humeris fingebatur. Fuit Atlas Mauritaniæ Rex Astrologię peritissimus, ideò Cœlum ferre dictus.

Nondum &c. Idest, nondum Neptuno maris imperium sorte contigerat. Fingunt enim poetæ tres Saturni filios, Jovem, Neptunum, & Plutonem, ut orbis universi imperium inter se dividerent, sortes misisse, & Jovi Cœlum, & terram, Neptuno mare, Plutoni Inferos sorte obtigisse.

Sicula &c. Proserpina, Cereris filia, quam Pluto rapuit in Ætna, Siciliæ monte.

Nec &c. Nondum erant apud Inferos statuta supplicia.

Rota. Ixionis, qui apud Inferos rotæ est affixus. Hęc omnia vide apud Virgilium 6. Æneid. & Ovid. 4. Metam.

Furiæ. Tres, scelerum apud eosdem Inferos ultrices.

Saxum. Dicitur Sysiphus ea pęna damnatus, ut saxum in montem perpetuò attollat, quod, ubi ad cacumen est deportatum, sua sponte retro semper devolvitur.

Vulturis. Tytii jecur, & Promethei à vulture laniatur.

Hilares. Erant sui juris, nulli subditæ Regi.

Improbitas &c. Mirum erat illo ævo, si quis foret improbus.

Piandum. Puniendum.

Assurrexerat. Surgendo honorem non exhibuerat.

Licèt. Quamvis ipse puer di-

Plura domi fraga, & majores glandis acervos.
Tam venerabile erat præcedere quattuor annis,
Primaque par adeò sacræ lanugo senectæ.
Nunc, si depositum non inficietur amicus,
Si reddat veterem cum tota ærugine follem,
Prodigiosa fides, & Thuscis digna libellis,
Quæque coronata lustrari debeat agna,
Egregium, sanctumque virum si cerno, bimembri
Hoc monstrum puero, & miranti jam sub aratro
Piscibus inventis, & fœtæ comparo mulæ;
Solicitus, tanquam lapides effuderit imber,
Atque examen apum longa consederit uva

ditiores haberet parentes: glans enim, & fraga hominum tunc cibi, & opes omnes erant.

Præcedere. Superare.

Primaque &c. Et prima lanugo, seu juventus, par erat senectæ; quia, quemadmodùm senes ab omnibus non senibus colebantur, ita & juvenes ab iis, qui forent ætate inferiores.

Veterem follem. Crumenam, sacculum à longo tempore depositum.

Ærugine. Idest: cum tota pecunia, quæ ob longiorem in arca moram, rubigine, ac situ inquinata sit.

Thuscis &c. Digna fidelitas, quæ referatur in libros sacerdotum, & haruspicum Hetruscorum, cum aliis prodigiis. Haruspicina fuit Romam advecta primùm ab Etruria.

Lustrari. Expiari, tanquam monstrum, & prodigium: si quid enim portentosum accidisset, solebant veteres immolare victimas, ut iram Deorum, cujus hæc monstra signum esse videbantur, averterent: coronabant autem sertis victimas.

Bimembri &c. Aliquid mihi videtur esse tam prodigiosum, quàm si puer natus sit cum duplici v.g. capite, vel cum membris partim hominis, partim belluæ, &c.

Miranti &c. Mirum enim esset, si agricola pisces in agro vivos inter arandum inveniret.

Fœtæ &c. Prægnanti, mulæ enim steriles sunt.

Solicitus &c. Si videro civem bonum, & fidum, tam sum solicitus, & ob rei novitatem perturbatus, quàm si lapidibus pluisset.

Atque &c. Prodigii enim instar habebatur, si in templi alicujus tecto consedisset examen apum.

Uva. Idest, in morem uvæ compositum, cùm nempe apes ita glomerant se, ita pedibus inter se nexis junguntur, ut racemi speciem exhibeant.

Culmine delubri; tamquam in mare fluxerit amnis
Gurgitibus miris, & lactis vortice torrens.
Intercepta decem quereris sestertia fraude
Sacrilega; quid si bis centum perdidit alter
Hoc arcana modo? majorem tertius illa
Summam, quam patulæ vix ceperat angulus arcæ?
Tam facile, & pronum est Superos contemnere testes,
Si mortalis idem nemo sciat! Aspice quanta
Voce neget, quæ sit ficti constantia vultus.
Per Solis radios, Tarpejaque fulmina jurat,
Et Martis frameam, & Cyrrhæi spicula vatis?
Per calamos venatricis, pharetramque puellæ,
Perque tuum, pater Ægæi Neptune, tridentem:
Addit & Herculeos arcus, hastamque Minervæ,

Tanquam &c. Ut si, mutatis in lac undis, fluvius aliquis inusitatos illos, & mirabiles fluctus in mare cum impetu torrentis instar, devolveret.

Intercepta. Ablata per fraudem: decem porrò sestertia sunt libræ Turonicæ 1000. Romani verò nummi 230.

Arcana. Fidei alterius clam, & sine testibus commissa.

Hoc modo. Simili perfidia.

Majorem &c. Quid, si tertius aliquis amiserit plusquam ducenta sestertia, immò summam ingentem, quæ vix contineri poterat in arca grandiori?

Facile est. Parum curant scelerati, quòd Deos suorum flagitiorum testes habeant, consciosque, si eadem sua scelera ignorentur ab hominibus.

Neget. Supple, depositum.

Quæ sit &c. Idest, quantam composito ad fraudem vultu constantiam præferat.

Tarpeja. Id est, Jovis Capitolini. Capitolium enim in rupe Tarpeja extructum erat Romæ.

Frameam. Ensem, vel hastam.

Cyrrhæi &c. Tela Apollinis, qui colebatur in urbe Cyrrha, ad radices montis Parnassi.

Calamos &c. Sagittas Dianæ.

Pater Ægæi. Neptunus; Ægæus enim, Athenarum Rex, & pater Thesei, Neptuni filius fuit. Vel, Pater Ægæi, explica, præses, & potens Ægæi maris. Est illud mare inter Græciam, & Asiam minorem.

Addit &c. Jurat etiam per arcum Herculis.

Quidquid habent telorum armamentaria Cœli:
Si verò & pater est: Comedam, inquit, flebile gnati
Sinciput elixi, Pharioque madentis aceto.
Sunt, qui in Fortunæ jam casibus omnia ponunt,
Et nullo credunt mundum rectore moveri,
Natura volvente vices & lucis, & anni;
Atque ideò intrepidi quæcumque altaria tangunt,
Est alius metuens, ne crimen pœna sequatur:
Hic putat esse Deos, & pejerat, atque ita secum:
Decernat, quodcumque volet de corpore nostro
Isis, & irato feriat mea lumina sistro,
Dummodo vel cæcus teneam, quos abnego, nummos.

Si verò &c. Si perfidus ille, qui depositum negat, filios habet.

Comedam &c. Imprecationes sunt pejerantis perfidi. Si fallo, inquit ille, si mentior, faxint Superi, ut mihi filius meus epulandus apponatur, ut olim Thyestę.

Sinciput. Pars est capitis anterior; hic pro capite toto sumitur.

Elixi &c. Cocti, & aceto Phario, id est Ægyptio, conditi. Acetum Ægyptium erat laudatissimum. De Pharo vide Sat. 12.

Sunt, qui &c. Exponit causas, quare homines tam facilè pejerent. Quidam nullos esse Deos credunt, & omnia fieri casu putant, & cœco naturæ impetu.

Vices &c. Diem, & noctem; vel quatuor anni tempestates.

Intrepidi. Idest, nullo Deorum metu, quos negant esse: nullo etiam metu pœnarum impiis debitarum; quæ nullæ sunt, si nulli sunt Superi.

Est alius &c. Putant alii Deos quidem esse: pęnas ab iis infligendas metuunt; sed parati sunt pœnas omnes ferre, modò ditescant.

Secum. Subaudi, cogitat.

Quæcumque &c. Per quemlibet Deum jurant: altaria enim tangere soliti erant, qui jurarent.

Decernat. Statuat de me, de meo corpore, quod libuerit: immittat mihi, quos voluerit morbos. De Iside fit mentio Satyra sexta, & duodecima.

Isis &c Irata Isis feriat me sistro, & oculos mihi pertundat, cæcum me reddat. Isis enim perjuris maximè infesta esse dicebatur, & eos punire cæcitate.

Sistro. Instrumentum est musicum, instar fistulæ, quo in sacris Isidis utebantur Ægyptii.

Abnego. Nego apud me depositos.

Parthenio factas, urnæ cratera capacem,
Et dignum sitiente Pholo, vel conjuge Fusci:
Adde & bascaudas, & mille escaria multùm
Cælati, biberat quo callidus emptor Olynthi,
Sed quis nunc alius, qua mundi parte, quis audet
Argento preferre caput, rebusque salutem?
Non propter vitam faciunt patrimonia quidam,
Sed vitio cæci propter patrimonia vivunt.
Jactatur rerum utilium pars maxima; sed nec
Damna levant: tunc adversis urgentibus illuc
Decidit: ut malum ferro summitteret, ac se
Explicat angustum, discriminis ultima quando
Præsidia afferimus, navem factura minorem.

Parthenio, &c. A Parthenio perito artifice factas, vel factas ita affabrè, ut iis libenter fuisset usurus Parthenius, homo politissimus, & lautissimus, Domitiani cubicularius.

Urnæ, &c. Pateram, quæ urnam vini integram caperet: qualis patera deceret Pholum unum è Centauris, vini avidissimum, aut Fusci uxorem vinosam, & bibacem.

Bascaudas. Vasa quedam Anglica, seu lebetes.

Escaria. Vasa idonea escis apponendis.

Cęlati. Supple, auri, argenti.

Biberat, &c. Pocula cęlata, in quibus biberat olim Philippus, Alexandri Magni pater: Emptorem Olynthi vocat, quia Olynthum, urbem Thraciæ pulcherrimam, gubernatore corrupto, auro cepit.

Quis audet, &c. Quis est adeò generosus, ut malit vitam servare, quàm opes?

Non propter, &c. Quidam non faciunt patrimonia, id est, opes non colligunt, propter vitam commodiùs ducendam; sed ideò videntur vivere, ut opes colligant: tanta est illorum cœcitas!

Jactatur. In mare projicitur.

Levant. Minuunt tempestatem.

Illuc, &c. Necessitate compulsus, eò recidit, eò redactus est, ut malus ipsi secandus esset.

Ac se, &c. Tunc se Catullus, in angustias anteà redactus, explicat, & expeditiorem facit, ad vim tempestatis perferendam, sublato malo, & reciso.

Discriminis, &c. Siquidem tunc ultimum est discrimen, cùm non alio præsidio illi subveniri potest, quàm si navis mutiletur, & fiat minor, ejus aliqua parte truncata, secto malo.

I nunc, & ventis animam committe, dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor, ac septem, si sit latissima tæda;
Mox cum reticulis, & pane, & ventre lagenæ,
Aspice sumendas in tempestate secures.
Sed postquam jacuit planum mare; tempora postquam
Prospera vectoris, fatumque valentius Euro,
Et pelago; postquam Parcæ meliora benigna
Pensa manu ducunt hilàres, & staminis albi
Lanificæ; modica non multò fortior aura
Ventus adest: inopi miserabilis arte cucurrit,
Vestibus extensis, & quod superaverat unum,
Velo prora suo: jam deficientibus Austris,
Spes vitæ cum Sole redit: tum gratus Julo,

Dolato. Navi è lignis dolatis factæ.

Digitis, &c. Cùm inter te, & mortem, non majus intervallum sit, quàm digitorum quatuor, aut septem, quanta scilicet est crassitudo asserum, quibus navis constat.

Tæda. Tabula, asser. Tæda est arbor, ex qua fiunt naves.

Reticulis. Peris, seu sacculis, in modum retis factis, quibus utebantur viatores, nautæ, vectores, ad panem, & alia id genus ferenda.

Ventre lagenæ. Lagena ventricosa, capaci, & ampla.

Accipe, &c. Vide, ut sumas, noli omittere secures, quibus malum abscindas in tempestate.

Postquam, &c Postquam mare conquievit, sedata tempestate.

Vectoris. Catulli, qui navi vehebatur.

Parcæ, &c. Postquam mitigatę Parcę feliciorem jam cursum illi, & navigationem dederunt. Si quid calamitosum eveniebat, Parcæ, quæ hominum vitam, & sortem è sua colu suspensam habebant, dicebantur nigrum stamen è colu deducere; si quid feliciter accidebat, album.

Albi, &c. Lanam albam trahentes.

Ventus, &c. Flare cœpit ventus modicus.

Inopi, &c. Tunc prora, seu navis, cucurrit, idest, navigavit, arte miserabili; nempe adhibitis instar velorum, & extensis Catulli, nautarumque vestibus, cum uno velo, quod supererat, aliis fulgure, & naufragio absumptis.

Deficientibus, &c Spirare desinentibus procellosis à meridie ventis.

Tum gratus, &c. Tum con-

Atque novercali sedes prælata Lavino.
Conspicitur sublimis apex, cui candida nomen
Scrofa dedit, lætis Phrygibus mirabile sumen,
Et nunquam visis triginta clara mamillis.
Tandem intrat positas inclusa per æquora moles,
Thyrrhenamque Pharon, porrectaque brachia rursus,
Quæ pelago occurrunt medio: longèq; relinquunt
Italiam: non sic igitur mirabere portus,
Quos natura dedit. Sed trunca puppe magister
Interiora petit Bajanæ pervia cymbæ,
Tuti stagna sinus; gaudent ibi vertice raso

spexerunt nautæ Albanum montem, ubi Julus Æneę filius condidit Albam, quam prætulit Lavinio, seu Lavino, urbi sic appellatæ ab Lavinia, uxore secunda Æneæ, & noverca Juli, cujus mater Creusa.

Cui, &c. Qui dictus est Albanus, quia in eo loco reperta fuerat scrofa, seu porca alba, cum 30. mamillis, hoc est 30 porcellis, quos mamillis alebat. Virg. Lib. 3. & 8.

Sumen. Sus, vel porca, Pars ponitur pro toto; sumen enim est venter suillus. Læti autem dicuntur Phryges, sive Trojani, ob suem ex oraculo inventam.

Intrat, &c. Navis Catulli, intrat in portum Ostiensem, munitum molibus, quæ quasi brachiis æquor amplectuntur, & includunt.

Pharon. Pharus fuit excelsa turris, ad introitum Alexandrini portus in Ægypto posita, in qua turri erant accensi per noctem ignes, quin nautis portum ostenderent. Similem isti turrim Claudius Imperator, in portu Ostiensi, qui mare Tyrrhenum, seu Hetruscum spectant, extrui jussit, quam ideò hìc Tyrrhenam Pharum vocat.

Porrectaque, &c. Moles, aggeres ex utraq; parte portus Ostiensis, in medium mare, instar brachiorum productos, qui ab Italia videntur veluti longiùs recedere.

Rursus. Quia portum Ostiensem, olim ab Agrippa jussu Augusti ædificatum, & Claudio Imperatore auctū, Trajanus instauraverat.

Trunca, &c. Gubernator navis fractę, & malo carentis, subit in sinum interiorem portus, ubi mare instar stagni placidum est, & tutæ sunt etiam naviculæ; quales reperiuntur in lacu Lucrino juxta Bajas.

Vertice raso. Scilicet nautæ in tempestatis periculo tondebant sibi caput, & crines Diis marinis, veluti in sacrificium offerebant.

Gar-

Garrula securi narrare pericula nautæ.
Ite igitur pueri, linguis, animisque faventes,
Sertaque delubris, & farra imponite cultris,
Ac molles ornate focos, glebamque virentem.
Jam sequar, & sacro, quod restat, ritè peracto,
Inde domum repetam, graciles ubi parva coronas
Accipiant fragili simulacra nitentia cera.
Hìc nostrum placabo Jovem, Laribusque paternis
Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores.
Cuncta nitent, longos erexit janua ramos,
Et matutinis operitur festa lucernis.
Nec suspecta tibi sint hæc, Corvine: Catullus,
Pro cujus reditu tot pono altaria, parvos
Tres habet hæredes. Libet expectare, quis ægram,
Et claudentem oculos gallinam impendat amico

Garrula. Quæ magnam loquacitatis materiam ipsis præbent.

Ite, *&c*. Hortatur servos ad sacrificium peragendum.

Linguis, *&c*. Hoc est; tacete, & attenti estote. Verba sunt solemnia, quibus in sacrificiis utebantur.

Farra, *&c*. Cultros mola inspergite. Erat autem confecta ista mola ex farre, seu tritico tosto, & sale; & ea inspergebantur cultri, quibus cædenda victima; ignis, quo absumenda; & ipsius victimæ caput.

Ornate, *&c*. Ignem præparate ad sacrificium, aramque è cespite. Molles focos vocat, nempe aram factam è molli cespite, & gramineo, herbis conspersam, & floribus.

Quod restat. Quod unum ultimo loco faciendum superest, nempe ut laribus meis dem thura.

Ubi parva, *&c*. Ubi coronas e floribus imponam statuis cereis. Deorum domesticorum.

Nostrum. Quem domi privatim colo, & veneror.

Laribusque, *&c*. Diis privatis, ac domesticis, quos avus meus, paterque coluerunt.

Omnes, *&c*. Violas omnis coloris spargam humi, albas, luteas, &c.

Cuncta. Fingit servos dicto audientes omnia comparasse: En jam, inquit, nitent omnia; jam ramis ornata est viridibus janua, jam lucernæ in ea mane summo positæ sunt ad festum celebrandum.

Nec suspecta. Noli suspicari, me hęc omnia facere, quòd Catulli hæreditatem captare his officiis velim.

Tot, *&c*. Tot sacrificia instituo, alia Jovi, alia Minervæ, &c.

Libet, *&c*. Quem reperias, qui in gratiam amici sterilis, idest, à quo nihil sit sperandum, velit gallinam

Tam ſterili: verùm hæc nimia eſt impenſa, coturnix
Nulla unquam pro patre cadet. Sentire calorem
Si cœpit locuplex Gallita, & Paccius, orbi;
Legitimè fixis veſtitur tota tabellis
Porticus; exiſtunt, qui promittant hecatomben;
Quatenus hìc non ſunt nec venales elephanti,
Nec Latio, aut uſquam noſtro ſub ſidere talis
Bellua concipitur, ſed furva gente petita
Arboribus Rutulis, & Turni paſcitur agro,
Cæſaris armentum: nulli ſervire paratum
Privato; ſiquidem Tyrio ſervire ſolebant
Hannibali, & noſtris ducibus, Regique Moloſſo
Horum majores, & dorſo ferre cohortes,
Partem aliquam belli, & euntem in prælia turrim.
Nulla igitur mora per Novium, mora nulla per Hiſtrum

immolare jam vetulam, & moribundam; quamquam quid dico gallinam? vix coturnicem immolaverit, pro eo, qui liberos habeat, qui pater ſit.

Sentire,&c. Si vero divites aliqui liberis orbi, ut Paccius, & Gallita, febriculę calorem ſentire cęperint, ſtatim atrium illorum domus, vel templi veſtibulum ornatur totum, ac tegitur tabellis, in quibus ſcripta ſunt vota captatorum.

Legitimè. Ritè poſitis, ſervatis omnibus, quibus id fit, cæremoniis.

Hecatomben. Sacrificium centum boum.

Quatenus,&c. Quoniam hic Romæ non venduntur elephanti, nec in noſtra regione generantur; ſi enim eſſent in promptu, eos ſacrificarent.

Furva,&c. Ex Africa, aut India, ubi homines furvo, ideſt, nigro ſunt colore, deportatur in Italiam, ubi ad Imperatorũ delicias ſervatur, in ea parte Italiæ, ubi Rutuli olim, & eorum Rex Turnus, fuerunt.

Nulli, &c. Et verò elephanti non ſerviebant olim privatis hominibus, ſed tantùm ducibus noſtris, ut Scipioni; & exteris, ut Pyrrho, Moloſſorum in Epiro Græciæ parte Regi, & Hannibali Tyrio, ideſt, Carthaginenſi; Carthago enim à Didone Tyria condita eſt.

Horum,&c. Illorum, qui nunc ſunt, elephantorum avi, & proavi ſolebant in turribus dorſo impoſitis cohortes totas ferre.

Nulla,&c. Non dubitarent igitur Novius, & Hiſter

Pacuvium, quin illud ebur ducatur ad aras,
Et cadat ante Lares Gallitæ victima sacra,
Tantis digna Deis, & captoribus horum.
Alter enim, si concedas mactare, vovebit
De grege servorum magna, & pulcherrima quæque
Corpora, vel pueris, & frontibus ancillarum
Imponet vittas, & si qua est nubilis illi
Iphigenia domi, dabit hanc altaribus, etsi
Non speret tragicæ furtiva piacula cervæ.
Laudo meum civem, nec comparo testamento
Mille rates: nam si Libitinam evaserit æger,
Delebit tabulas, inclusus carcere nassæ,

ster Pacuvius, hæreditatum captatores, elephantos immolare, si essent venales Romæ.

Illud ebur. Idest, elephantes, quorum dentes sunt ebur.

Deis. Digna victima Paccio, & Gallita, qui instar Deorum à captatoribus coluntur.

Alter, &c. Neque verò mirare, si dixerim elephantes facilè à captatoribus immolatum iri, si præsto essent; eorum enim aliquis, si lex sineret, voveret se mactaturum suos etiam servos, immò & ipsos liberos.

Imponet, &c. Victimarum capita vittis, sive tæniis quibusdam, & lemniscis ornabantur.

Iphigenia. Idest, filia. Alludit poeta ad historiam Iphigeniæ, quæ ad placandam Dianam Græcis iratam, ab Agamemnone patre sacrificio destinata est: verùm cùm ad aram adducta fuisset, ab ipsa Diana servata est, ejusque in locum cerva substituta.

Etsi, &c. Etiamsi non speret cervam pro filia sua furtim suppositum iri. Tragicam illam cervam hìc appellat, quia hoc argumentum, de substituta in locum Iphigeniæ cerva, sæpe in tragœdiis agitatum fuit.

Piacula. Ea vox significat sacrificium, seu victimam, qua piatur crimen, & purgatur.

Laudo, &c. Ironicè. Laudo Romanos captatores: næ illi rectè faciunt, qui parati sint filiam immolare, ut in testamento alicujus orbi hæredes scribantur: præstat enim hoc, quàm mille naves, & Græcorum exercitum integrum servare, quod Agamemnon, in immolanda filia, spectabat.

Libitinam. Idest, mortem. Libitina Dea erat, cujus in templo vendebantur, ea omnia, quæ ad funus pertinebant.

Delebit, &c. Delebit priùs testamentum, ut novum conficiat, in quo Pacuvius scris-

Post meritum sanè mirandum; atque omnia soli
Forsan Pacuvio breviter dabit: ille superbus
Incedet, victis rivalibus. Ergo vides, quàm
Grande operę pretium faciat jugulata Mycenis.
Vivat Pacuvius, quæso, vel Nestora totum;
Possideat quantum rapuit Nero; montibus aurum
Exæquet: nec amet quemquam, nec ametur
ab ullo,

batur solus hæres.

Inclusus, &c. Idest, inescatus hoc sacrificio, & veluti piscis, hamo captus, Nassa est vas vimineum oblongum, angusto collo, quo piscatores utuntur ad pisces capiendos, in quod nempe cùm ingressi fuerint, exire nequeunt.

Post, &c. Post tantum beneficium à captatore acceptum, qui, pro divitis salute, ne propriæ quidem filiæ parcere voluerit.

Rivalibus. Suis æmulis, eidem hæreditati inhiantibus.

Ergo, vides, &c. Vides, quam utilitatem illi captatori attulerit filia, quam instar Mycenidis, hoc est, Iphigeniæ Mycenarum Regis filiæ, pro divite orbo jugulaturus erat.

Vivat, &c. Imprecatio est. Vivat sanè Pacuvius tot annos, quot Nestor vixit; cumulos auri montibus æquales extruat; sed miser vivat, & omnibus invisus.

SATYRA XIII.

Amicum de negato deposito mærentem consolatur: deque improborum pœnis, ac sceleratæ conscientiæ cruciatu splendidè disserit.

Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi
Displicet auctori: prima est hęc ultio, quòd se
Judice nemo nocens absolvitur, improba quamvis

Exemplo, &c. Idest, quidquid scelerate fit, & malo exemplo.

Auctori. Illi, qui scelus admisit.

Prima, &c. Pœna ista scelerum prima, & præcipua est, quòd scelerati sui sunt judices, se ipsi condemnant, atque à propria conscientia torquentur.

Improba, &c. Licèt improbi, per gratiam, judiciique corruptelam, fallaci urna, id est, iniqua judicis sententia absoluti fuerimus Hi

ur-

Gratia fallaci Prætoris vicerit urnà,
Quid sentire putas omnes, Calvine, recenti
De scelere, & fidei violatæ crimine? sed nec
Tam tenuis census tibi contigit, ut mediocris
Jacturæ te mergat onus, nec rara videmus,
Quæ pateris. casus multis hic cognitus, ac jam
Tritus, & è medio fortunæ ductus acervo.
Ponamus nimios gemitus: flagrantior æquo
Non debet dolor esse viri, nec vulnere major.
Tu, quamvis levium minimam, exiguamque, malorum
Particulam vix ferre potes, spumantibus ardens
Visceribus, sacrum tibi quòd non reddat amicus
Depositum. Stupet hæc, qui jam post terga reliquit
Sexaginta annos, Fontejo Consule natus?
An nihil in melius tot rerum proficis usu?

urnam coniiciebantur suffragia judicum; quæ recognoscens Prætor, damnatum aliquem, vel absolutum pronunciabant: Prætoris enim erat judiciis preesse. Legitur in quibusdam codicibus; *Fallacem Pretoris vicerit urnam*. Sententia eadem est.

Quid, &c. Qualem putas videri omnibus perfidum illum, qui, per summum scelus, depositum tibi nuper negavit? nempe execrandum ac detestabilem, qui datam tibi fidem violaverit.

Sed nec, &c. Prætereà non adeò exiguæ tibi sunt opes, ut ad egestatem redigi, ut obrui, & mergi dolore debeas ob ejusmodi damnum.

Casus, &c. Communis hic, & usitatus casus est, ut depositum denegetur; nec peculiaris ille tibi, aut summus, sed sumptus è medio veluti acervo vulgarium illorum casuum, quibus homines fortuna vexare quotidie solet.

Flagrantior, &c. Vehementior, quàm res poscat.

Vulnere. Damno, doloris causa.

Spumantibus, &c. Æstuas iracundia.

Sacrum. Quod sanctè conservandum, & reddendum fuerat: quod interposita jurisjurandi fide, & religione promiserat se redditurum.

Stupet, &c. Tune hoc miraris, qui sexagenario major es?

Fontejo. Vixit Fontejus sub Nerone, & Consul fuit anno ab V.C.812. Neronis quinto: A quo tempore annus sexagesimus incidit in annum Adriani tertium, Urbis 872.

An nihil, &c. Nihilne tan-

Magna quidem, sacris quæ dat præcepta libellis,
Victrix fortunæ sapientia. Dicimus autem
Hos quoque felices, qui ferre incommoda vitæ,
Nec jactare jugum, vita didicere magistra.
Quæ tam festa dies, ut cesset prodere furem,
Perfidiam, fraudes, atque omni ex crimine lucrum
Quæsitum, & partos gladio, vel pyxide nummo?
Rari quippe boni; numero vix sunt totidem, quot
Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.
Nunc ætas agitur, pejoraque sæcula ferri
Temporibus; quorum sceleri non invenit ipsa
Nomen, & à nullo posuit natura metallo.

tandem profecisti, & didicisti tam longa experientia, ad meliùs, & fortiùs res adversas ferendas?

Magna, &c. Magnam quidem vim affert ad ferendas res adversas sapientia, quæ fortunam vincit, & in libris philosophicis tam egregia in eam rem dat præcepta; atnon minùs tamen ad hoc juvat, nec minùs felices nos facit experientia vitæ longioris, quæ docet nos colla submittere, & patienter adversa ferre.

Nec jactare, &c. Non ægrè ferre impositam nobis necessitatem multa præter voluntatem patiendi: metaphora ducta à bobus, qui jugum jactant, & excutiunt.

Quæ tam, &c. Nulla dies est tam sacra, in qua non aliquis in furto deprehendatur, in fraude, &c.

Et partos, &c. In qua non aliquis necem alteri afferat, vel gladio, vel veneno in pyxide contento, ut ejus nummos auferat. Pyxis propriè est theca è buxo: sumitur pro qualibet capsula.

Thebarum, &c. Thebæ, civitas erat Græciæ in Bœotia, quæ septem habebat portas. Nilus item ostiis septem in mare devolvitur. Dives appellatur hic, quia ditat Ægyptum, & fœcundat exundans annis singulis.

Nunc ætas, &c. Ætas nostra pejor adhuc est ætate ferrea: neque ullum est metallum, à quo jam denominari possit: est enim ferrum omnium metallorum ultimum. Quatuor vulgò distinguuntur ætates, à metallis quatuor denominatæ; aurea, qua homines probi erant, & sceleris expertes; argentea, qua pristinam probitatem exuere cœperunt; ærea, qua deteriores evaserunt; ferrea, qua nequissimi. Legunt aliqui. *Nona ætas agitur*: quia Græci non tantùm 4. ætates numerabant, ut Latini, sed octo: auream, argenteam, electream, æream, cupream, stanneam, plumbeam, ferream.

Nos

Nos hominum, Divûmque fidem clamore ciemus,
Quanto Fessidium laudat vocalis agentem
Sportula. Dic, senior bulla dignissime, nescis
Quas habeat Veneres aliena pecunia? nescis
Quem tua simplicitas risum vulgo moveat, cùm
Exigis à quoquam, ne pejeret: & putet ullis
Esse aliquod Numen templis, aræque rubenti?
Quondam hoc indigenæ vivebant more, priusquam
Sumeret agrestem, posito diademate, falcem
Saturnus fugiens; tunc, cùm virguncula Juno,
Et privatus adhuc Idæis Jupiter antris;
Nulla super nubes convivia Cælicolarum;
Nec puer Iliacus, formosa nec Herculis uxor
Ad cyathos, & jam siccato nectare tergens

Nos &c. Imploramus Deûm, hominumque fidem.

Quanto &c Quanto clamore clientes, qui à Fessidio patrono suo accipiunt sportulam, eum agentem causas in foro laudant per adulationem. Quid sit sportula, vide Sat. 1.

Dic &c. O Calvine, jam senex, & digne tamen, qui, ut puer, feras bullam; quippe qui non magis, quàm puer, sapias. Erat bulla corculum quoddam, vel aliquid simile ex auro, crystallo, &c. factum, quod è collo puerorum appendebatur.

Veneres. Illecebras. Vide Sat. 5.

Exigis &c. Cùm exigis, ut aliquis hoc sæculo corruptissimo datum jusjurandum servet, ac Deorum tangatur metu.

Rubenti. Victimarum nempe in ea immolatarum sanguine, vel igne, qui ad sacrificia accenditur.

Hoc more. Fidem, & jurisjurandi religionem servabant.

Indigenæ. Primi Italiæ incolæ ex ipsa oriundi, non aliunde orti, ut Romani, qui à Trojanis originem ducebant.

Priusquam &c. Antequam Saturnus, à Jove filio pulsus, in Italiam veniret è Creta insula, ibique corona, & regno exutus, vites, sumpta falce, coleret: idest, ætate aurea.

Privatus. Nondum Rex, in Creta degens, ubi Ida mons.

Puer &c. Ganymedes, filius Trois Regis Ilii, sive Troiæ, qui à Jove raptus est in Cœlum, ut ibi vinum Superis misceret.

Uxor. Hebe, Dea juventutis, quæ Herculi in Cœlum recepto nupsit: hæc, priusquam Ganymedes à Jove raperetur, Superis vina miscebat.

Ad cyathos. Præsto erat

Brachia Vulcanus Liparæa nigra taberna.
Prandebat sibi quisque Deus: nec turba Deorum
Talis, ut est hodie; contentaque sidera paucis
Numinibus, miserum urgebant Atlanta minori
Pondere: nondum aliquis sortitus triste profundi
Imperium; aut Sicula torvus cum conjuge Pluto:
Nec rota, nec furiæ, nec saxum, aut vulturis atri
Pœna; sed infernis hilares sine Regibus umbræ.
Improbitas illo fuit admirabilis ævo:
Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si juvenis vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicumque puer: licèt ipse videret

ad calices Jovi porrigendos.

Et jam &c. Sensus est: nec bibebat Vulcanus in Cœlo nectar; eoque exhausto, seu siccatis poculis, in quibus biberat, non extergebat os brachiis fuligine officinæ suæ nigris.

Liparaa. Lipara est insula in freto Siculo, in qua Vulcanus suas tabernas, seu officinas habere dicebatur.

Sibi. Privatim, domi suę, non in turba cum aliis.

Atlanta. Atlas enim Cęlum, & sidera ferre humeris fingebatur. Fuit Atlas Mauritaniæ Rex Astrologię peritissimus, ideò Cœlum ferre dictus.

Nondum &c. Idest, nondum Neptuno maris imperium sorte contigerat. Fingunt enim poetæ tres Saturni filios, Jovem, Neptunum, & Plutonem, ut orbis universi imperium inter se dividerent, sortes misisse, & Jovi Cœlum, & terram, Neptuno mare, Plutoni Inferos sorte obtigisse.

Sicula &c. Proserpina, Cereris filia, quam Pluto rapuit in Ætna, Siciliæ monte.

Nec &c. Nondum erant apud Inferos statuta supplicia.

Rota. Ixionis, qui apud Inferos rotæ est affixus. Hęc omnia vide apud Virgilium 6. Æneid. & Ovid. 4. Metam.

Furiæ. Tres, scelerum apud eosdem Inferos ultrices.

Saxum. Dicitur Sysiphus ea pęna damnatus, ut saxum in montem perpetuò attollat, quod, ubi ad cacumen est deportatum, sua sponte retro semper devolvitur.

Vulturis. Tytii jecur, & Promethei à vulture laniatur.

Hilares. Erant sui juris, nulli subditæ Regi.

Improbitas &c. Mirum erat illo ævo, si quis foret improbus.

Piandum. Puniendum.

Assurrexerat. Surgendo honorem non exhibuerat.

Licèt. Quamvis ipse puer di-

Plura domi fraga, & majores glandis acervos.
Tam venerabile erat præcedere quattuor annis,
Primaque par adeò sacræ lanugo senectæ.
Nunc, si depositum non inficietur amicus,
Si reddat veterem cum tota ærugine follem,
Prodigiosa fides, & Thuscis digna libellis,
Quæque coronata lustrari debeat agna,
Egregium, sanctumque virum si cerno, bimembri
Hoc monstrum puero, & miranti jam sub aratro
Piscibus inventis, & fœtæ comparo mulæ;
Solicitus, tanquam lapides effuderit imber,
Atque examen apum longa consederit uva

ditiores haberet parentes: glans enim, & fraga hominum tunc cibi, & opes omnes erant.

Præcedere. Superare.

Primaque &c. Et prima lanugo, seu juventus, par erat senectæ; quia, quemadmodùm senes ab omnibus non senibus colebantur, ita & juvenes ab iis, qui forent ætate inferiores.

Veterem follem. Crumenam, sacculum à longo tempore depositum.

Ærugine. Idest: cum tota pecunia, quæ ob longiorem in arca moram, rubigine, ac situ inquinata sit.

Thuscis &c. Digna fidelitas, quæ referatur in libros sacerdotum, & haruspicum Hetruscorum, cum aliis prodigiis. Haruspicina fuit Romam advecta primùm ab Etruria.

Lustrari. Expiari, tanquam monstrum, & prodigium: si quid enim portentosum accidisset, solebant veteres immolare victimas, ut iram Deorum, cujus hæc monstra signum esse videbantur, averterent: coronabant autem feriis victimas.

Bimembri &c. Aliquid mihi videtur esse tam prodigiosum, quàm si puer natus sit cum duplici v. g. capite, vel cum membris partim hominis, partim belluæ, &c.

Miranti &c. Mirum enim esset, si agricola pisces in agro vivos inter arandum inveniret.

Fœtæ &c. Prægnanti; mulæ enim steriles sunt.

Solicitus &c. Si videro civem bonum, & fidum, tam sum solicitus, & ob rei novitatem perturbatus, quàm si lapidibus pluisset.

Atque &c. Prodigii enim instar habebatur, si in templi alicujus tecto consedisset examen apum.

Uva. Idest, in morem uvæ compositum, cùm nempe apes ita glomerant se, ita pedibus inter se nexis junguntur, ut racemi speciem exhibeant.

Culmine delubri; tamquam in mare fluxerit amnis
Gurgitibus miris, & lactis vortice torrens.
Intercepta decem quereris sestertia fraude
Sacrilega; quid si bis centum perdidit alter
Hoc arcana modo? majorem tertius illa
Summam, quam patulæ vix ceperat angulus arcæ?
Tam facile, & pronum est Superos contemnere testes,
Si mortalis idem nemo sciat! Aspice quanta
Voce neget, quæ sit ficti constantia vultus.
Per Solis radios, Tarpejaque fulmina jurat,
Et Martis frameam, & Cyrrhæi spicula vatis?
Per calamos venatricis, pharetramque puellæ,
Perque tuum, pater Ægæi Neptune, tridentem:
Addit & Herculeos arcus, hastamque Minervæ,

Tanquam &c. Ut si, mutatis in lac undis, fluvius aliquis inusitatos illos, & mirabiles fluctus in mare cum impetu torrentis instar, devolveret.

Intercepta. Ablata per fraudem: decem porrò sestertia sunt libræ Turonicæ 1000. Romani verò nummi 230.

Arcana. Fidei alterius clam, & sine testibus commissa.

Hoc modo. Simili perfidia.

Majorem &c. Quid, si tertius aliquis amiserit plusquam ducenta sestertia, immò summam ingentem, quæ vix contineri poterat in arca grandiori?

Facile est. Parum curant scelerati, quòd Deos suorum flagitiorum testes habeant, consciosque, si eadem sua scelera ignorentur ab hominibus.

Neget. Supple, depositum.

Quæ sit &c. Idest, quantam composito ad fraudem vultu constantiam præferat.

Tarpeja. Id est, Jovis Capitolini. Capitolium enim in rupe Tarpeja extructum erat Romæ.

Frameam. Ensem, vel hastam.

Cyrrhæi &c. Tela Apollinis, qui colebatur in urbe Cyrrha, ad radices montis Parnassi.

Calamos &c. Sagittas Dianæ.

Pater Ægæi. Neptunus; Ægæus enim, Athenarum Rex, & pater Thesei, Neptuni filius fuit. Vel, Pater Ægæi, explica, præses, & potens Ægæi maris. Est illud mare inter Græciam, & Asiam minorem.

Addit &c. Jurat etiam per arcum Herculis.

Si

Quidquid habent telorum armamentaria Cœli:
Si verò & pater est: Comedam, inquit, flebile gnati
Sinciput elixi, Pharioque madentis aceto.
Sunt, qui in Fortunæ jam casibus omnia ponunt,
Et nullo credunt mundum rectore moveri,
Natura volvente vices & lucis, & anni;
Atque ideò intrepidi quęcumque altaria tangunt,
Est alius metuens, ne crimen pœna sequatur:
Hic putat esse Deos, & pejerat, atque ita secum:
Decernat, quodcumque volet de corpore nostro
Isis, & irato feriat mea lumina sistro,
Dummodo vel cæcus teneam, quos abnego, nummos.

Si verò &c. Si perfidus ille, qui depositum negat, filios habet.

Comedam &c. Imprecationes sunt pejerantis perfidi. Si fallo, inquit ille, si mentior, faxint Superi, ut mihi filius meus epulandus apponatur, ut olim Thyeste.

Sinciput. Pars est capitis anterior; hic pro capite toto sumitur.

Elixi &c. Cocti, & aceto Phario, id est Ægyptio, conditi. Acetum Ægyptium erat laudatissimum. De Pharo vide Sat. 12.

Sunt, qui &c. Exponit causas, quare homines tam facilè pejerent. Quidam nullos esse Deos credunt, & omnia fieri casu putant, & cœco naturæ impetu.

Vices &c. Diem, & noctem; vel quatuor anni tempestates.

Intrepidi. Idest, nullo Deorum metu, quos negant esse: nullo etiam metu pœnarum impiis debitarum, quæ nullæ sunt, si nulli sunt Superi.

Est alius &c. Putant alii Deos quidem esse: pęnas ab iis infligendas metuunt; sed parati sunt pœnas omnes ferre, modò ditescant.

Secum. Subaudi, cogitat.

Quæcumque &c. Per quemlibet Deum jurant: altaria enim tangere soliti erant, qui jurarent.

Decernat. Statuat de me, de meo corpore, quod libuerit: immittat mihi, quos voluerit morbos. De Iside fit mentio Satyra sexta, & duodecima.

Isis &c. Irata Isis feriat me sistro, & oculos mihi pertundat, cæcum me reddat. Isis enim perjuris maximè infesta esse dicebatur, & eos punire cæcitate.

Sistro. Instrumentum est musicum, instar fistulæ, quo in sacris Isidis utebantur Ægyptii.

Abnego. Nego apud me depositos.

Et phthisis, & vomicæ putres, & dimidium crus.
Sunt tanti. Pauper locupletem optare podagram
Nec dubitet Ladas, si non eget Anticyra, nec
Archigene: quid enim velocis gloria plantæ
Præstat, & esuriens Pisææ ramus olivæ?
Ut sit magna, tamen certè lenta ira Deorum est:
Si curant igitur cunctos punire nocentes,
Quando ad me venient? sed & exorabile Numen
Fortasse experiar: solet his ignoscere; multi
Committunt eadem diverso crimina fato:
Ille crucem pretium sceleris tulit, hic diadema.
Sic animum diræ trepidum formidine culpæ
Confirmat. Tunc te sacra ad delubra vocantem
Præcedit, trahere immò ultro, ac vexare paratus:
Nam cùm magna malæ superest audacia causæ,
Creditur à multis fiducia. Mimum agit ille,

Et Phthisis &c. Morbis omnibus, & pœnis corporis bene, ac meritò emuntur nummi; tanti valent: ita sentit ille perjurus. Phthisis est tabes lenta, qua corpus paulatim atteritur: vomicæ sunt ulcera interiora, apostemata purulenta.

Dimidium. Media parte fractum, sectum, mutilum.

Pauper &c. Sententia est: Ne ipse quidem Ladas (qui athleta fuit velocissimus, sed pauper) dubitaret summæ suæ velocitati podagram præferre, si ipsum divitem factura esset.

Si non &c. Si modò sapit, si non eget helleboro, nec medico. Phrenetici enim curantur helleboro, quod nascitur in Insula Anticyra. Archigenes fuit medicus præstantissimus.

Quid enim &c. Quam habet utilitatem velocitas, & corona ex olivæ ramo, victori data in ludis Olympicis, prope urbem Græciæ Pisam celebratis, si sit cum paupertate conjuncta? si cursor iste cum sua gloria, & corona esuriat, ac fame pereat?

Ut sit. Verba sunt perjuri: Quamvis, inquit, magna sit Deorum ira, tamen est ad puniendum tarda.

His. Tabulis, delictis.

Fato. Eventu, successu.

Confirmat. Corroborat.

Tunc &c. Ita confirmatus perjurus ultro, & sponte ad templum, ubi pejeret, pergit, immò te trahet, ac vocabit, quasi à te injustè accusetur.

Nam cùm &c. Sensus est: cùm enim aliquis in mala causa maximè audax est, & impudens, putatur à multis esse propter innocentiam confidens, ac securus.

Mimum &c. Ille perjurus, instar histrionis, personam ve-

Urbani qualem fugitivus scurra Catulli.
Tu miser exclamas, ut Stentora vincere possis,
Vel potiùs quantùm Gradivus Homericus: Audis
Jupiter hæc, nec labra moves? cùm mittere vocem
Debueras vel marmoreus, vel aheneus? aut cur
In carbone tuo charta pia thura soluta
Ponimus, & sectum vituli jecur, albaque porci
Omenta? ut video, nullum discrimen habendum est
Effigies inter vestras, statuamque Bathylli.
Accipe, quæ contra valeat solatia ferre,
Et qui nec Cynicos, nec Stoica dogmata legit,

veluti quamdam agit, dum vera se dicere tam audacter simulat.

Urbani &c. Ita clamat, ita te calumniatur, ut quidam servus, qui in comœdia à Catullo, urbano, & faceto poeta, scripta, herum vexans, & improbè in jus trahens exhibetur.

Stentora. Fuit Stentor Græcus miles, tantùm voce valens, quantùm alii quinquaginta, Homero teste.

Gradivus. Mars, qui, cùm fuisset à Diomede vulneratus, tantum exclamavit, quantum decem virorum millia. Homer. Iliad. 5.

Audis &c. Verba sunt Calvini in perjurum exclamantis, & Jovem contestantis.

Aut cur &c. Sententia est: cur te, ut Deorum maximum, sacrificiis colimus, si hæc scelera inulta pateris?

In carbone tuo. In ara tua carbonibus operta; in acerra, in qua thus adolemus.

Soluta. Idest, aperta, in qua nempe thus erat involutum.

Omenta. Intestina. Propriè omentum est adeps, quo exta involvuntur.

Bathylli. Citharœdi, & mimi, cui statua posita fuit à Polycrate, Samiorum tyranno, in templo Junonis.

Accipe &c. Audi nunc rationes, quibus tuum solari dolorem possim, ego qui nunquam legi philosophorum libros.

Cynicos &c. Cynici, & Stoici philosophi erant, qui summum bonum ponebant in virtute, quam sufficere ad beatam vitam dictitabant, horum Princeps fuit Zeno: illorum, Antisthenes, Socratis discipulus. Cynici à voce Græca, quæ canem significat, appellati sunt, quòd canum impudentiam, & mordacitatem imitarentur: Stoici, à voce Græca, quæ porticum sonat, quia Zeno in porticu solebat docere.

Stoica dogmata. Idest, sententias, opiniones Stoi-

A Cynicis tunica distantia; non Epicurum
Suspicit, exigui lætum plantaribus horti.
Curentur dubii medicis majoribus ægri:
Tu venam vel discipulo committe Philippi.
Si nullum in terris tam detestabile factum
Ostendis, taceo, nec pugnis cædere pectus
Te veto, nec plana faciem contundere palma:
Quandoquidem accepto claudenda est janua damno;
Et majore domùs gemitu, majore tumultu
Planguntur nummi, quàm funera. Nemo dolorem
Fingit in hoc casu, vestem diducere summam
Contentus, vexare oculos humore coacto:

corùm.

Tunica &c. Dicuntur hìc Stoici à Cynicis tunica tantùm discrepare, quia nempe utriusque sectæ doctrina erat fermè eadem, ut in eo fere tantum differre viderentur, quòd Cynici non uterentur tunica, sed solo pallio; Stoici autem, præter pallium, tunica etiam induerentur.

Non Epicurum &c. Non miratur Epicurū, ejus placita non veneratur. Is summum bonum in voluptate posuisse dicitur, sive in doloris immunitate, ut sanum corpus esset, animus à perturbatione vacuus; hortum colere, & plantaribus, sive oleribus victitare solebat.

Curentur &c. Metaphoricè. Qui graviter, & periculosè ægrotant, adhibeant illi sanè peritissimos medicos; hoc est, qui graviora damna passi sunt, petant à Philosophis solatia: tu, cui tantùm sestertia decem ablata sunt, potes à me curari, ut qui leviter ægrotat, venam aperiendam sine periculo præbere potest etiam alicui discipulo Philippi, medici ea ætate imperiti.

Tam detestabile &c. Quàm facinus in te admissum.

Plana &c. Vultum explicata manu verberare, alapis cædere.

Quandoquidem &c. Et verò jactura pecuniæ censetur gravissimum omnium damnum, quo accepto claudenda sit domùs janua, ut fieri solet in gravi aliquo luctu, & in funere.

Nemo &c. Quando pecuniam aliquis amisit, in hoc casu non fingit dolorem, neque vestem leviter tantùm dividit, seu lacerat, aut fictas mittit lacrymas, quod in cognatorum morte sæpe fit; sed verè, & ex animo amissam pecuniam luget.

Humore coacto. Lacrymis

per

Ploratur lacrymis amissa pecunia veris.
Sed si cuncta vides simili fora plena querela
Si decies lectis diversa in parte tabellis,
Vana supervacui dicunt chirographa ligni,
Arguit ipsorum quos littera, gemmaque princeps
Sardonychus, loculis quæ custoditur eburnis;
Te nunc, delicias, extra communia censes
Ponendum? quia tu gallinæ filius albæ,
Nos viles pulli, nati infelicibus ovis?
Rem pateris modicam, & mediocri bile ferendã,
Si, flectas oculos majora ad crimina. Confer
Conductum latronem, incendia sulphure cæpta,
Atque dolo, primos cùm janua colligit ignes.
Confer & hos, veteris qui tollunt grandia templi

per vim extortis.

Querela. Hominum, qui de simili damno queruntur.

Si decies, &c. Si postquam cautiones, tabellæ, & instrumenta ejusmodi, lecta sunt diversis in locis decem, & obsignata, illi ipsi tamen perjuri homines dicunt vana, & ementita esse chirographa, seu tabellarum subscriptiones. Solebant debitores syngraphas à se dandas creditoribus, quibus fidem suam obligabant ad reddendam pecuniam, l[illegible]gere coram multis testibus, ut res esset creditoribus tutior.

Ligni. Tabellæ. Romani in ligno cera obducto scribebant.

Arguit, &c. Quos tamen perjuros falsum dicere, satis arguit sua ipsorum manus, & signum annulo impressum.

Princeps. Gemma Sardonychus, sive Sardonyx, quæ maximè in annulis, quibus obsignabant tabulas, erat in usu apud Romanos, unde princeps gemma hìc appellatur. Sardonychus autem est nominativus Latinus, factus è genitivo Græco, *Sardonycos*, Legunt alii, *Sardonyche*, ut Penelope,

Te nunc, &c. Te hominem delicatum putas eximendum à communibus casibus, & damnis?

Gallinæ, &c. Hoc proverbium in eos jactatur, qui eximios se, & aliis potiores esse volunt. Quæ alba erant, videbantur aliis præstare, eximia esse.

Bile. Ira, dolore.

Confer, &c. Compara cum tuo damno latrocinium, vel homicidium, quod fit à latrone pecunia ad id conducto.

Primos, &c. Cùm admoto ad januam sulphure, & alio fomite, janua primùm deflagrat.

Qui tollunt. Qui furto sacrilego surripiunt.

Ado-

Pocula adorandæ rubiginis, & populorum
Dona, vel antiquo positas à Rege coronas.
Hæc ibi si non sunt, minor extat sacrilegus, qui
Radat inaurati femur Herculis, & faciem ipsam
Neptuni, qui bracteolam de Castore ducat:
An dubitet, solitus totum conflare Tonantem?
Confer & artifices, mercatoremque veneni,
Et deducendum corio in bovis in mare, cum quo
Clauditur adversis innoxia simia fatis.
Hæc quota pars scelerum, quæ custos Gallicus Urbis,
Usque à Lucifero, donec lux occidat, audit?
Humani generis mores tibi nosse volenti
Sufficit una domus: paucos consume dies, &
Dicere te miserum, postquam illinc veneris, aude.

Adorandæ. Ob vetustatem, qua rubiginem contraxerunt, in pretio habenda majori.

Hæc ibi, &c. Si in templi ejusmodi coronæ non sunt, aut pocula; erunt, qui minora furta, & sacrilegia committant, radant nempe, &c.

Herculis, &c. Idest, statuæ Herculis inauratæ.

Bracteolam, &c. Tenuem laminam è statua Castoris aurea, vel argentea educat, furetur.

Castore. Castor, & Pollux fratres: ille Jovis, & Ledę filius.

An dubitet, &c. Sensus est: an levius aliquod ejusmodi sacrilegium admittere pertimescat, qui, cùm occasio se obtulit, solet ipsam Tonantis, seu Jovis statuam auferre, atque conflare, hoc est, igni liquefacere, ne furtum agnoscatur?

Artifices veneni. Veneficos, qui venena vendunt.

Deducendum, &c. Intelligit parricidam aliquem: parricidæ enim includebantur culeo, qui saccus erat è corio bovis, cum gallo, cane, simia, & serpente, atque ita in mare proiiciebantur.

Adversis fatis. Infeliciter, præter jus, fasq; quippe quæ innocens cum sit, mori cum parricidà jubetur.

Hęc quota, &c. Hęc est minima pars scelerum, quæ quotidie audit Rutilius Gallicus, Præfectus Urbis. Is fuit apud Domitianum valdè gratiosus, judex, & custos Urbis præcipuus ab eo constitutus.

A Lucifero. A summo manè ad vesperam.

Consume, &c. In exquirēdis iis, quę admittuntur una tãtùm in domo, sceleribus.

Aude, &c. Quasi dicat, non aude-

Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? aut quis
In Meroe crasso majorem infante mamillam?
Cærula quis stupuit Germani lumina, flavam
Cæsariem, & madido torquentem cornua cirro?
Nempe quòd hæc illis natura est omnibus una.
Ad subitas Thracum volucres, nubemque sonoram
Pigmæus parvis currit bellator in armis;
Mox impar hosti, raptusque per aera curvis
Unguibus à sæva fertur grue: si videas hoc
Gentibus in nostris, risu quatiare: sed illic,
Quanquam eadem assiduè spectentur prælia, ridet
Nemo, ubi tota cohors pede non est altior uno.
Nullane perjuri capitis, fraudisque nefandæ
Pœna erit? Abreptum crede hunc graviore catena
Protinus, & nostro (quid plus velit ira?) necari
Arbitrio; manet illa tamen jactura, nec unquam

audebis te miserum dicere, cùm alibi graviora videris scelera, & damna, quę alii patiuntur.

Quis tumidum, &c. Sententia est; non debes mirari scelera in eo loco, ubi sunt frequentissima, v.g. Romæ: sicut nemo miratur in Alpibus strumosos homines esse, & tumidis faucibus quia hoc ibi vulgare est; fœminis in Ægypto mamillas esse valdè crassas, & ipsis infantibus majores; in Germania cæruleos oculos viris, & flavos crines, eosque cincinnatos, crispatosque, & inflexos instar cornuum, ac madidos unguentis.

Meroe. Est insula Ægypti intra Nilum. Alpes Galliam ab Italia dividunt.

Cornua. Retortos, & incurvos instar cornuum cirros, seu capillorum cincinnos.

Ad subitas, &c. Contra subitas gruum incursiones, arma sumunt Pygmæi. Grues vocat Thracias volucres, quia multæ sunt in ripa fluvii Strymonis, qui est in limite Thraciæ.

Nubemque sonoram. Turbam gruum, instar nubis imminentium, magno cum strepitu.

Pygmæus. Pygmæos ajunt esse populos, qui longitudinem unius cubiti non excedunt, & magna cum gruibus gerere prælia dicuntur.

Nullane, &c: Ergone, inquit Calvinus, impune erit illi perjuro?

Abreptum, &c. Finge illum hinc in carcerem statim abripi, & tuo necari arbitrio: quid possis optare amplius?

Manet, &c. Non tamen tibi propterea restituetur de-

Depositum tibi sospes erit: sed corpore trunco
Invidiosa dabit minimus solatia sanguis.
At vindicta bonum vita jucundius ipsa.
Nempe hoc indocti, quorum precordia nullis
Interdum, aut levibus videas flagrantia causis;
Quantulacumque adeò est occasio, sufficit iræ.
Chrysippus non dicet idem, nec mite Thaletis
Ingenium, dulcique senex vicinus Hymetto,
Qui partem acceptæ sæva inter vincla cicutæ
Accusatori nollet dare. Plurima felix,
Paulatim vitia, atque errores exuit omnes,
Prima docens rectum sapientia: quippe minuti
Semper, & infirmi est animi, exiguique voluptas,
Ultio: continuò sic collige, quòd vindicta
Nemo magis gaudet, quàm fœmina. Cur tamen hos tu
Evasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit,

depositum.

Sed corpore, &c. Sed levem dumtaxat consolationem, & invidiæ plenam acciperes, ex sanguine scilicet, qui ab ejus corpore lacerato flueret.

At vindicta, &c. Reponit Calvinus: Suave est ulcisci.

Nempe, &c. Respondet Juvenalis: Nempe hoc imperiti sentiunt, quibus vel minima occasio sufficit ad iram concipiendam.

Chrysippus, &c. At non idem sentit Chrysippus, Stoïcus philosophus, homo mitissimus; nec non Thales, unus è septem Græciæ sapientibus.

Senex, &c. Socrates, Athenis natus; quæ civitas non procul abest ab Hymetto monte, ob sua mella nobili.

Qui partem, &c. Qui adeò fuit mansuetus, ut suo accusatori noluisset dare partem cicutæ, idest, veneni, quo in carcere extinctus est. Socrates enim hausto in carcere veneno periit, accusatus ab Anyto homine seditioso, & locuplete, quasi non rectè de Diis sentiret.

Plurima, &c. Sapientia, quæ felices homines facit, & quod rectum est, docet, ex eorum animis vitia plurima, & falsas opiniones eximit.

Minuti. Parvi, debilis.

Continuò, &c. Idest, vel inde concludas licet, ultionem esse animi exigui signum, quòd ea maximè fœminæ delectantur.

Evasisse. Carere omni pœna, inultum scelus ferre.

Quos, &c. Quiconscientia

Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Pœna autem vehemens, ac multò sævior illis,
Quas & Cæditius gravis invenit, aut Rhadamanthus,
Nocte, dieque suum gestare in pectore testem.
Spartano cuidam respondit Pythia vates,
Haud impunitum quondam fore, quòd dubitaret
Depositum retinere, & fraudem jure tueri
Jurando: quærebat enim, quæ Numinis esset
Mens, & an hoc illi facinus suaderet Apollo:
Reddidit ergo metu, non moribus, & tamen omnem
Vocem adyti dignam templo, veramque probavit
Extinctus tota pariter cum prole, domoque,
Et quamvis longa deductis gente propinquis.

tia mala vexantur, & ab ea, ut occulto tortore, agitantur flagello tacito, & torquentur.

Pœna autem, &c. Ordo est: gestare suum testem in pectore diu, noctuque, est pœna vehemens, & longè illis sævior, quas &c.

Cæditius. Judex quidam Romanus severissimus.

Rhadamanthus. Judex inferorum, cum Æaco, & Minoe.

Spartano, &c. Narrat hoc Herodotus l.6 & Lacedæmonio illi nomen fuisse Glauco docet: qui cùm negaret depositam apud se ab amico quodam Milesio pecuniam, oraculum Delphicum consuluit, an jure jurando pecuniam prædaretur? Pythia sacerdos Apollinis respondit, ipsum, eo quòd pejerare decrevisset, cum tota familia periturum. Glaucus veniam à Numine petiit, & depositum reddidit; ipse tamen paulò post cum universa familia extinctus est.

Pythia. Mulier, Apollinis Delphici sacerdos, per quam reddebat oracula. Dictus est autem Apollo, Pythius à serpente Pythone, quem occidit.

Haud, &c. Puniendum ipsum aliquando, vel ea de causa tantùm, quòd de retinendo deposito cogitasset.

Quærebat. Ab oraculo Delphico.

Facinus. Depositũ nempe retinere. Negavit Apollo id licere, & minas graves addidit, quibus permotus Glaucus reddidit depositũ.

Moribus. Amore virtutis.

Et tamen, &c. Veram esse, dignamque Deo oraculi vocem, suo, suorumq; omniũ exitio comprobavit.

Adyti. Adytum est pars interior templi, in quam non licet cuilibet subire.

Quamvis, &c. Licèt illi pro-

Has patitur pœnas peccandi sola voluntas,
Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet. Cedò, si conata peregit?
Perpetua anxietas, nec mensæ tempore cessat;
Faucibus ut morbo siccis, interque molares
Difficili crescente cibo: sed vina misellus
Expuit; Albani, veteris pretiosa senectus
Displicet: ostendas melius, densissima ruga
Cogitur in frontem, velut acri ducta Falerno.
Nocte brevem si fortè indulsit cura soporem,
Et toto versata toro jam membra quiescunt:
Continuò templum, & violati Numinis aras,
Et (quod præcipuis mentem sudoribus urget)
Te videt in somnis: tua sacra, & major imago
Humanà, turbat pavidum, cogitque fateri.
Hi sunt, qui trepidant, & ad omnia fulgura
pallent,
Cùm tonat, exanimes primo quoque murmu-
re Cœli;

propinqui ampla in familia bene multi essent.

Gente. Familia, stirpe.

Facti, *&c.* Perinde innocens est, ac si scelus fecisset.

Cedò, *&c.* Sensus est; si ea peregit, quæ conatus, & meditatus fuerat, quanam putas eum pœna plecti? scilicet urget hominē anxietas perpetua, &c.

Faucibus, *&c.* Perinde, ac si morbo, & febri laboraret, ita præ metu, & anxietate siccas fauces habet, ut vix cibum deglutire possit. Quare manet inter molares dentes cibus, & ibi videtur crescere, cùm semper ingestus non traiiciatur. Porrò molares sunt dentes maiores, à cibo molendo dicti.

Albani, *&c.* Vinum pretiosissimum, & vetustissimum, in Albanis montibus natum, illi displicet: si aliud vinum etiam suavius ipsi porrigas, illud contracta in rugas fronte respuit, quasi acetum Falernum, seu vinum jam corruptum biberet.

Si fortè, *&c.* Si fortè illa, qua torquetur, anxietas brevem ipsi somnum permittit; & ejus membra, quæ diu in lectulo huc, illuc agitavit, tandem quiescunt.

Sacra. Minitans, terribilis. Humana major: quasi umbræ, & furiæ alicujus.

Primò, *&c.* Non tantùm cùm graviùs tonat, sed cùm levis procella murmur edit.

Fateri. Supple, suum crimen.

Non

Non quasi fortuitò, nec ventorum rabie, sed
Iratus cadat in terras, & vindicet ignis.
Illa nihil nocuit; cura graviore timetur,
Proxima tempestas, velut hoc dilata sereno.
Prætereà, lateris vigili cum febre dolorem
Si cœpere pati, missum ad sua corpora morbum
Infesto credunt à Numine, saxa Deorum
Hæc, & tela putant; pecudem spondere sacello
Balantem, & Laribus cristam promittere galli
Non audent. Quid enim sperare nocentibus ægris
Concessum? vel quæ non dignior hostia vità?
Mobilis, & varia est fermè natura malorum:
Cùm scelus admittunt, superest constantia: quid fas,
Atque nefas, tandem incipiunt sentire peractis
Criminibus: tamen ad mores natura recurrit
Damnatos fixa, & mutari nescia. Nam quis
Peccandi finem posuit sibi? Quando recepit
Ejectum semel attrita de fronte ruborem?

Non quasi, &c. Quasi non casu, & ventorum, nubiumque conflictu tonet, ac fulguret, sed certo Numinis irati consilio, ignis fulmineus, ut eum puniat, immittatur.

Illa, &c. Si prima tempestas non nocuit, proximam majori anxietate timet; quasi hac die serena, & tranquilla, gravior alia quædam tempestas tantùm differatur.

Vigili. Quæ ipsi somnum eripiat.

Saxa, & tela. Quibus nocentes percutiunt.

Balantum, &c. Non audent promittere se sacrificaturos ovem, aut gallum Diis Laribus.

Quid enim, &c. Quid enim sperent ab iratis ob ipsorum scelera Numinibus: quæ victima non est dignior vivere, quàm illi scelerati?

Mobilis, &c. Homines mali laborant inconstantia: cum scelus admittunt, audacia ipsis multa est; post facinus peractum, pavidi, & attoniti sunt: tunc intelligunt, quid sit fas, & nefas, quidnam sit inter virtutem, & vitium discrimen, & tamen, abripiente eos natura ad malū, veluti necessitate quadam compulsi, redeunt ad sua scelera, quæ condemnaverant ipsi, & detestati erant.

Quando, &c. Quis unquā postquam semel frontē perfricuit, hoc est, pudorem omnem abjecit, depositum pudorē visus est recepisse?

Attrita.

Quisnam hominum est, quem tu contentum videris uno
Flagitio? Dabit in laqueum vestigia noster
Perfidus, & nigri patietur carceris uncum,
Aut maris Ægæi rupem, scopulosque frequentes
Exulibus magnis: pœna gaudebis amara
Nominis invisi, tandemque fatebere lætus
Nec surdum, nec Tiresiam quemquam esse Deorum.

Attrita. Erubescere nescia, perfricta.

Dabit, &c. Sensus est: perfidus ille, qui depositam pecuniam tibi furatus est, deprehendetur in aliquo alio scelere, & veluti laqueo capietur: metaphora ducta à belluis, quæ laqueo implicantur.

Patietur, &c. In carcerem unco trahetur, ut moris erat reos in carcerem, & ad supplicii locum trahere; vel, in carcerem conjectus, ibi unco ferreo constringetur.

Aut maris, &c. Aut in insulam aliquam maris Ægæi exul ibit.

Frequentes. Frequentatos, & plenos sceleratis exulibus, & famosis.

Nominis. Perfidi, & invisi tibi hominis.

Tiresiam. Idest, cæcum, ut fuit Tiresias, famosus ille vates Thebanus.



S A-

SATYRA XIV.

Quàm sanctè pueri sint educandi.

PLurima sunt, Fuscine, & fama digna sinistra,
Et nitidis maculam, ac rugam figentia rebus,
Quæ monstrant ipsi pueris, traduntque parentes.
Si damnosa senem juvat alea, ludit & hæres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.
Nec meliùs de se cuiquam sperare propinquo
Concedit juvenis, qui radere tubera terræ,
Boletum condire, & eodem jure natantes
Mergere ficedulas didicit nebulone parente,
Et cana monstrante gula. Cùm septimus annus
Transierit puero, nondum omni dente renato,
Barbatos licèt admoveas mille inde magistros,
Hinc totidem cupiet lauto cœnare paratu

Plurima, &c. Multa sunt meritò reprehendenda, & castis, purisque moribus turpitudinis labem inurentia, quæ parentes ipsi docent suos filios.

Si damnosa, &c. Si pater aliquis jam senex alea delectatur; illius filius, & hæres eumdem ludum ludit.

Bullatus. Puer adhuc, & bullam collo gestans. De bulla, vide Sat. 13. vers. 33. & sub finem Sat. 5.

Eadem arma. Talos, tesseras.

Fritillo. Fritillus est vasculum oblongum instar turriculæ, in quod immittuntur, & agitantur tesseræ, mox in tabulam lusoriam effunduntur.

Nec meliùs, &c. Sensus est: Juvenis aliquis, qui à parente sene intemperantiam didicit, nullam spem propinquis suis relinquit, fore ut meliùs, temperantiùsque aliquando, quàm pater suus, vivat.

Tubera terræ. Fungi sunt, inter quos boleti præstantissimi habebantur. Radere autem est expurgare, corticem detrahere.

Jure. Condimento, pulmento.

Ficedulas. Sunt aves exquisiti saporis, ita dictæ, quòd maximè ficubus vesci ament.

Cana gula. Parente sene guloso.

Renato. Infantibus enim dentes anno septimo excidunt, & in priorum locum alii postea renascuntur.

Barbatos. Graves, & severos Philosophos; illi enim barbam alebant.

Hinc totidem. Ex alia parte alios mille præceptores.

Semper, & à magna non degenerare culina,
Mitem animum, & mores modicis erroribus æquos
Præcipit? atque animos servorum, & corpora nostra
Materia constare putat, paribusque elementis?
An sævire docet Rutilus? qui gaudet acerbo
Plagarum strepitu, & nullam Sirena flagellis
Comparat, Antiphates trepidi laris, ac Polyphemus?
Tum felix, quoties aliquis, tortore vocato,
Uritur ardenti, duo propter lintea, ferro?
Sic natura jubet: velociùs, & citiùs nos
Corrumpunt vitiorũ exempla domestica, magnis
Cùm subeant animos auctoribus. Unus, & alter
Forsitan hæc spernant juvenes, quibus arte benigna,

Et à magna, &c. Idest, non deflectere à paterno luxu; atque, ut pater, culinam habere exquisitis obsoniis instructam.

Mitem animum, &c. Sensus: pater crudelis, dum in servos flagellis sævit, quæso, an præcipit, & docet pueros humanitatem, an potiùs sævitiam?

Atque, &c. Putatne servorum, quos tam dirè cædit, animos ex eadem origine procreatos, corpora ex eadem materia, & carne constare, ex qua suum constat?

Rutilus. Romanus quidam, notæ in servos suos crudelitatis.

Nulla Sirena, &c. Qui Sirenum cantu longe dulciorem esse putat flagellorum, plagarumque servis inflictarum strepitum.

Antiphates, &c. Qui domus suæ non tam dominus est, quàm carnifex; Antiphatæ similis, Regis Læstrigonum crudelissimi, de quo Homer. Odys. lib. 10. item similis Polyphemo, qui socios Ulyssis devoravit. Virg. Æneid. lib. 3.

Laris. Domus Lares Dii erant domestici: sæpè pro ipsa domo sumuntur.

Tum felix, &c. Qui tum se beatum putat, quoties alicui servo, qui duo lintea furatus fuerit, inuri à tortore notam in fronte candenti ferro jubet.

Sic, &c. Ita insitum est à natura.

Magnis, &c. Cùm in animos demittantur ab ipsis parentibus; qui vitiis, quæ ipsi faciunt, magnam auctoritatem, & pondus conciliant apud liberos.

Hæc. Vitiorum exempla.

Quibus, &c. Idest; quibus pro-

Et meliore luto finxit præcordia Titan:
Sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt,
Et monstrata diu veteris trahit orbita culpæ.
Abstineas igitur damnandis: hujus enim vel
Una potens ratio est, ne crimina nostra sequantur
Ex nobis geniti: quoniam dociles imitandis
Turpibus, ac pravis omnes sumus, & Catilinam
Quocumq; in populo videas, quocumque sub axe;
Sed nec Brutus erit, Bruti nec avunculus usquam.
Nil dictu fœdum, visuque hæc limina tangat;
Maxima debetur puero reverentia: si quid
Turpe paras, ne tu pueri contempseris annos:
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.
Nam si quid dignum Censoris fecerit ira
Quandoque, & similem tibi se non corpore tantùm,
Nec vultu dederit, morum quoque filius; & cùm
Omnia deteriùs tua per vestigia peccet;

proclivjorem ad virtutem indolem natura dedit.

Titan. Sol, qui non parum confert ad corporum temperationem; vel Prometheus filius Japeti, unius è Titanibus, qui homines è luto finxit.

Sed reliquos, &c. Sed alios mala, & fugienda parentum exempla in vitia pertrahunt.

Orbita. Propriè vestigium est, & sulcus a rota humi impressus: hìc sumitur pro pravo exemplo.

Damnandis. A vitiis, quæ meritò damnanda sunt.

Dociles. Proni sumus ad imitanda scelera.

Catilinam, &c. Idest: quique scelerati multi reperiũtur, qualis Catilina fuit.

Sed nec, &c. Sed boni sunt pauci, Bruto, & ipsius avunculo Catoni similes. Cato frater erat Serviliæ, Bruti matris. De Catilina est mentio Sat. 2. & 8. de Bruto, Sat. 4. De Catone, Sat. 2. & 11.

Paras. Vis admittere.

Ne, tu &c. Noli respicere pueri ætatem teneram, quasi nondum idoneam ad peccandum, ignaram, expertemque sceleris; at cave potiùs, ne imitetur olim, quæ tu coram ipso feceris: & ea te cogitatio à scelere deterreat.

Dignum, &c. Aliquid sceleris, quod meritò à Censore damnetur, & emendetur. Censores præerant moribus civium emendandis.

Quandoque. Aliquando, olim.

Morum quoque filius. Heres tuorum etiam vitiorum, & moribus similis.

Tua per, &c. Exemplo tuo.

Corripies nimirum, & castigabis acerbo
Clamore, ac post hæc tabulas mutare parabis?
Unde tibi frontem, libertatemque parentis,
Cùm facias pejora senex? vacuumque cerebro
Jampridem caput hoc ventosa cucurbita quærat?
Hospite venturo, cessabit nemo tuorum:
Verre pavimentum, nitidas ostende columnas,
Arida cum tota descendat arenea tela,
Hic lavet argentum, vasa aspera tergeat alter;
Vox domini fremit instantis, virgamque tenentis.
Ergo miser trepidas, ne stercore fœda canino
Atria displiceant oculis venientis amici,
Ne perfusa luto sit porticus, & tamen uno
Semodio scobis hæc emendat servulus unus:
Illud non agitas, ut sanctam filius omni
Aspiciat sine labe domum, vitioque carentem?

Corripies, &c. Eum tunc emendare, & castigare cogitabis?

Tabulas, &c. Minaberis te tabulas testamenti mutaturum, & alios scripturum hæredes?

Unde tibi, &c. Unde tibi sumes frontem illam plenam gravitatis, libertatemque, qua severi parentes filios objurgare solent? qua fronte id audebis?

Vacuumque, &c. Idest: cùm jamdudum ob vitia tua insanias: phrenetici enim curantur educto è capite per cucurbitam sanguine. Est autem cucurbita, ut hìc sumitur, vitreum, aut æneum vas, inane, & vacuum, instar fructus illius, qui cucurbita dicitur, in quo, ex incisa capitis carne sanguis vitiosus, vi ignis in cucurbitam immissi, exprimitur.

Cessabit. Si te hospes domi tuæ conveniat, tui omnes servi erunt occupati in verrenda domo, & paranda.

Verre, &c. Ordo est: vox domini fremit, idest, magno fremitu inclamat unumquemque servorum, Verre pavimentum, &c.

Nitidas ostende. Absterge.

Descendat. Scopis deiiciatur.

Lavet. Quidam legunt, *leve*, nempe pocula non cælata, polita.

Aspera. Figuris, & signis, quibus ornata, & cælata sunt.

Virgamque tenentis. Qua minetur, & verberet.

Semodio scobis. Dimidio modio ramentorum ligni. Scobs significat pulverem, qui è ligno, vel metallis, serra, aut frictu crebro deteritur, ac raditur.

Agitas. Provides, cogitas.

Gratum est, quòd patriæ civem, populoque dedisti,
Si facis ut patriæ sit idoneus, utilis agris,
Utilis, & bellorum, & pacis rebus agendis.
Plurimum enim intererit, quibus artibus, & quibus hunc tu
Moribus instituas. Serpente ciconia pullos
Nutrit, & inventa per devia rura lacerta:
Illa eadem sumptis quærunt animalia pennis.
Vultur jumento, & canibus, crucibusque relictis,
Ad fœtus properat, partemque cadaveris affert:
Hic est ergo cibus magni quoque vulturis, & se
Pascentis propria, cùm jam facit arbore nidos.
Sed leporem, aut capream famulæ Jovis, & generosæ
In saltu venantur aves: tunc præda cubili
Ponitur: inde autem cùm se matura levarit
Progenies, stimulante fame, festinat ad illam,
Quam primùm rupto prædam gustaverit ovo.
Ædificator erat Centronius, & modò curvo
Littore Cajetæ, summa nunc Tiburis arce,

Gratum est, &c. Placet, quòd auxeris patriam uno cive, dum illi tuum filium dedisti; sed eum fac, ut bonum civem reddas.

Sumptis pennis. Cùm grandiores jam è nido evolant.

Eadem animalia. Lacerta, ac serpentes, quibus in nido à parentibus nutriti sunt.

Jumento. Jumenti cadavere.

Crucibus. Patibulis, in quibus homines suspensi à vulture laniantur.

Ad fœtus, &c. Ad pullos suos redit, cum parte aliqua cadaveris, quam illis affert.

Hic est, &c. Vultur, cùm factus est magnus, & jam ipse sibi cibum quærit, cũ jam suum ipse nidum facit, eodem se nutrit cibo, quo educatus est, cùm esset pullus.

Famulæ Jovis. Aquilæ, quæ Jovis fulmina gestare dicuntur.

Generosæ aves. Ut milvi, accipitres.

Prœda, &c. Idest; in nido pullis prędam suam apponit.

Cùm se, &c. Cùm nido egressi fuerint pulli, jam quærendo cibo habiles, & maturi.

Rupto ovo. Cùm primùm educti sunt pulli, rupto ovo, in quo continebantur.

Cajeta. Urbs est Italiæ, in littore maris Tyrrheni sita.

Tiburis arce, &c. Tibur. enim,

Nunc Prænestinis in montibus alta parabat
Culmina villarum, Græcis, longèque petitis
Marmoribus, vincens Fortunæ, atque Herculis
ædem.
Dum sic ergo habitat Centronius, imminuit rem,
Fregit opes: nec parva tamen mensura relictæ
Partis erat, totam hanc turbavit filius amens,
Dum meliore novas attollit marmore villas.
Quidam sortiti metuentem Sabbata patrem,
Nil præter nubes, & Cœli Numen adorant;
Nec distare putant humana carne suillam:
Romanas autem soliti contemnere leges,
Judaicum ediscunt, & servant, ac metuunt jus,
Tradidit arcano quodcumque volumine Moses.
Sed pater in causa, cui septima quæque fuit lux

enim, & Præneste urbes sunt in montibus sitæ, haud longè ab urbe Roma, nunc *Tivoli, Palestrina*.

Alta, &c. Idest; magnificas, excelsasque villas ædificabat.

Græcis. Petebatur enim è Laconia, Græciæ parte, marmor viride pretiosissimum.

Vincens, &c Hoc est majori sumptu, & ornatu villas extruebat, quàm extructa sint ipsa Herculis, & Fortunæ templa, quæ in Prænestina, & Tiburtina urbe, item in Romana erant.

Imminuit, &c. Magnam patrimonij partem dilapidavit, & absumpsit.

Turbavit. Perdidit, dissipavit.

Quidam, &c. Sensus est: multi, quia eorum parentes Sabbatum colebant, id est, religionem Judaicam profitebantur, ipsi quoque nihil præter nubes adorant, & quoddam Cœli Numen; hoc est, eamdem & ipsi religionem colunt. Erat dies Sabbati singulis hebdomadis festus apud Judæos. Dicebantur iidem illi nubes adorare; non quòd reverà adorarent, sed quia, erecto in Cœlum vultu, ejus opificem Deum venerabantur.

Nec distare, &c. Judæis enim vetitum erat porco vesci, & ab eo tam abstinebant, quàm ab humana carne.

Jus. Leges, & cæremonias.

Arcano. Libros enim Moysis, magni illius Hebræorum legislatoris, Judæi non evulgabant.

Volumine. Pentateuchum appellant, Græca voce, quia libros quinque à Moyse scriptos continet.

Sed pater, &c. Sed pater in causa est, cur filius leges Mosaicas servet.

Ignava, & partem vitæ non attigit ullam.
Sponte tamen juvenes imitantur cætera, solam
Inviti quoque avaritiam exercere jubentur:
Fallit enim vitium specie virtutis, & umbra;
Cùm sit triste habitu, vultuque, & veste severum.
Nec dubiè, tanquam frugi, laudatur avarus;
Tanquam parcus homo, & rerum tutela suarum
Certa magis, quàm si fortunas servet easdem
Hesperidum serpens, aut Ponticus. Adde, quòd hunc, de
Quo loquor, egregium populus putat, atque verendum
Artificem; quippe his crescunt patrimonia fabris;
Sed crescunt, quocumque modo, majoraque fiunt
Incude assidua, semperque ardente camino.
Et pater ergo animi felices credit avaros,
Qui miratur opes, qui nulla exempla beati

Ignava, *&c.* Idest, qui Iudæorum more, die Sabbati nihil egit, & ab omnibus operibus, quæ in vita exercentur, v. gr. à mercatura facienda, &c. septima die hebdomadæ abstinuit.

Cætera. Ludum, gulam.

Inviti. Quia juvenes natura sunt liberales, & prodigi.

Fallit, *&c.* Hoc enim vitium, nempe avaritia, specie virtutis decipit homines, virtus putatur esse.

Tanquam frugi. Tanquā homo fragilis, & abstinens.

Rerum tutela. Laudatur avarus, quòd opes suas meliùs tueatur, quàm si eas servaret pervigil ille serpens, qui aurea Hesperidū poma servabat, aut ille alter draco, qui aureum vellus apud Colchos in Ponto, quæ est regio Asiæ minoris) custodiebat; qui ab Jasone sopitus est, Medea juvante. Ovid. 7. Metam.

Hunc. Avarum.

Verendum artificem. In honore habendum, ut hominem navum, & industrium.

Quippe, *&c.* Sensus est: nec mirum, si laudatur, ut periti artifices, quippe qui divitias norunt arte sua augere, & extendere.

Quocumque modo. Per fas, & nefas; bonis, malisque artibus.

Incude, *&c.* Assidua cura, labore, ac studio colligendarum opum: metaphora ducta à fabris, qui assiduè cudendo ferrum extendunt.

Animi felices. Fortunatos: Græca locutio est.

Qui nulla, *&c.* Hoc est, qui

Pauperis esse putat; juvenes hortatur, ut illam
Ire viam pergant, & eidem incumbere sectæ.
Sunt quædam vitiorum elementa; his protinus illos
Imbuit, & cogit minimas ediscere sordes:
Mox acquirendi docet insatiabile votum.
Servorum ventres modio castigat iniquo
Ipse quoque esuriens. neque enim omnia sustinet unquam
Mucida cærulei panis consumere frusta,
Hesternum solitus medio servare minutal
Septembri, nec non differre in tempora cœnæ,
Alterius conchem, æstivi cum parte lacerti

qui nullum extitisse unquam pauperem beatum putat.

Illam ire viam. Eamdem avaritiam sectari.

Et eidem, &c. Et eidem quasi professioni, & studio avaritiæ insistere, exempla avarorum sequi, & illorum veluti disciplinam amplecti.

Sunt, &c. Elementa sunt quædam principia, & tyrocinia avaritiæ, quibus patres avari filios protinus, id est, à primis annis imbuunt.

Cogit minimas, &c. Non statim ad extremas avaritiæ sordes filium deducit, sed velut per gradus: primò enim docet ea, quæ in avaritia minimè sordida sunt; tum quæ sordidissima.

Sordes. Avari vulgò appellantur sordidi.

Servorum, &c. Nutrit parcè suos servos, & coercet, attenuat, plectit eorum ventres fame, illis nempe frumenti, & ciborum modium, seu mensuram iniquam, id est minorem, quàm par sit, distribuens. Certos enim frumenti modios in singulos menses servi à dominis solebant accipere.

Ipse quoque, &c. Nec servos tantùm, sed & seipsum fame enecat.

Neque enim, &c. Tanti enim est avaritiæ, ut non ausit comedere omnia, quæ habet, mucidi, & jam corrupti panis frustula; sed partem illorum in crastinum reservet.

Cærulei. Est iste color mucoris, & situs in pane.

Minutal. Est condimentum quoddam è cibis minutatim concisis.

Septembri. Quo mense, ob calorem, qui Romæ tunc etiam magnus est, cibi facilè corrumpuntur.

Nec non, &c. Et in hanc, hodiernam, v. g. cœnam, alterius, sive hesternæ cœnæ conchem, hoc est, fabam coctam, & elixam servare.

Lacerti. Pisciculi, æstate calida cocti, quo tempore faci

Signatam, vel dimidio, putrique siluro;
Filaque sestivi numerata includere porri:
Invitatus ad hæc aliquis de ponte, negabit.
Sed quò divitias hæc per tormenta coactas;
Cùm furor haud dubius, cùm sit manifesta phrenesis,
Ut locuples moriaris, egentis vivere fato?
Intereà pleno cùm turget sacculus ore,
Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit,
Et minùs hanc optat, qui non habet. Ergo paratur
Altera villa tibi, cùm rus non sufficit unum,
Et proferre libet fines: majorque videtur,
Et melior vicina seges; mercaris & hanc, &
Arbusta, & densa, montem, qui canet oliva,
Quorum si pretio dominus non vincitur ullo;
Nocte, boves macri, lassoque famelica collo;
Armenta, ad virides hujus mittentur aristas;
Nec priùs inde domum, quàm tota novalia sævos.

facilè obsonia putrescunt.
Signatam. In arca observata, & sigillo munita clausam, ne quis tam exquisitos scilicet cibos furetur.
Siluro. Vili pisciculo.
Sectivi. Quod in varias particulas oblongas, ut filum, scinditur.
Numerata. Idest, quæ porri fila numerat, antequam includat, ne quis scilicet servus ea furetur.
Invitatus, &c. Famelicus mendiculus, ad istas epulas si invitetur, recusabit.
Aliquis de ponte. Aliquis mendicus; in pontibus enim solent illi mendicare.
Sed quo, &c. Quorsum, quo consilio colligis opes tanto labore? Nonne insani hominis est vivere miserè, & mendici more, ut dives moriaris?
Phrenesis. Dementia.
Intereà, &c. Dum per has sordes sacculum, idest, crumenam, implet pecunia,
Proferre, &c. Extendere agrorum limites.
Et melior, &c. Ager vicini videtur tibi uberior; quàm tuus.
Canet. Candidus est: oleę enim folia albicant.
Si pretio, &c. Si non potest induci ullo pretio, ut ea vendat.
Lassoque, &c. Quòd diu jugo subjecta colla habuerint; ut inde per laborem contracta sit fames.
Domum. Supple, reducuntur.
Quàm tota, &c. Idest,

In ventres abeant, ut credas falcibus actum.
Dicere vix possis, quàm multi talia plorent.
Et quot venales injuria fecerit agros.
Sed qui sermones? quàm fœdæ buccina famæ?
Quid nocet hoc, inquit? tunicam mihi malo lupini,
Quàm si me toto laudet vicinia pago,
Exigui ruris paucissima farra secantem.
Scilicet & morbis, & debilitate carebis,
Et luctum, & curam effugies, & tempora vitæ
Longa tibi post hæc fato meliore dabuntur,
Si tantum culti solus possederis agri,
Quantum sub Tatio populus Romanus arabat.
Mox etiam fractis ætate, ac Punica passis
Prælia, vel Pyrrhum immanem, gladiosque Molossos,
Tandem pro multis vix jugera bina dabantur

quàm tota seges ab famelicis armentis ita depasta sit, ut si falcibus fuisset succisa.

Novalia. Agri culti, & sati. Propriè novale est ager, qui alternis annis seritur, & novatur aratro.

Et quot, &c. Et quàm multi fuerint per avari injuriam, & malas artes coacti suos agros illi vendere.

Sed qui, &c. Sensus est: sed quid homines de avaro dictitant? quàm male apud omnes audit?

Quid nocet, &c. Verba sunt avari respondentis.

Tunicam, &c. Malim habere putamen, & siliquam oleris vilissimi, qualis est lupinus, quàm famam excellentem cum paupertate.

Farra. Si parum frumenti ex angusto agro colligam.

Scilicet, &c. Verba sunt Poetæ avaro respondentis.

Quantum. Quantum populus Romanus recens conditus possidebat.

Tatio. Rege Sabinorum, qui socius imperii à Romulo ascitus est.

Mox etiam, &c. Consecutis deinde temporibus, Romanis militibus jam senibus, & bello attritis, ager modicus dabatur mercedis loco, &c.

Punica. Bella cum Carthaginiensibus gesta.

Pyrrhum. Cum Pyrrho, Rege Epirotarum, Romani gravia bella gesserunt. Molossi sunt populi ejusdem Epiri. Pars est Græciæ, ad occasum.

Jugera. Jugerum est pars agri tanta, quantam arare per diem potest jugum boû, seu duo boves aratro juncti.

Vulneribus: merces ea sanguinis, atque laboris;
Nullis visa unquam meritis minor, aut ingratæ
Curta fides patriæ: saturabat glebula talis
Patrem ipsum, turbamque casæ, qua fęta jacebat
Uxor, & infantes ludebant quatuor, unus
Vernula, tres domini: sed magnis fratribus horum
A scrobe, vel sulco redeuntibus, altera cœna,
Amplior, & grandes fumabant pultibus ollæ
Nunc modus hic agri nostro non sufficit horto
Inde ferè scelerum causæ; nec plura venena
Miscuit, aut ferro grassatur sæpius ullum
Humanæ mentis vitium, quàm sæva cupido
Immodici census: nam dives qui fieri vult,
Et citò vult fieri. Sed, quæ reverentia legum?
Quis metus, aut pudor est unquam properantis avari?
Vivite contenti casulis, & collibus istis,
O pueri, Marsus dicebat, & Hernicus olim,
Vestinusque senex; panem quæramus aratro,
Qui satis est mensis; laudant hoc Numina ruris,
Quorum ope, & auxilio, gratæ post munus aristæ,
Contingunt homini veteris fastidia quercus.

Curta, &c. Exigua, mutila: nulli tunc videbatur ingrata, nulli minùs liberalis, & fidelis patria.

Saturabat, &c. Ager exiguus, militi in mercedem attributus, alendæ toti familiæ satis erat.

Turbam. Filios, servos, &c.

Vernula. Servulus. Verna est propriè ancillæ filius.

A scrobe. Idest, domum revertentibus post laborem rusticum, post scrobes, seu fossas; in quas vites novellæ, aut aliæ plantæ demitterentur, confectas; post sulcos aratro ductos per humum, in terra colenda.

Altera. Diversa nempe à priori, quę pueris data erat.

Inde. Ex avaritia, & habendi cupiditate.

Properantis. Citò ditescere cupientis.

Marsus. Marsi, Hernici, Vestini, erant antiqui Italiæ populi, frugales, & moderati.

Qui satis est mensis. Quantum ad victum sufficit.

Hoc. Istam frugalitatem.

Post, &c. Post inventum frumentum, & panem.

Contingunt, &c. Homines,

Nil vetitum fecisse volet, quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi, qui summovet Euros
Pellibus inversis; peregrina, ignotaque nobis
Ad scelus, atque nefas, quodcumque est, purpura ducit.

Hæc illi veteres præcepta minoribus; at nunc
Post finem autumni media de nocte supinum
Clamosus juvenem pater excitat: Accipe ceras,
Scribe puer, vigila, causas age, perlege rubras
Majorum leges, aut vitem posce libello.
Sed caput intactum buxo, naresque pilosas
Annotet, & grandes miretur Lælius alas;
Dirue Maurorum attegias, castella Brigantum,
Ut locupletem aquilam tibi sexagesimus annus
Afferat: aut longos castrorum ferre labores

quercum, & glandes, quibus anteà vescebantur, cum fastidio reliquerunt.

Nil vetitum, &c. Idest, nihil sceleris unquam admittet, qui duriter, & parcè vestitur, & vescitur.

Alto perone. Alte succincto, supra genua producto. Pero est rustici calceamenti genus è crudo corio.

Per glaciem. Hyeme.

Summovet Euros. Arcet frigus.

Pellibus inversis. Villos, & lanam interiùs habentibus, & ad corpus conversam; quæ lana in ipsis ovibus exteriùs cernitur.

Peregrina. Sensus est: at luxus, & pompa vestium ad omne scelus ducit. Purpuram peregrinam vocat, quia Romæ non fit, sed è peregrinis, & ignotis regionibus advehitur, purà ex Syria, & Africa, &c.

Hæc ille, &c. Hæc præcepta dabant olim junioribus veteres illi.

Post finem, &c. Cùm tempestas frigidior, adeòq; somnus longior, & gratior est.

Supinum. Jacentem in lectulo.

Accipe, &c. Accipe, inquit, ceras, idest, tabulas cera obductas, in quibus scribas, numeres, &c.

Rubras. Rubrica scriptas; vel titulos juris minio scriptos.

Aut vitem, &c. Vel, supplice libello pete munus Centurionis in exercitu: habebant enim Centuriones pro insigni sarmentum.

Sed caput, &c. Sed fac, ut Lælius dux exercitus, à quo munus hoc Centurionis petes, videat esse tibi crinem buxo, seu pectine intactum, hoc est, impexum, & neglectum, alas, seu axillas, & lacertos ingentes, &c. tunc enim te fortem, & robustum credet.

Dirue, &c. Profitere nomen

Si piget, & trepido solvunt tibi cornua ventrem
Cum lituis audita; pares, quod vendere possis
Pluris dimidio; nec te fastidia mercis
Ullius subeant, ablegandæ Tyberim ultra;
Nec credas ponendum aliquid discriminis inter
Unguenta, & corium: lucri bonus est odor ex re
Qualibet. Illa tuo sententia semper in ore
Versetur, Diis, atque ipso Jove digna, Poetæ:
Unde habeas quærit nemo; sed oportet habere.
Hoc monstrant vetulæ pueris poscentibus assem;
Hoc discunt omnes ante alpha, & beta puellæ.
Talibus instantem monitis quemcumque parentem
Sic possem affari: Dic, ò vanissime, quis te
Festinare jubet? meliorem præsto magistro

men inter milites, bellum cum Mauris gere, illorum attegias, hoc est, mapalia, seu casas deiice, Anglorum arces everte; ut anno ætatis sexagesimo possis obtinere munus signiferi in aliqua legione, & ex eo munere magnas opes consequi. Brigantes sunt Angliæ populi. Aquila, vexillum, & insigne militiæ Romanæ.

Solvunt, &c. Si tubarum clangor tibi metum affert; quo alvus, ut meticulosis accidit, tibi solvatur, & defluat. Cornu est tuba obtorta, & brevior: lituus, longior, tenuior, & à summo leviter incurva.

Pares, &c. Vide ut compares, ut emas merces, quas cariùs dimidio vendas, quàm illas emeris.

Nec te, &c. Sensus est: nec te pudeat contrectare merces etiam fœdiores, & quas cogaris in regionem Urbis Transtyberinam deportare, idest, pelles, & coria: in ea enim Urbis regione plebecula morabatur, ibique pelles animalibus dereptæ lavabantur in Tyberi.

Corium. Fœtidas animalium pelles, quæ à coriariis mundantur, siccantur &c.

Lucri. Ea vox imperatoris Vespasiani fuit. Sveton. in ejus vita, cap. 22.

Poetæ &c. Ennii. Habeto semper in ore divinam illam Ennii sententiam: *Unde habeas, &c.* habeas, subaudi, pecuniam, rem.

Poscentibus assem, Ad nuces emendas, pyra, &c. sensusque est: hoc docentur pueri ab ipsis incunabulis.

Ante alpha, &c. Idest, antequam discant legere.

Instantem monitis. Hæc præcepta filio inculcantem.

Quis te festinare, &c. Cur properas filium informare ad avaritiam? spondeo, ac in

Discipulum: securus abi, vincèris, ut Ajax
Præteriit Telamonem, ut Pelea vicit Achilles,
Parcendum est teneris: nondum implere medullas
Nativæ mala nequitiæ: cùm pectore barbam
Cæperit, & longi mucronem admittere cultri,
Falsus erit testis, vendet perjuria summâ
Exiguâ, Cereris tangens aramque, pedemque.
Elatam jam crede nurum, si limina vestra
Mortifera cum dote subit: quibus illa premetur
Per somnum digitis! Nam quæ terraque, marique
Acquirenda putas, brevior via conferet illi;
Nullus enim magni sceleris labor. Hæc ego nunquam
Mandavi, dices olim, nec talia suasi:
Mentis causa malæ tamen est, & origo penes te.

in me recipio futurum, ut te, suum in hac arte magistrum, vincat.

Vinceris, ut Ajax, &c. Sensus est: confide, erit nequior te filius, ut Ajax fuit Telamone patre fortior, Achilles Peleo.

Pelea. Est accusativus Græcus, pro, *Peleum*. Porrò fuit Peleus Æaci filius, & Achillem ex Thetide genuit.

Parcendum, &c. Noli teneros puerorum animos adeò urgere; nondum malitia, ipsis innata, eorum medullas, & cor altè subiit; subibit autem postea.

Longi cultri. Novaculæ, qua tondeatur: cùm cœperit barbam radere.

Cereris, &c. Non dubitans pejerare ante aram Cereris, & pedem illius statuæ tangens. Per Cererem jurare, apud Romanos maximè sanctum erat.

Elatam. Jam periisse puta hujus tui filii uxorem, tuamque proinde nurum; tam certum crede ab illo esse tollendam, quàm si jam sublata foret, & ad sepulchrum elata.

Si limina, &c. Si domũ vestram ingrediatur cum grandi dote; quæ in causa erit, cur ipsi mors à tuo filio afferatur, ut nempe ipse dotem opimã possideat.

Quibus, &c. Quàm arctè illius miseræ fauces premẽtur, ac elidentur à tuo filio.

Nam quæ, &c. Mors enim, uxori per scelus allata, conferet illi faciliùs, & citiùs opes illas magnas, quas terra, & mari, multisque periculis acquirendas ipsi proponis.

Nullus, &c. Maxima scelera minimo labore fiunt.

Mentis, &c. Tu tamen avaram

Nam quisquis magni census præcepit amorem,
Et lævo monitu pueros producit avaros,
Et qui per fraudes patrimonia conduplicare
Dat libertatem; totas effundit habenas
Curriculo; quem si revoces, subsistere nescit,
Et te contempto rapitur, metisque relictis.
Nemo satis credit tantùm delinquere, quantum
Permittas; adeò indulgent sibi latiùs ipsi.
Cùm dicis juveni, stultum qui donet amico,
Qui paupertatem levet, attollatque propinqui,
Et spoliare doces, & circumscribere, & omni
Crimine divitias acquirere: quarum amor in te,
Quantus erat patriæ Deciorum in pectore, quantùm
Dilexit Thebas, si Græcia vera, Menœceus;
In quarum sulcis legiones, dentibus anguis,

varam illì mentem inspirasti, quæ tot scelerum causa unica fuit.

Preceptis. Filiis commendavit.

Et levo, &c. Et pravis, sinistrisque consiliis filios avaritiam docet, atque efficit paulatim avaros.

Et qui, &c. Sensus est: quì enim dat filio libertatem augendi, & multiplicandi per malas artes patrimonii; is totas habenas currui laxat; idem facit, atque auriga, qui equis curriculum, seu exiguum currum trahentibus habenas laxas permittit, quem curriculum postea si revocare velit, non potest.

Metisque, &c. Rapitur ultra metas, & terminos, quos præscripseras.

Nemo, &c. Non putant sibi sufficere, si tantum peccent, quantum permittis: adeò indulgent sibi, & ulteriùs, quàm à te prescriptum erat, excurrunt. Ovid. 3. Metamorph.

Stultum. Supple eum esse.

Levet. Qui propinquum paupertate laborantem sublevet, adjuvetque.

Et spoliare, &c. His ipsis verbis doces filium tuum artem alios spoliandi, & fraudibus circumveniendi, &c.

Amor in te. Supple, tantus est.

Deciorum. Decii Romanos inter famosi, quòd se pro patria devoverint. Vide Sat. 8. sub finem.

Meneceus. Thebanus fuit, qui, Argivis Thebas obsidentibus, cùm audivisset oraculo responsum esse, urbem fore salvam, si ultimus è Cadmi familia sponte sua se interimeret, ipse sibi ultrò manus attulit.

In quarum, &c. In quarum

Cum clypeis nascuntur, & horrida bella capessunt
Continuò, tanquam & tubicen surrexerit unà.
Ergo ignem, cujus scintillas ipse dedisti,
Flagrantem latè, & rapientem cuncta videbis.
Nec tibi parcetur misero; trepidumque magistrum
In cavea magno fremitu leo tollet alumnus.
Nota mathematicis genesis tua; sed grave tardas
Expectare colus: morieris stamine nondum
Abrupto: jam nunc obstas, & vota moraris;
Jam torquet juvenem longa, & cervina senectus.
Ocyùs. Archigenem quære, atque eme, quod Mithridates

Thebarum agro, è seminatis à Cadmo draconis dentibus, dicuntur armatæ militum legiones subitò natæ esse, & pugnam statim inter se commisisse, quasi signo dato.

Cujus, &c. Quem tu primus excitasti.

Trepidumque, &c. Et tuus ille filius, quem tam egregiis præceptis imbuisti, jam leonis ritu ferox factus, & crudelis, è medio te ipsum tollet, mortem tibi afferet.

In cavea. Metaphoricè; idest, in domo tua, ubi eum educasti: cavea enim propriè locus est, in quo belluæ includuntur.

Nota, &c. Mathematici, qui norunt tuam genesim, seu nativitatis tuæ horam, & quo sub sidere sis natus, promittunt tibi vitam diuturnam.

Sed grave, &c. Sensus est: sed molestum est filio tuo expectare finem vitæ tuæ tam diuturnæ; expectare, donec absolvantur stamina, quibus Parcæ vitā tuam ducunt in sua colu.

Morieris, &c. Antequam Parcæ filum, unde tua vita pendet, abruperint, morieris, veneno scilicet tibi per filium parato.

Jam nunc, &c. Illi jam nunc negotium facessis, & in paterna bona succedere volenti obstas.

Cervina, &c. Scilicet cervi diutissimè vivunt.

Archigenem, &c. Medicus erat Romæ tunc celebris. Sensus est: eme ab aliquo medico antidotum, à Mithridate Rege Ponti compositum contra venena, si vis adhuc uno anno vivere, & alias ficus ex arbore decerpere, aut rosas: Regi enim à subditis sibi metuēti, aut patri à filio, necessarium est ejusmodi medicamentum, quod sumat, antequam cibis vescatur, quibus aspersum fortè fuerit venenum. De Mithridate actum Sat. 6. versu ultimo.

Mon-

Composuit ; si vis aliam decerpere ficum,
Atque alias tractare rosas ; medicamen habendum est,
Sorbere ante cibum quod debeat aut pater, aut Rex.
Monstro voluptatem egregiam, cui nulla theatra,
Nulla æquare queas Prætoris pulpita lauti ;
Si spectes, quanto capitis discrimine constant
Incrementa domùs, ærata multus in arca
Fiscus, & ad vigilem ponendi Castora nummi.
Ex quo Mars Ultor galeam quoque perdidit, & res
Non potuit servare suas. Ergo omnia Floræ,

Monstro, &c. Ostendam tibi in avarorum vita, curis, laboribus, aliquid omnibus comœdiis, & spectaculis jucundius, cui non compares ludos in theatris spectari solitos.

Prætoris pulpita. Scenicos ludos, à Prætore vulgo edi, seu, disponi, & parari solitos. Pulpita erant editiora quædam in theatro loca, ubi histriones, & alii ejusmodi ludiones morabantur.

Lauti. Divitis, magnifici.

Quanto, &c. Quantis vitę periculis opes augeantur, familiæ bona crescant; quãtùm sudandum sit, ut fiscus multus, idest, multi sacculi aggerantur in arca ærea, & nummi portandi in templum Castoris, ubi sunt vigiles, & excubiæ ad nummos custodiendos, & arcas ibi depositas.

Fiscus. Propriè est calathus, seu corbis vimineus, in quo pecunia condebatur: significat aliquando ærarium, sive Principis thesaurum.

Ex quo, &c. Deportabantur nummi in templum Castoris, ex quo tempore pecuniæ depositę in templo Martis Ultoris à furibus ablatæ sunt, & ipse Mars ab iisdem latronibus galea etiam sua spoliatus est; fortè quia galea hæc erat aurea; vel joco id dicit.

Mars Ultor. Erat Romæ forum, Augusti dictum, & in eo foro templum Martis Ultoris, quod Augustus quoque extruxerat, post Actiacam pugnam: in eo servabantur divitum arcæ, & pecuniæ, ut essent in Deorum veluti manibus tutiores: sed cùm furto fuissent sublatæ noctu, translatæ sunt in templum Castoris, & additi custodes.

Ergo, &c. Potes omittere ludos omnes in honorem Floræ, Cereris, & Cybeles,

Et Cereris licèt, & Cybeles aulæa relinquas;
Tantò majores humana negotia ludi.
An magis oblectant animum jactata petauro
Corpora, quæque solent rectum descendere funem,
Quàm tu Corycia semper qui puppe moraris,
Atque habitas, Coro semper tollendus, & Austro
Perditus, ac vilis sacci mercator olentis?
Qui gaudes pingue antiquæ de littore Cretæ
Passum, & municipes Jovis advexisse lagenas?
Hic tamen ancipiti figens vestigia planta
Victum illa mercede parat, brumamque famemque

les, edi solitos, in quibus aulæa, & vestes magnificæ populo curioso exhibentur: adeò hominum negotia, & inanes curæ sunt majores, & suaviores ludi, istis omnibus. Floræ ludi dicebantur Floralia; Cereris, Cerealia; Cybeles, Megalesia. Per aulæa, possunt etiam intelligi vela, & omnis scenæ apparatus.

Petauro. Petaurum ludi genus erat, quo, per angustum circulum ligneum, corpus transmittebant insigni agilitate, & industria: alii volunt fuisse rotam, quam duo versarent, alter supernè, alter infra nitens, ita ut vicissim attollerentur, ac deprimerentur.

Quæque &c. Et corpora funambulorum, quæ per rectum funem ex aliquo superiore loco descendunt.

Corycia &c. Navi Corycum petente. Coryeus est urbs, & mons Ciliciæ, quę est regio maritima Asiæ minoris.

Coro &c. A Coro, & Austro (qui venti sunt procellosi) agitandus, naufragio perdendus.

Olentis. Fœtidi, ob merces odoris gravioris, in eo sacco inclusas, ut sunt piper, crocus, &c.

Cretæ. Est insula in mari Mediterraneo, fermè obversa mari Ægæo, *Candia.* Antiqua dicitur, quia fuit à veteribus, ob Jovis in ea editi natales, celebrata.

Passum. Est vini dulcis genus, quod ex uvis passis, hoc est, ad solem siccatis exprimebatur.

Municipes &c. Idest, vinum Creticum, in patria Jovis, & eodem quasi municipio, nempe Creta, natum.

Hic tamen &c. Funambulus ille, qui per restem, seu funem extensum, trepidanti vestigio graditur, hac arte, hoc fune, cogitur hoc facere, ut comparet sibi pecuniam, mercedem sui laboris, qua caveat, hoc est, vitet

Illà teste cavet: tu propter mille talenta,
Et centum villas temerarius. Aspice portus,
Et plenum magnis trabibus mare: plus hominum est jam
In pelago. Veniet classis, quocumque vocarit
Spes lucri; nec Carpathium, Getulaque tantùm
Æquora transiliet; sed longè Calpe relicta,
Audiet Herculeo stridentem gurgite Solem.
Grande operæ pretium est, ut tenso folle reverti

vitet hyemem, & famem, res ad victum, vestitumque necessarias emat.

Tu propter &c. Sed tu, ò avare, nulla necessitate adductus, temerarius es, gravibus periculis, sine causa, temerè te objicis; nempe ut possideas centum villas, & mille auri talenta, quibus carere facile potes.

Talenta. Talentum Ægyptium respondebat monetæ Gallicæ libris fermè 2688. Romanæ verò nummis scutatis 557. Atticum. 2400. Gallicis libris. Consule, si vacat, laterculum sestertiorum ad calcem Horatii nostri positum.

Aspice &c. Aspice hinc portus, hinc mare: portus fermè vacui sunt, mare plenum navibus: & in ipso mari plus hominum est jam, quàm in terra, & portubus.

Carpathium Hoc mare est circa Rhodum, & Cretam; ab insula Carpatho, ibi sita, sic appellatum.

Getula. Africana. Getulia est pars Africæ.

Sed longè &c. Sensus est: etiam in Oceanum exibit, trans Gaditanum fretum.

Calpe. Calpe, & Abila duo sunt montes; hic in Mauritania, ille in extrema Hispania; ambo sibi oppositi, & exiguo divisi freto Gaditano. Illi duo montes, Herculis columnæ appellantur; vicinum mare, Herculeum dicitur: quia cùm ad eam orbis partem (quæ finis orbis terrarum esse à veteribus credebatur) Hercules devenisset, ibi substitit, & illos montes, quasi metas suorum laborum esse voluit; quare in iis columnas lapideas extruxit, quæ instar metarum essent.

Stridentem &c. Poetæ fingunt Solem in littoribus Oceani, finitimis Hispaniæ magno cum strepitu occidere quotidie, ut cùm ferrum candens aquæ immergitur.

Grande &c. Nimirum mercedem fers labore, & opera dignam, si (ut redeas domum opibus onustus) ignotum æquor, & periculosum adeas, ubi videas varia monstra, & juvenes marinos, hoc est, Tritones, &c. certè non est tanti.

Tenso

Inde domum possis, tumidàque superbus alutà,
Oceani monstra, & juvenes vidisse marinos,
Non unus mentes agitat furor: ille sororis
In manibus, vultu Eumenidum terretur, & igni:
Hic bove percusso mugire Agamemnona credit,
Aut Ithacum: parcat tunicis licèt, atque lacernis,
Curatoris eget, qui navem mercibus implet
Ad summum latus, & tabulà distinguitur unda;
Cùm sit causa mali tanti, & discriminis hujus,
Concisum argentum in titulos, faciesque minutas.
Occurrunt nubes, & fulgura: Solvite funem,

Tenso folle. Sacculo distento instar follis, & nummis referto.

Tumidà alutà. Aluta pellis est agnina, & delicatior, ex qua crumenæ, & marsupia conficiuntur. Vocat autem crumenam ex alutà tumidam, hoc est, plenam auro.

Non unus, &c. Sensus est: homines alii alia laborant insania; avari gravissima.

Ille sororis, &c. Orestes, quem furentem, & furias videre sibi videntem, Electra soror custodiebat, atque ad sanam mentem revocare conabatur. Furiæ appellabantur Eumenides à voce Græca, quæ benevolum sonat, quia sunt minimè benevolæ: per antiphrasim.

Igni. Facibus, quas illi Eumenides intentabant.

Hic, &c. Ajax, dum boves, & pecudes flagellis cædit, in furorem versus, ex dolore ob Achillis arma Ulyssi adjudicata, putat se in Agamemnonem sævire, aut Ulyssem, Ithacæ insulæ Principem. Vide Sat. 1.7.10 Ovid.13. Metam.

Parcat, &c. Licèt avarus, qui navigat, vestes non laceret, ut furiosi, tamen non minùs eget aliquo tutore, & bonorum curatore, quàm qui verè insaniunt.

Tunicis. Tunica vestis erat interior, eaque ferè manicis carens; lacerna, exterior instar pallii.

Ad summum latus. Usq; ad oras extremas navis.

Tabula, &c. Qui ab unda, & naufragio distinguitur, & remotus est unà tabulà, assere, quo navis constat: qui si frangatur, ipsi pereundum sit.

In titulos. In nummos, qui faciem Imperatorum, & eorum titulos subscriptos gerunt, v. g Germanici, Parthici, &c.

Occurrunt, &c. Si exoritur tẽpestas, dum navis est adhuc in portu, avarus aliquis, qui frumentum navi devehendum in alienas oras ha-

Frumenti dominus clamat, piperisque coemptor:
Nil color hic Cœli, nil fascia nigra minatur;
Æstivum tonat. Infelix, ac forsitan ipsà
Nocte cadet fractis trabibus, fluctuque premetur
Obrutus, & zonam lævà, morsuque tenebit.
Sed, cujus votis modò non suffecerat aurum,
Quod Tagus, & rutilà volvit Pactolus arenà.
Frigida sufficient velantes pectora panni,
Exiguusque cibus; mersà rate naufragus assem
Dum rogat, & pictà se tempestate tuetur.
Tantis parta malis, curà majore, metuque
Servantur: misera est magni custodia census.
Dispositis prædives hamis vigilare cohortem
Servorum noctu Licinus jubet, attonitus pro
Electro, signisque suis, Phrygiàque columnà,

habet, aut piper, clamat, hortatúrque nautas, ut nihilominus solvant funes, quibus navis retinetur in portu, ut mari se committant: non esse ab nigro Cœli colore, & nubium, quæ instar atræ fasciæ Cœlum circumdant, metuendum: tonitrua illa esse tonitruis æstivis similia, quæ, cùm summus est calor, sine periculo fiunt.

Infelix &c. Sed infelix ille avarus eadem fortasse nocte, navi fracta, in mare cadet, & cùm inter fluctus enatare conabitur, crumenam tenebit manu, ac dentibus.

Zonam. In zona crumenas, & pecuniam habebant Romani.

Tagus. Fluvius Hispaniæ, qui aureas volvere arenas dicebatur, ut Pactolus, Lydiæ fluvius, in Asia.

Sufficient &c. Illi sufficiet aliquis pannus vilis, quo nudum corpus, & naufragum tegat.

Naufragus assem &c. Solebant naufragi, rebus amissis, stipem per urbes petere, utque hominibus moverent commiserationem, ferebant naufragii sui imaginem pictam in tabella.

Misera. Miseriarum plena, & solicitudinis.

Hamis. Hama, hamæ, est vel uncus ferreus, quo muri sepiuntur, & vallantur, ne furibus pateat ascensus: vel vas aquarium, ut, si domus divitis incendio corripiatur, illud aquà restingui possit.

Licinus. Dives aliquis, fortè Licinus ille, libertus, vel tonsor Claudii Imperatoris.

Attonitus &c. Metuens, ne vasa pretiosa ex electro facta, signa seu statuæ, columnæ è Phrygio marmore, auferantur, incendanturve.

Atque ebore, & lata testudine. Dolia nudi
Non ardent Cynici: si fregeris, altera fiet
Cras domus, aut eadem plumbo commissa manebit.
Sensit Alexander, testa cùm vidit in illa
Magnum habitatorem, quantò felicior hic, qui
Nil cuperet, quàm qui totum sibi posceret orbem,
Passurus gestis æquanda pericula rebus.
Nullum numen abest, si sit prudentia: nos te
Nos facimus, Fortuna, Deam. Mensura tamen, quæ
Sufficiat census, si quis me consulat, edam,
In quantum sitis, atque fames, & frigora poscunt;
Quantùm, Epicure, tibi parvis suffecit in hortis:
Quantum Socratici ceperunt ante penates:
Nunquam aliud natura, aliud sapientia dicit.

Ebore. Mensis ebore, & testudinum putaminibus, ac squammis, ut tunc fiebat, ornatis.

Dolia &c. Sensus est, pauperes non timere incendia. Diogenes, philosophus Cynicus, pro domo dolium habebat: erant autem antiquorum dolia, ex testà sæpe, & argillà facta; itaque incendi non poterant.

Si fregeris &c. Si dolium Diogenis frangas, ille sibi cras aliud comparabit, & in eo novam domum inveniet: aut priorem fractam plumbo reficiet, conjungendo partes fractas, & committendo.

Sensit &c. Intellexit, quanta esset hominis nihil cupientis felicitas. Aliquando venit ad Diogenem Alexander; cùmque illum pauperem appellaret, Uter, inquit ille, pauperior? tùne, cui orbis non sufficit, an ego, qui dolio meo contentus sum?

Testa. Dolio testaceo.

Passurus &c. Qui, cùm res maximas gereret, maxima, & gravissima pati pericula cogeretur.

Nullum &c. Vide finem Sat. 9.

Edam. Dicam.

In quantum &c. Id est, quantum ad victum, vestitumque sufficit.

Quantum, Epicure, &c. Hic aqua, & pane cibario contentus, horto suo, & oleribus victitavit.

Socratici, &c. Quantum suffecit Socrati, qui ante Epicurum vixit, & ejus familiæ: is enim rebus natu-

Acribus exemplis videor te cludere? misce
Ergo aliquid nostris de moribus: effice summam,
Bis septem ordinibus, quam lex dignatur Othonis.
Hæc quoque si rugam trahit, extenditque labellum,
Sume duos Equites, fac tertia quadringenta.
Si nondum implevi gremium, si panditur ultra;
Nec Crœsi fortuna unquam, nec Persica regna
Sufficient animo, nec divitiæ Narcissi,
Indulsit Cæsar cui Claudius omnia, cujus
Paruit imperiis, uxorem occidere jussus.

ræ necessariis contentus vivebat.

Acribus &c. O avare, si tibi videor te in angustias compellere, & ad nimiam frugalitatem hortari, exemplis severioribus istorum philosophorum.

Misce &c. Tempera illam philosophorum severitatem Romanis moribus, & lautitià effice censum equestrem; compara tibi summam illam pecuniæ, quam Roscius Otho Tribunus plebis, lege Roscia jussit, ut haberent, qui sederent in primis quatuordecim ordinibus theatri, nempe Equites. Quanta sit hæc summa, dictum Sat. 1.

Hæc quoque &c. Si hæc tibi summa non sufficit, si eam ut nimis angustam respuis, contracta in rugas fronte, & quemadmodùm irati, & fastidiosi solent, porrecto labello.

Sume &c. Id est, confice tibi censum duorum, immò trium Equitum: 400. enim sestertia erant equitum census.

Si nondum &c. Hoc est; si tantas opes tibi permittens, nondum satisfeci cupiditati tuæ, si aliquid prætereà optas.

Nec Crœsi &c. Crœsus Rex Lydiæ, Darius, & Xerxes, Persarum Reges, erant ditissimi: item Narcissus, libertus Claudii Imperatoris, apud eum ita gratiosus, ut omnia illius arbitrio gererentur, sic ut & ipsi Principi quodammodo videretur imperare.

Uxorem &c. Messalinam, cujus impudicitiam tametsi probè cognitam haberet Claudius, tamen adeò vecors, & bonus erat, ut ipsi decrevisset parcere, nisi à Narcisso veluti jussus fuisset eam neci dedere.

SATYRA XV.

Ægyptiorum superstitio, & crudelitas.

QUis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? crocodilon adorat,
Pars hæc, illa pavet saturam serpentibus Ibin:
Effigies sacri nitet aurea cercopitheci,
Dimidio magicæ resonant ubi Memnone chordæ,
Atque vetus Thebæ centum jacet obruta portis.
Illic cæruleos, hic piscem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur: nemo Dianam,
Porrum, & cæpe nefas violare, ac frangere morsu:
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis

Qualia &c. Quàm portentosa, & indigna colat numina.

Crocodilon. Una pars Ægypti crocodilum, altera ibin colit. Crocodilus serpens est in aquis Nili morari solitus; unde in homines insilit. Ibis est volucris ciconiæ non absimilis, quæ serpētes devorat.

Effigies &c. Visitur in templis, ornata auro statua cercopitheci, id est, simiæ caudatæ.

Ubi &c. Thebis, ubi Plinius scribit fuisse in templo Serapidis dimidiatam Memnonis effigiem, citharam tenentem, quæ quotidie Solis Orientis percussa radiis sonum reddebat citharæ sono similem, magicà, ut credebatur, arte; quare magicas chordas vocat. Hæc statua, olim integra, postea terræ motu fracta est media ex parte.

Memnone. Fuit Memnon Auroræ filius, qui cùm ex Æthiopia Trojam venisset, opem Priamo laturus, ab Achille interfectus est.

Vetus Thebe. Urbs Ægypti olim nobilis, in qua centum erant portæ; alia ejusdem nominis fuit in Bœotia, Græciæ regione.

Illic caruleos &c. In aliqua parte Ægypti pisces marinos adorant, in alia pisces fluviatiles. Per cæruleos enim, pisces marinos intelligit, quia cæruleus est color maris.

Tota canem, &c. Ridet Ægyptios, quòd canes venerarentur, nemo verò illorum Dianam coleret, canum veluti Deam, & dominam, quippe quæ venationi præest.

Violare &c. Succidere, & comedere.

La-

Numina! Lanatis animalibus abstinet omnis
Mensa; nefas illic fœtum jugulare capellæ.
Carnibus humanis vesci licet. Attonito cùm
Tale super cœnam facinus narraret Ulysses
Alcinoo, bilem, aut risum fortasse quibusdam
Moverat, ut mendax aretalogus: in mare nemo
Hunc abicit, sæva dignum, veraque Charybdi,
Fingentem immanes Læstrigonas, & Cyclopas?
Nam citiùs Scyllam, vel concurrentia saxa
Cyaneæ, plenos, & tempestatibus utres

Lanatis &c. Ovibus, & capellis parcebant Ægyptii, quia Lanam, & lac hominibus præbent.

Tale facinus. Nempe facinus hominis, qui carnibus humanis vesceretur, qualis fuit Polyphemus Cyclops, de quo Ulysses loquebatur cum Alcinoo Rege Phæacum, cui super mensam, inter cœnandum suos errores narrabat. Odyss. l. 9.

Aretalogus. Ita vocatur, qui sermonibus facetis risum captat, scurra, circulator.

In mare &c. Inducuntur aliqui è Phæacibus, quibus iram portentosis sermonibus Ulysses moverat, loquentes ita inter sese; Nemone hunc adeò mendacem in mare projicit? dignus est, qui demergatur in aliquam veram Charybdim, non fictam, & falsam, qualem nobis descripsit; dignus, inquam, quia fingit Læstrigonas, &c.

Læstrigonas. Illi, ut Cyclopes, hominibus vescebantur: erant populi Italiæ; Cyclopes in Sicilia versabantur.

Nam citiùs, &c. Sensus est: alia, quæ nobis narrat fabulosa, Scyllam, &c. crederem potiùs, esse homines, qui humana carne vescantur.

Scyllam. Monstrum quoddam Ulysses esse dicebat canibus marinis succinctum, à quo naves totæ devorarentur. Est scopulus in freto Siculo, Charybdi proximus; & oppositus, propè quem mare maximè procellosum est, & frequentia naufragia.

Concurrentia &c. Cyaneæ vocantur exiguæ duæ insulæ propè Bosphorum Thracium. Ibi duo sunt scopuli, qui navigantibus concurrere, & collidi inter se videntur, si eminus spectentur, ob utriusque viciniam, & fluctuum agitationem: quare vocantur Symplegades, à voce Græca, quæ concurrere, & concuti, significat. Legendum porrò in versu Cyanea, quo in vocabulo producetur ultima Syllaba ob duas consonantes, quæ sequuntur in voce plenos.

Plenos &c. Ulysses ab Æolo ventorum Rege, utrem, sive saccum acceperat, in

Crediderim, aut tenui percussum verbere Circes,
Et cum remigibus grunnisse Elpenora porcis:
Tam vacui capitis populum Phæaca putavit?
Sic aliquis meritò nondum ebrius, & minimum qui
De Corcyrea temetum duxerat urna:
Solus enim hoc Ithacus nullo sub teste canebat.
Nos miranda quidem, sed nuper, Consule Junio,
Gesta super calidæ referemus munia Copti:
Nos vulgi scelus, & cunctis graviora cothurnis.

quo procellosi venti omnes erant inclusi; qui, soluto per curiositatem Ulyssis sociorum utre, cùm evolassent, gravissimam tempestatem excitarunt.

Grunnisse Elpenora. Fuit Elpenor unus ex Ulyssis sociis, & remigibus, qui à Circe in porcum unà cum aliis quibusdam est mutatus, cùm eos virga leviter tetigisset.

Tam vacui &c. An ille tam nullius cerebri, tam stolidos Phæacas putavit esse, quibus Polyphemi crudelitatem persuaderet?

Sic aliquis &c. Hæc dicere, non immeritò potuisset aliquis è Phæacibus, cum Alcinoo discumbentibus, qui parum adhuc vini ex urna Corcyræa bibisset, & nondum ebrius planè foret: ebriis enim omnia facilè persuadentur.

Corcyræa. Corcyra est insula prope Epirum, ubi regnabat Alcinous, nunc *Corfu.* Temetum, idest, vinum, quod sic appellatur; quia tentat, evertitque mentem.

Solus enim &c. Meritò Phæaces Ulyssi fidem negabant, qui nullo teste, rem tam diram narrabat; solus enim è naufragio enataverat: at ego rem à multis nuper visam dico.

Consule Junio. Fuit hic Junius Sabinus, Consul cum Domitiano anno U. C. 839. cùm relegatus in Ægyptum Juvenalis fuit, ob Paridem Domitiano gratiosum versibus aliquot perstrictum. Vide Satyrã 7. Vox autem ista, *Junio*, hìc disyllaba est, ut alibi, *Ludium*, ut *Tenuja*, Virgilio trisyllabum est. *Vindemiator*, quatuor syllabarum apud Horatium.

Super calida &c. In Ægypto: Coptus enim celebris est Ægypti civitas, Arabiæ vicus; ubi Sol æstate calidissimus est.

Nos vulgi &c. Non unius hominis, aut Polyphemi, sed totius populi, & urbis facinus narrabimus, quale nulli unquam cothurni, hoc est, tragœdiæ nullæ exhibuerũt.

Nam

Nam scelus, à Pyrrha, quamquam omnia syrmata volvas,
Nullus apud tragicos populus facit: accipe nostro
Dira quod exemplum feritas produxerit ævo.
Inter finitimos vetus, atque antiqua simultas,
Immortale odium, & nunquam sanabile vulnus
Ardet adhuc, Ombos, & Tentyra. Summus utrique
Inde furor vulgo, quòd Numina vicinorum
Odit uterque locus, cùm solos credat habendos
Esse Deos, quos ipse colit. Sed tempore festo
Alterius populi, rapienda occasio cunctis
Visa inimicorum primoribus, ac ducibus; ne
Lætum, hilaremque diem, ne magnæ gaudia cœnæ
Sentirent, positis ad templa, & compita mensis,
Pervigilique toro, quem nocte, ac luce jacentem
Septimus interdum Sol invenit. Horrida sanè
Ægyptus, sed luxuria, quantùm ipse notavi,
Barbara famoso non cedit turba Canopo.

Nam scelus &c. Sensus est: nam si omnia syrmata, hoc est, tragœdias (in quibus actores, utuntur longis vestibus, quæ syrmata dicuntur) revolvas à Pyrrha, hoc est, à mundi exordio, ab ipso usque diluvio, quod sub Deucalione, & Pyrrha contigit, non invenies ullum facinus tragicum, quod à toto populo fiat, sed ab uno aliquo tantùm homine.

Ombos &c. Ombi, sive Combi, ut alii legunt, erat Ægypti civitas, ut & Tentyra: est autem *Tentyra* numeri pluralis. Ordo est: inter finitimas, seu vicinas Ægypti civitates duas, Ombos nempe, & Tentyra, fuit olim, estque modò odium vetus, & insanabile.

Quòd Numina &c. Ombi enim colebant crocodilum, Tentyritæ eumdem execrabantur, ac perimebant. Vicissim illi colebant accipitrem, quem in ipsorum odium solebant Ombi cruci affigere.

Sed &c. Sensus est: cunctis ducibus inimicorum, nempe Tentyritarum, visa est accipienda occasio commoda hostes invadendi, cùm illi diem festum celebrarent solemnibus epulis, & ingenti gaudio, ut lætitiam luctu verterent.

Pervigilique toro. Lectos intelligit, quibus mensis accumbebant per totam noctem, immò & per septem interdum continuos dies.

Horrida &c. Fateor Ægypti partem illam esse barbaram, & incultam: sed tamen

Adde, quòd & facilis victoria de madidis, &
Blæsis, atque mero titubantibus. Inde virorum
Saltatus nigro tibicine, qualiacumque
Unguenta, & flores, multæque in fronte coronæ;
Hinc jejunum odium. Sed jurgia prima sonare
Incipiunt animis ardentibus; hæc tuba rixæ:
Deinc clamore pari concurritur, & vice teli,
Sævit nuda manus: paucæ sine vulnere malæ;
Vix cuiquam, aut nulli: toto certamine nasus
Integer: aspiceres jam cuncta per agmina vultus
Dimidios, alias facies, & hiantia ruptis
Ossa genis, plenos oculorum sanguine pugnos.
Ludere se credunt ipsi tamen, & pueriles
Exercere acies, quòd nulla cadavera calcent.
Et sanè, quò tot rixantis millia turbæ,
Si vivunt omnes? ergo acrior impetus, & jam
Saxa inclinatis per humum quæsita lacertis
Incipiunt torquere; domestica seditione

men (quantum ipse præsens observare potui) non est minùs dedita luxuriæ, & deliciis, quàm pars ea Ægypti, in qua est Canopus, civitas 120. tantùm stadiis Alexandria distans, ob luxuriam famosa.

Adde quòd &c. Incitabat prætereà Tentyritas ad oppugnandos Ombos, quòd facilem de ebriis victoriam sperarent.

Blæsis. Blæsi dicuntur, qui interrupta, & titubanti voce loquuntur: hoc autem ebriis maximè contigit, quorum ut corpus, ita lingua titubat.

Inde &c. Ex una parte, nempe Omborum, fremebant omnia saltibus, & tripudiis lætantium, ad cantum Æthiopis alicujus tibicinis; coronati erant viri floribus, & unguentis, licet non admodùm pretiosis, delibuti: ex altera parte Tentyritæ jejuni quidem erant, at odio incitati.

Sed jurgia &c. Initium pugnæ factum à jurgiis, & clamoribus, quibus, ut tuba, signum datum est ad rixam.

Malæ. Genæ: ora omnibus cruenta, & saucia.

Alias. Contusas, sanguineas, atque ita deformatas, ut non agnosceres easdem esse.

Hiantia. Detecta, aperta.

Plenos &c. Pugnos cruentos sanguine oculorum, quos hosti effoderant, contuderantve.

Quò tot &c. Quorsum tanta rixa, si nemo trucidatur?

Inclinatis &c. Demissis, dejectis humi ad lapides colli-

Tela: nec hunc lapidem, quales & Turnus, & Ajax,
Et quo Tydides percussit pondere coxam
Æneæ; sed quem valeant emittere dextræ:
Illis dissimiles, & nostro tempore natæ;
Nam genus hoc vivo jam decrescebat Homero:
Terra malos homines nunc educat, atque pusillos.
Ergo Deus, quicumque aspexit, ridet, & odit.
A diverticulo repetatur fabula: postquam
Subsidiis aucti, pars altera promere ferrum
Audet, & infestis pugnam instaurare sagittis:
Terga fugæ celeri præstantibus omnibus, instant,
Qui vicina colunt umbrosæ Tentyra palmæ.
Labitur hic quidam, nimia formidine cursum
Præcipitans, capiturque; ast illum in plurima sectum
Frusta, ac particulas, ut multis mortuus unus
Sufficeret, totum corrosis ossibus edit
Victrix turba; nec ardenti decoxit aheno,
Aut verubus; longum usque adeò, tardumque putavit
Expectare focos, contenta cadavere crudo.

collligendos, qui lapides sunt usitata arma in seditionibus, & familiaria.

Nec hunc &c. Non sunt lapides tanti, & pares illis, quos in Æneam Turnus, & Diomedes, in Hectorem Ajax projiciebat, nempe ingentes, ferè instar montium; sed tales, quales possunt ab hominibus hujus ævi projici, qui non sunt tam robusti, quàm illi homines priscorum temporum, quorum genus jam tum minui cœpit, cùm Homerus viveret. Homerus Iliad. 7. Virgil. Æneid. 12.

Ergo Deus &c. Cùm Deus homines, ut nunc sunt, videt malos, & pusillos, ridet eorum imbecillitatem, odit malitiam.

A diverticulo &c. Redeamus ad nostram historiam, ab illa digressione.

Aucti &c. Ubi novæ Tentyritis copiæ advenerunt, gladios stringunt, & Ombis fugientibus victores instant.

Qui vicina &c. Tentyritæ, qui habitant urbem Tentyra, vicinam palmis umbrosis, seu palmeto frequenti, ac denso.

Quidam. Unus aliquis è turba Omborum fugientium.

Hic gaudere libet, quòd non violaverit ignem:
Quem summa Cœli raptum de parte Prometheus
Donavit terris: elemento gratulor, & te
Exultare reor. Sed qui mordere cadaver
Sustinuit, nihil unquam hac carne libentiùs edit;
Nam scelere in tanto ne quæras, & dubites, an
Prima voluptatem gula senserit: ultimus autem
Qui stetit, absumpto jam toto corpore, ductis
Per terram digitis, aliquid de sanguine gustat.
Vascones, ut fama est, alimentis talibus usi,
Produxere animas: sed res diversa, sed illic
Fortunæ invidia est, bellorumque ultima, casus
Extremi, longæ dira obsidionis egestas.
Hujus enim, quod nunc agitur, miserabile debet
Exemplum esse cibi: sicut modò dicta mihi gens,

Hic &c. Sensus est: illud saltem est in immani scelere, unde lætari possimus, nempe quòd ignem, rem tam sacram non polluerint, humanam carnem coquendo, vel torrendo.

Quem summa &c. Fingunt enim poetæ Jovem iratum hominibus ignem illis subtraxisse: Prometheum autem ignem è curru solis sumptum furtim in terras detulisse.

Et te &c. O Volusi, qui ignem, ut rem sacram veneraris.

Ne dubites &c. Noli dubitare, an qui primus, avida, & gulosa crudelitate carnes nefandas attigit, iis delectatus fuerit: siquidem & qui ultimus restabat, postquam totum jam corpus absumptum est, digitis sanguinem humi sparsum collegit, ut aliquid saltem de hostis sanguine gustaret.

Vascones. Propè Pyrenæos montes sedent & à Romanis obsessi, Metello duce, in bello Sertoriano, cæteris cibis deficientibus, humana carne victitarunt. Val. Max. lib. 7. cap. 6.

Produxere &c. Sustentavere vitam, longiùs duxere.

Sed res &c. Alia Vasconibus cur hoc facerent, quàm Ægyptiis, causa fuit.

Illic &c. Vascones eò adegit fortunæ quoddam in eos odium, & inclementia, extremæ belli angustiæ.

Hujus enim &c. Istud enim, de quo loquor, factum, cùm Vascones carnibus humanis victitarunt, debet esse dignum commiseratione, quia necessitate, & sua fortitudine compulsi hoc fecerunt.

Sicut &c. Quemadmodùm iidem, quos modo dixi, Vascones, post absumptas her-

Post omnes herbas, post cuncta animalia quidquid
Cogebat vacui ventris furor, hostibus ipsis
Pallorem, ac maciem, & tenues miserantibus artus,
Membra aliena fame lacerabant, esse parati
Et sua. Quisnam hominum veniam dare, quisve Deorum
Viribus abnuerit dira, atque immania passis,
Et quibus ipsorum poterant ignoscere manes,
Quorum corporibus vescebantur? Meliùs nos
Zenonis præcepta monent: nec enim omnia, quædam
Pro vita facienda putat: sed Cantaber unde
Stoicus, antiqui præsertim ætate Metelli?

Herbas, & animalia etiam fœdissima, & quidquid edere cogebat famis quædam rabies, lacerabant, & in cibum vertebant aliorum hominum corpora parati esse, seu, comedere vel propria membra, non sine miseratione ipsorum hostium.

Quisnam &c. Quis Deus, quis homo sit tam ferreus, ut non libenter ignoscat viris fortibus, in tantas angustias conjectis? ipsæ animæ defunctorum, quorum laniabantur cadavera, illis ignovissent.

Viribus. Idest, viris fortibus. Alii legunt, *urbibus.*

Meliùs nos &c. Nos tamen Romani idem, atque Vascones non faceremus: sumus enim meliùs instituti à Philosophis Stoicis, quorum princeps Zeno; qui tametsi doceat, quædam fas esse pro vita conservanda facere, non tamen omnia, minimè verò omnium, vesci humanis carnibus.

Sed Cantaber &c. Sed quis illam philosophiam Cantabros docuisset? quomodo Stoici esse, & tam benè instituti potuissent, ætate presertim Metelli, cùm nondum Hispania Romanis moribus imbuta esset? Metellus cum Sertorio bellum gerebat circa annum ab U. C. 670. Cantabria sub Augusto tantùm fuit perdomita circa annum U. C. 750. erant autem Cantabri tunc in ea Hispaniæ parte, quæ nunc appellatur Biscaja, & Navarra. Vasconum vicini.

Antiqui Metelli. Vocat Metellum antiquum, ut eum ab aliis recentioribus ejusdem nominis, & familiæ Romanis distinguat: neque enim reverà erat valdè antiquus ille Metellus; quippe qui Pompeji tem-

Nunc totus Grajas, nostrasque habet orbis Athenas:
Gallia causidicos docuit facunda Britannos;
De conducendo loquitur jam rhetore Thule.
Nobilis ille tamen populus, quem diximus; & par
Virtute, atque fide, sed major clade Saguntus,
Tale quid excusat: Mæotide sævior ara
Ægyptus. Quippe illa nefandi Taurica sacri
Inventrix, homines (ut jam, quæ carmina tradunt,

pore vixerit.

Nunc totus &c. Id est: nunc orbis totus philosophiæ Græcæ, ac Romanæ præceptis abundat. Athenas pro philosophia posuit, quia in hac urbe Græciæ primaria præcipui philosophi floruerunt Socrates, Plato, Aristoteles, Zeno, &c.

Gallia &c. Britanni, sive Angli, docti à Gallis vicinis suis, causas agere norunt, eloquentiam à Gallis didicerunt: Thule (quæ nunc Norvegia, aut Irlandia est) jam cogitat rethorem conducere, qui publicè in scholis doceat, agat in foro, &c.

Nobilis. Generosus, inclytus. Sententia est: Ille, quem supra memoravi, populus nobilis, nempe Vascones, & Saguntus, civitas par virtute, & fide Vasconibus, majori tamen clade affecta, excusant se meritò, si humanis carnibus victitarunt; causantur obsidionem, famem, inscitiam, & ignorantiam philosophiæ; aliqua tali excusatione utuntur. At Ægyptus est sævior ara Mæotide. Legunt alii: *Tale quid excusat*, vel *excuset Mæotide sævior ara Ægyptus?* eadem ferme sententia: nempe quid simile causari potest Ægyptus? Saguntus porrò est urbs in Hispania; quam cùm obsideret Hannibal, maluerunt Saguntini, post expertas omnes famis inauditæ angustias, se, ac sua omnia in ignem conjicere, quàm deficere à Romanis.

Mæotide &c. Sensus est: quod fecerunt Ægyptii, superat crudelitatem sacerdotum Dianæ Tauricæ, propè Mæotidem paludem; qui tametsi hospites, & advenas mactarent ad aras, eorum tamen carnibus non vescebantur.

Quippe illa &c Taurica Chersonesus, quæ dira ejusmodi sacrificia in honorem Dianæ invenit. Taurica Chersonesus est peninsula illa, quæ hodie Tartaria minor, seu Præcopensis, appellatur. Hanc alluit Mæotis palus, de qua Sat. 4. vers. 36. pag. 54.

Ut

Digna fide credas) tantùm immolat: ulterius nil,
Aut gravius cultro timet hostia. Quis modò casus
Impulit hos? quæ tanta fames, infestaque vallo
Arma coegerunt tam detestabile monstrum
Audere? Anne aliam, terra Memphitide sicca,
Invidiam facerent nolenti surgere Nilo?
Qua nec terribiles Cimbri, nec Britones unquam,
Sauromatæque truces, aut immanes Agathyrsi,
Hic rabie sævit imbelle, & inutile vulgus,
Parvula fictilibus solitum dare vela phaselis,
Et brevibus pictæ remis incumbere testæ.
Nec pœnam sceleri invenies, nec digna parabis
Supplicia his populis, in quorum mente pares sunt
Et similes, ira, atque fames. Mollissima corda

Ut jam, &c. Si credis fide digna, quæ poetæ cecinerunt.

Nil gravius cultro timet. Idest, non timet, ne manducetur.

Hos. Ægyptios.

Infestaque, &c. An arma, sive hostes, vallo, & obsidione urbi infesti, eamque ad dira omnia compellentes?

Anne alia, &c. Sensus est: si Nilus nollet in agros Ægyptios effundi pro more, ut eos fœcundos faceret, atque adeò terra sicca Memphitis foret, & sterilis; an Ægyptii possen aliquid cōmittere immanius, quò ejus in se odium, invidiam, & offensionem, concitasse meritò dicerentur? vel: si Nilus noluisset surgere, id est, aquas abundantes in Ægyptum effundere; an poterant eum odiosum, & invisum facere alio majori crimine perpetrato?

Terra Memphitide. Idest Ægyptia; quia Memphis nobilis est Ægypti civitas.

Qua nec, &c. Ordo est: imbelle vulgus Ægyptiorum hac rabie sævit, eam exercuit in cadaver mortui crudelitatem, qua nec Cimbri, nec Britones, &c. unquam sævierunt. Cimbri populi sunt Germaniæ, ubi nunc Dania. Britones, seu Britanni, Angliæ sunt populi, vel, ut alii volunt, Galliæ ad occidentem. Sauromatæ, seu Sarmatæ, erant ubi nunc Moscovia est, & Polonia: nec procul habitabant Agathyrsi: feroces illi omnes, & truculenti populi.

Parvula, &c. Vulgus Ægyptiorum, qui solēt navigare in Nilo phaselis, hoc est, cymbis, & scaphis fictilibus è testa, & argilla factis, casque remis incūbētes agitare

Nec digna, &c. Qui sola im-

Humano generi dare se natura fatetur,
Quæ lacrymas dedit, hæc nostri pars optima sensus.
Plorare ergo jubet causam dicentis amici,
Squalloremque rei, pupillum ad jura vocantem
Circumscriptorem, cujus manantia fletu
Ora puellares faciunt incerta capilli.
Naturæ imperio gemimus, cùm funus adultæ
Virginis occurrit, vel terra clauditur infans,
Et minor igne rogi. Quis enim bonus, aut face dignus,
Arcana, qualem Cereris vult esse sacerdos,
Ulla aliena sibi credat mala? Separat hoc nos
A grege mutorum; atque ideò venerabile soli
Sortiti ingenium, divinorumque capaces,
Atque exercendis, capiendisque artibus apti,

impulsi iracundia id faciunt, quod suadere tantùm potest extrema fames, illis digna pœna parari non potest.

Quæ lacrymas dedit. Natura, quæ nos ad lacrymas pronos, & alienæ miserationem, calamitatis finxit; hæc hominum propensio longè est optima: inter humanas affectiones, hæc est laudatissima.

Plorare, &c. Natura igitur nos jubet plorare squallorem, & tristitiam amici, qui reus agitur, & causam apud judices dicit; deflere pupilli calamitatem, qui tutorem, à quo deceptus est, & bonis spoliatus, vocat in judicium, accusatque lacrymans, capillis longioribus, quales habent puellæ, neglectis, & in genas ita confusè sparsis, ut nescias an puer, an puella sit.

Adultæ. Grandioris, nubilis.

Et minor, &c. Id est, brevior suo rogo: vel junior, quàm ut corpus ejus crematur: infantes enim, ante natos dentes defuncti, non cremabantur, sed condebantur humo.

Quis enim, &c. Quis vir bonus, & qualis esse debet, qui arcanis Cereris sacris interest, putat aliorum mala esse à se penitus aliena, nihil ad se pertinere.

Face arcana. Mysteria, & sacra Cereris noctu celebrari solebant silentio, facibus accensis, quas manu tenebant sacrificantes: iis nemo nisi castus, & purus intererat: idque signum probitatis putabant esse sacerdotes, si quis non extincta face cucurrisset.

Hoc. Ista commiseratio innata nobis.

Mutorum. Brutorum animi-

Sensum à Cœlesti demissum traximus arce,
Cujus egent prona, & terram spectantia. Mundi
Principio indulsit communis conditor illis
Tantùm animas, nobis animum quoque, mutuus ut nos
Affectus petere auxilium, & præstare juberet:
Dispersos trahere in populum, migrare vetusto
De nemore, & proavis habitatas linquere sylvas;
Ædificare domos, laribus conjungere nostris
Tectum aliud, tutos vicino limite somnos
Ut collata daret fiducia; protegere armis
Lapsum, aut ingenti nutantem vulnere civem;
Communi dare signa tuba, defendier iisdem
Turribus, atque unà portarum clave teneri.
Sed jam serpentum major concordia: parcit
Cognatis maculis similis fera: quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam
Expiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam: sævis inter se convenit ursis.
Ast homini ferrum lethale incude nefanda
Produxisse parum est, cùm rastra, & sarcula tantùm

nimantium.

Sensum. Animum, rationis compotem, quo animantes carent.

Animas. Nempe animas, quę nutriendi tantùm, & sentiendi vim habent.

Animum quoque. Rationem, intelligentiam, animam consilii, rationisque participem.

Dispersos, &c. Homines vagos in unum cętum, & civitatem congregare.

Laribus. Domui.

Tutos, &c. Sensus est: ut majori cum fiducia, & tranquillitate somnum caperemus, propter vicinas domos, cum nostra collatas, sive conjunctas; cùm aliis alius conferre posset auxilium, si quis noctu casus contingeret.

Lapsum. Calamitate propè eversum, & perditum.

Communi dare, &c. Idest, bellum conjunctis viribus inferre hosti.

Cognatis maculis. Feris eamdem pellem, iisdem sparsam maculis, hoc est, eamdem habentibus naturam.

Convenit ursis. Inter ursos pax, & concordia viget.

Ast homini, &c. Sensus est: non satis est hominum crudelitati gladios fabricasse, quibus alios homines occidant;

N 6

Assueti coquere, & marris, ac vomere lassi,
Nescierint primi gladios excudere fabri:
Aspicimus populos, quorum non sufficit iræ
Occidisse aliquem, sed pectora, brachia, vultum,
Crediderint genus esse cibi. Quid diceret ergo,
Vel quò non fugeret, si nunc hæc monstra videret
Pythagoras, cunctis animalibus abstinuit, qui
Tanquam homine, & ventri indulsit non omne legumen?

dant; cùm primi fabri instrumenta tantùm rustica, rastra, v.gr. sarcula, &c. procuderent: videmus populos, quibus non sufficit homines occidere, nisi & comedant.

Vomere lassi. Lassi cudendo marras, & vomeres. Marra est ligonis genus.

Pythagoras. Fuit philosophus insignis, ex insula Samo in Græcia oriundus: In Italiam venit, regnante Tarquinio Superbo. Docebat ille, hominum animas transire post mortem in corpora non solùm hominum, sed etiam animalium. Itaque animalibus non vescebatur, in quibus humanas animas putaret esse.

Et ventri, &c. Qui non omnibus leguminibus vescebatur. Abstinebat enim fabis, vel quia fabæ ventrem inflant, ac distendunt, sensúsque dicuntur hebetare; vel, quòd in fabis putaret esse mortuorum animas: ut ait Plin. lib. 18.



SA-

SATYRA XVI.

Militia commoda.

QUis numerare queat felicis præmia, Galle,
Militiæ? nam si subeantur prospera castra
Me pavidum excipiet tyronem porta secundo
Sidere: plus etenim fati valet hora benigni,
Quàm si nos Veneris commendet epistola Marti,
Et Samia genitrix, quæ delectatur arena.
Commoda tractemus primùm communia; quorum
Haud minimum illud erit, ne te pulsare togatus
Audeat, imò etsi pulsetur, dissimulet, nec
Audeat excussos Prætori ostendere dentes,
Et nigram in facie tumidis livoribus offam,

Nam si, &c. Si mihi contingat militiam profiteri in castris fortunatis, ubi nempe sit Imperator strenuus, fortes, & boni commilitones, &c. ego in ea libenter ingrediar, & militię nomen dabo, quamvis sim tyro pavidus; Tunc me porta castrorum illorum accipiet faustis ominibus, modò faveant mihi benigna sidera, & benignum fatum aspiret.

Porta. Hìc intelligitur porta castrorum; in quibus apud Romanos erant duæ portæ præcipuæ, una hosti obversa, quæ Prætoria dicebatur; altera Decumana. Vide Rosinum de antiq. Roman. libro 10. cap. 18.

Plus, &c. Vis enim fati major est ad felicem militiam, quàm si Venus, amica Martis, militiæ Dei, vel Juno ejus mater, nos ipsi Marti per litteras commendet.

Samia. Colebatur enim maximè Juno in Samo, insula maris Ægæi.

Communia. Omnibus militibus.

Pulsare. Vexare, negotium tibi facessere, ferire.

Togatus. Idest, civis, qui miles non est, sagum enim erat militum vestis; toga, civium.

Excussos. Quos ipse excussit miles, à quo vapulavit.

Et nigram, &c. Et partem carnis in vultu contusam ictibus, & lividam. Offa propriè est frustum carnis, panis, &c. dicitur, & de

omni

Atque oculos, medico nil promittente, relictos.
Bardiacus judex datur hæc punire volenti,
Calceus, & grandes magna ad subsellia suræ,
Legibus antiquis castrorum, & more Camilli
Servato, miles ne vallum litiget extra
Et procul à signis. Justissima Centurionum
Cognitio est igitur de milite; nec mihi deerit
Ultio, si justæ defertur causa querelæ.
Tota cohors tamen est inimica, omnesque manipli

omni re, quæ in tumorem excrescit.

Nil promittente. Desperante illos restitui, & sanari posse, adeò ictibus deformati sunt; quamvis non fuerint effossi, sed adhuc in capite relicti.

Bardiacos, &c. Si quis civis velit litem intendere militi, & eum in jus vocet ad pœnas expetendas; datur illi pro judice aliquis Centurio; qui militi favebit scilicet. Bardiacus dicitur, quia Centuriones solebant in castris uti crassa, & militari veste, seu, cucullo, qui Bardiacus dicebatur, eò quòd eo plurimùm uterentur Bardi, Galliæ populi, unde & Bardocucullus etiam appellatur.

Calceus, &c. Idest, Centurionis illius, & Bardiaci judicis, cujus ad subsellia, seu tribunal venisti, apparent ingentes calcei, magna crura, & grandes ocreæ: solebant enim Centuriones esse viri proceri, & fortes. Non tam homo datur judex, quàm vestis ejus, calcei, & ocreæ, quæ omnia in eo eminent, atque extant.

Legibus, &c. Quia legibus castrorum, & ea maximè, quam L. Furius Camillus sancivit, cautum est, ut ne milites cogantur extra castra litigare, & procul à vexillis.

Justissima. Hoc dicit civis, qui militem accusat: Bene est, inquit, æquum est, ut cognoscat, ac judicet de mea, & militis causa Centurio aliquis; siquidem id lege sancitum est.

Nec mihi, &c. Sensus est: & licet Centurionem habeam judicem, puniet tamen militem, à quo injuria sum affectus, si justas ad eum querelas detulero.

Tota, &c. Respondet Juvenalis. Nihil inde proficies: nam tota cohors tibi erit infesta, ob unum è suo numero accusatum; omnes ad unum milites tibi militem accusanti adversabuntur.

Cohors. Est decima pars legionis: in ea milites erant aliàs quatuor millia, aliàs sex millia: cohortes semper decem, in cohorte manipuli tres.

Cu-

Consensu magno officiunt. Curabitis ut sit
Vindicta gravior, quàm injuria: dignum erit ergo
Declamatoris Mutinensis corde Vagelli,
Cùm duo crura habeas, offendere tot caligas, tot
Millia clavorum. Quis tam procul absit ab Urbe?
Præterea quis tam Pylades, molem aggeris ultra
Ut veniat? Lacrymæ siccentur protinus, & se
Excusaturos non sollicitemus amicos.
Da testem, judex cùm dixerit; audeat ille

Curabitis, &c. Sensus est, ô togati, facietis equidem, ut ultio vobis non desit, ut vindicta vobis petentibus concedatur de milite: at illa vindicta vobis erit perniciosior, quàm ipsa injuria facta vobis à milite, nam omnes milites habebitis infensos, & ad faciendam injuriam paratos.

Dignum, &c. Itaque tam facis stolidè, dum militem in jus vocas, quàm facit Vagellius ille Mutinensis, malus patronus, & Causidicus, qui causas pessimas suscipit, in quibus semper est inferior, & vincitur.

Cùm duo, &c. Sensus est: temerarium est, cùm duo tantùm crura habeas, hoc est, unus cùm sis, tot caligas, & clavos, idest, tot milites, offendere: caliga enim est genus quoddam calceamenti militaris, quod clavis est ornatum.

Quis tam procul ab urbe: Quis est tam hebes, & rusticus, tam ab urbanorum hominum moribus abhorrens, ut audeat, tanto suo periculo, venire tecum in castra, ut militem accuset?

Tam Pylades. Tam tibi amicus. Pylades, & Orestes noti sunt ob amicitiam. Responsum erat oraculo, sanatum iri Orestem à furiis, quibus post occisam matrem agitabatur, si aram Dianæ Tauricæ adiret; profectus est cum eo Pylades: verùm cùm ibi decimus quisque hospes immolaretur, & mactaretur Dianæ, & Orestes decimus esset, Pylades decimum se esse affirmavit, ut pro amico moreretur.

Molem, &c. Ultra vallum, & aggerem, intra castra.

Lacrymæ, &c. Lacrymas absterge, depone mœrorem, & sensum illatę injuriæ dissimula, nec amicos frustra vexa.

Da testem, &c. Ubi Centurio judex istius causæ, dixerit civi militem accusanti:

Nescio quis, pugnos vidit, qui, dicere; Vidi;
Et credam dignum barba, dignumque capillis
Majorum. Citiùs falsum producere testem
Contra paganum possis, quàm vera loquentem,
Contra fortunam armati, contraque pudorem.
Præmia, nunc alia, atque alia emolumenta notemus
Sacramentorum. Convallem ruris aviti
Improbus, aut campum mihi si vicinus ademit,
Aut sacrum effodit medio de limite saxum,
Quod mea cum vetulo coluit puls annua libo?
Debitor aut sumptos pergit non reddere nummos
Vana supervacui dicens chirographa ligni;

ti: testem profer in militem; eritne aliquis, qui ausit testari se pugnos à milite tibi incussos vidisse, etsi revera viderit? nemo erit, aut ille certè, si quis existat, existimabitur à me homo antiquæ probitatis, & fidei.

Barba, &c. Antiqui enim barbam, & capillos non tondebant.

Citiùs, &c. Sensus est: longè facilius falsus testis in civem reperietur, quàm verus in militem.

Paganum. Togatum, seu civem in villa, & pago habitantem.

Fortunam armati, &c. Contra militis opes, & pudorem, hoc est, contra ejus famam, & existimationem.

Sacramentorum. Idest, novæ militiæ, in qua scilicet milites sacramento adiguntur se pro Repub. fortiter dimicaturos.

Convallem, &c. Si avarus vicinus mihi abstulit partem agri à meis majoribus possessi, aut limites, quibus ager meus à suo separabatur, emovit, si negat mihi reddere, quos debet nummos, suum chirographum, quod illi in lignea tabella ipsius manu appositum ostendo, falsum esse affirmans, & inutile: tum, si rogatus sum, non miles, lentè mea causa judicatur, trahitur tempus per mille moras, & dolos: at si miles sum, non item.

Sacrum, &c. Limites, & termini agrorum erant sacri apud veteres in iis Jovi Terminali sacra quotannis faciebant, offerebantque pultem, & liba seu placentas, quas vetulas appellat, quia vetus agri possessor. Porrò saxum effodisse dicit, quia solebant Romani, ad agri limites definiendos, lapidem, vel stipitem aliquem statuere; quem loco movere nefas erat.

Ex-

Expectandus erit, qui lites inchoat, annus,
Totius populi: sed tunc quoque mille ferenda
Tædia, mille moræ, toties subsellia tantùm
Sternuntur, jam Cæditio ponente lacernas,
Digredimur, lentaque fori pugnamus arena;
Ast illis, quos arma tegunt, & balteus ambit;
Quod placitum est, ipsis præstatur tempus agendi,
Nec res atteritur longo sufflamine litis.
Solis prætereà testandi militibus jus,
Vivo patre, datur: nam, quæ sunt parta labore
Militiæ, placuit non esse in corpore census,
Omne tenet cujus regimen pater. Ergo Coranũ,
Signorum comitem, castrorumque æra merentem,

Expectandus, &c. Sensus est: mihi per annum totum erit expectandum, dum lis mea inchoetur, & ordine suo dijudicetur, inter totius populi tot lites. Vel, diu erit expectandum tempus illud, quo totius populi lites judicentur, nempe donec conveniant illi 105. viri, ex 35. populi Romani tribubus electi, terni ex singulis, apud quos populi causæ, & civium agitantur: illi autem cùm essent 105. non facilè omnes conveniebant, nec nisi post annum aliquando integrum adiri poterant.

Subsellia, &c. Sæpè adornantur tapetibus subsellia, quasi convenire mox deberent judices: jam Cęditius, unus ex illis, togam crassiorem ob æstum deponit: sed cùm major pars judicum absit, cogimur infecta re digredi.

Lentaque, &c. Lentè causam inceptam absolvimus: ut gladiatores, qui in arena dimicant segnius,

Ast illis, &c. Militibus, tempus dicendæ causæ illicò, ubi volunt, conceditur.

Nec res, &c. Et opes eorum non consumuntur sensim longa litis dilatione. Sufflamen propriè est lignum transversum, quod, radiis rotarum implicatum, sistit currum, ac retardat: hìc sumitur pro dilatione, & mora.

Testandi. Testamenti conficiendi.

Parta, &c. Militum bona jurisconsulti vocant castrensia.

Placuit, &c. Sanxerunt leges, ut bona castrensia non censerentur pars patrimonii, & in iis bonis non numerarentur, quorum dominus est pater militis.

Signorum comitem. Militem, qui signa, & vexilla sequitur.

Jam

Quamvis jam tremulus, captat pater: hunc
labor æquus
Provehit, & pulchro reddi sua dona labori,
Ipsius certè ducis hoc referre videtur.
Ut qui fortis erit, sit felicissimus idem,
Ut læti phaleris omnes, & torquibus omnes.

Jam tremulus, &c. Cornani militis, pater, licèt jam tremulus, idest, jam senex, illum captat, illi blanditur; ut nempe si moriatur filius ante ipsum, ejus bonis militia partis frui possit.

Hunc, &c. Miles ad opes, & honores evehitur labore honesto militiæ.

Pulchro reddi, &c. Ipsius ducis interesse videtur, ut pulchro labori militum sua merces reddatur, ut qui sunt fortissimi, sint etiam & felicissimi, ut phaleris omnes, & torquibus sint ornatissimi. Phaleræ porrò sunt equorum ornamenta, torques, militum.


FINIS.


AULI PERSII SATYRÆ,

Cum Interpretatione, ac Notis

P. JOSEPHI JUVENCII

è Societate JESU.





AULI PERSII SATYRÆ.

PROLOGUS.

Dicit se, quamvis optimus poeta non sit, carmina tamen, & Satyras scribere. Neque gloriam ex illis, aut lucrum, quod multi faciebant, captare.

NEc fonte labra prolui Caballino*,

INTERPRETATIO.

Nunquam è fonte Hippocrene bibi, neque memini, me unquã in Parnasso dormivisse, ut subitò poeta e-

NOTÆ.

Persii. Aulus Persius Flaccus natus est in ea parte Italiæ, quæ Etruria dicitur, Volaterris, anno ab Urbe condita 790. Tiberii 11. Romam litterarum causa cùm venisset, ibi Cornuti, Philosophi celeberrimi, discipulus fuit. Sex satyras scripsit, quibus, ut Quintilianus testatur, multùm veræ gloriæ meruit. Extinctus est morbo, anno ætatis 30.

Caballino. Caballus idem sonat, atque equus. Fingunt poetæ equum Pegasum ex Heliconis montis vertice ungula fontem elicuisse, qui fons Caballinus, seu Pegaseus appellatus sit, Græcè Hippocrene, quasi diceres, fons equi. Labra autem proluere in fonte, est, ex fonte aquam haurire potandam.

Ex-

Nec in bicipiti somniasse Parnasso.
Memini, ut repentè sic poeta prodirem.
Heliconiasque, pallidamque Pirenen
Illis remitto, quorum imagines lambunt
Hederæ sequaces: ipse semipaganus,
Ad sacra vatum carmen affero nostrum.

INTERPRETATIO.

vaderem. Musas, & loca illis consecrata, ut fontem Pirenem, nunquam adivi, sed illis hoc relinquo, qui in bibliotheca Palatini Apollinis statuas hedera coronatas habent: ipse tamen, quamvis poeta sim rudis, ac penè rusticus, ad vatum sacram ædem hoc meum carmen affero. Quis docuit psittacum pronunciare tam expeditè vocem illam Græcam, Χαῖρε, tanquam si sua, & naturalis esset? Quis docuit corvum è cavo, & rauco gutture proferre vocem hanc, *Salve*? Quis picas docuit, conatum adhibere ad humanum sermonem imitandum? Certè id docuit fames, &

NOTÆ.

Bicipiti. Parnassus fuit mons Phocidis in Græcia, duos habens vertices, seu capita.

Somniasse. Vel quia poetæ sæpe delirant, ac mera fingunt somnia: vel quia Ennius profitetur se, cùm aliquando in Parnasso dormiret, vidisse in somnis Homerum, qui affirmaret suam animam in ipsius Ennii corpus transmigrasse, & ita se poetam repente, parem Homero, factum.

Heliconidasque. Musas, ita dictas ab Helicone, monte Bœotiæ, non procul à Parnasso.

Pirenen. Pirene, fons Musis sacer, fluit è monte Acrocorintho, ad cujus radices Corinthus, Græciæ civitas, est. Ita dictum ferunt à Nympha quadam Pirene, quæ, cùm dolore amissi filii contabesceret, in fontem à Neptuno mutata est. Pallidam autem Persius vocat, quia poetæ nimio studio impallescunt.

Quorum, &c. Poetis præstantioribus imagines, & statuæ ponebantur, hedera coronatæ; quòd hedera Baccho sacra sit, cujus in tutela sunt poetæ. Sequacem autem hederam appellat, quia facilè adhærescit, & ramulis suis ad arborum fastigia prorepit.

Lambunt. Ambiunt.

r *Semipaganus*. Pagani sunt rustici, qui in pagis habitant, & ab urbanis ut barbari, & profani contemnuntur. Semipaganus, est, semirusticus, semidoctus.

Sacra vatum. Intelligit ædem Musarum, & Apollinis,

Quis expedivit psittaco suum Χαῖρε?
Corvos quis olim concavum salutare,
Picasque docuit verba nostra conari?
Magister artis, ingenique largitor
Venter, negatus artifex sequi voces,
Quòd si dolosi spes refulserit nummi:
Corvos poetas, & poetrias picas

INTERPRETATIO.

venter jejunus, qui omnes artes addocet, & ingenium largitur etiam brutis, & avibus, qui subtiles illas, & ingeniosas facit ad consequendas, & exprimendas voces humanas, quas natura ipsis negavit. Quòd si lucri spes affulgeat, si sperent homines indocti, & egentes posse scribendo ditescere; statim illi corvi poëtæ, & illę garrulæ, atque absurdæ picæ, instar poe-

NOTÆ.

nis, ab Augusto extructam, ad quam poetæ sua deferre opera solebant, ut ibi servarentur.

Psittaco. Docentur psittaci pronunciare voces illas, *Ave*, *Salve*, *&c.* quibus Dominos, domum subeuntes, salutent. Χαῖρε vox est Græca, significans *Ave*.

Corvos. Augustus ab Actiaca victoria cùm rediret, occurrit illi Romanus civis, corvum manu tenens, qui hæc humana verba protulit, *Ave*, *Cęsar victor*. Corvum hunc Augustus emit 20000 nummorum, hoc est, bis mille libris Gallicis, Italicis verò nummis scutatis circiter [quadringèntis], & quinquaginta. *Macrobius lib. 2. c. 4.*

Artifex sequi, *&c.* Qui venter instar periti artificis, dat facultatem feris, & avibus, ut assequantur voces humanas, ipsis à natura non concessas.

Dolosi. Quo homines, ut esca dolosa, capiuntur. Eidem vota facere tunc solebant. Inde occasio Satyræ.

Corvos. Corvi fient poetæ, & picæ poetriæ; nec tantùm loqui hominum more discent, sed versus, instar poetarum, facient, & melos Pegasejum canent, hoc est, carmina dulcissima, & optima, qualia sunt, quæ elaborantur ad Pegasi fontem. Sententia esse etiam hæc potest: fient, non minùs inepti ad canendum, quàm corvi, & poetriæ non minùs insulsæ, quàm picæ, tam audacter scribent carmina, tam fidenter illa

reci-

Cantare credas Pegaseium melos.

INTERPRETATIO.

triarum, ita canent suaviter, ut audire te credas melos, quale in Parnasso ipso potest audiri suavissimum.

NOTÆ.

recitabunt, ut credas te audire opera omnibus numeris absoluta. Porrò, *melos*, hìc primam syllabam producit, ut in eadem voce Græca Homerus produxit, & Ennius in eadem Latina: De fonte Pegasi, sive Caballino, facta mentio est nota prima. Porrò non videtur Persius, ut quidam rectè censent, hæc de seipso scribere, quippe Romanus eques, genere opibusque florens. Tum, qua fronte censuram morum publicorum tam fidenter suscepisset, turpe lucri studium, & egestatem in limine professus?



SA-

SATYRA I.

Invehitur in varia poetarum, & oratorum vitia.

O Curas hominum! ò quantum est in rebus inane.
A. Quis leget hæc? P. Min' tu istud ais? A. Nemo Hercule. P. Nemo?
A. Vel duo, vel nemo: turpe, & miserabile. P. Quare?
Ne mihi Polydamas, & Trojades Labeonem
Prætulerint? nugæ. Non, si quid turbida Roma

INTERPRETATIO.

O ineptas hominum curas! ò quantum inanitatis in rebus humanis est! Quis hæc, ò Persi, quæ tam præclarè incipis, leget? Tune, ò amice, me alloqueris? tune mihi istud dicis? Ita est, teipsum alloquor: nemo ea leget profectò. Itane est, nemone ista leget? Duo ad summum, ea legent, vel potiùs nemo unus leget: quod sanè indignum est, & miserabile. Cur autem? Scilicet vereris, ne Labeonem, Polydamas quispiam, & Trojanę matronę mihi pręferant? quasi verò ea me ratio deterrere à scribendo debeat. Erras, si, in æstimandis rebus, standum putas judicio Romanorum. Non, si quid illi contemnunt, accedere debes ad eorum opinionem, aut de illorum judicio, tanquam de iniqua truti-

NOTÆ.

O *curas hominum &c.* Fingitur Persius satyram inchoare ab hoc versu; tum supervenire amicus, à quo interpelletur subito, & à scribendo deterreatur, eo nomine, quòd, quæ scribit, à nemine legenda sint.

Hercule. Olim dicebatur, ita me Hercules adjuvet; deinde, brevitatis causa, me Hercules; denique Hercules, vel Hercule.

Vel duo, vel. Quidam hęc verba Persio tribuunt, quasi diceret, vel duo, vel tres ista legent: tum amicus responderet: nemo unus leget.

Polydamas. Sumptum est hoc ex Iliadis libro 22. ubi

Elevet, accedas, examenve improbum in illa
Castiges trutina, nec te quæsiveris extra.
Nam Romæ quis non? Ah, si fas dicere; sed fas;
Tunc, cùm ad canitiem, & nostrum istud vivere triste

INTERPRETATIO.

na: reprehendendo admodùm laborare. Noli te quærere extra te; noli te ex aliorum judicio, & sensu potiùs, quàm ex tuo æstimare. Nam Romæ quis non est rerum iniquus æstimator? Cujus judicium, cujus vita non est corruptissima? Ah! si mihi fas esset vitia Romanorum insectari liberè? Cur autem non licet? nonne fas videtur esse, cùm intueor ipsorum senum pueriles occupationes, & vitam gravitatis, & virtutis, in speciem, plenam? ubi aspicio nostras virorum, postquam ex ephebis excessimus, curas, & studia; cùm sapientes, & severi existimari volumus, & censores adolescentum esse? tunc, tunc, mihi temperare non possum quin satyram scri-

NOTÆ.

Hector statuit in singulare certamen cum Achille descendere, aitque, ni id faciat, vereri se reprehensionem Polydamantis, ac Trojanarum. Eadem allegoria utitur Cicero ad Atticum, ubi per Troiadas seu Trojanas, Romanos imbelles, & effœminatos intelligit. Polydamantis, Trojani Principis, nomine Neronem designat. Attius, sive Accius Labeo, infacetus poeta, Neroni carus.

Elevet. Elevare interdum est extollere, augere: interdum, minuere, criminari, damnare, ut hoc loco. Turbidos autem Romanos vocat, qui non ex ratione, sed ex perturbatione, vitiosa temerè, ac turbidè judicent.

Examen. In libra est jugum, seu transversum ferrum, ex quo hinc inde pendent lances. In medio jugo prominet examen, hoc est, acumen ferreum, seu stylus, aut lingula: includitur autē illa lingula in oblongo foramine, quod est in ansa: qua libra tota tenetur manu: in quo foramine si se lingula contineat, neque huc, vel illuc vergat, intelligitur esse libra in æquilibrio. Castigare autem examen, est digito libram, seu libræ jugum percutere, & compescere, ut tēperetur, ac post agitationem cōquiescat, & quò vergat examen, cognoscatur.

Canitiem. Vel significat reve-

Aspexi, & nucibus facimus quæcumque relictis,
Cùm sapimus patruos; tunc, tunc, ignoscite.
A. Nolo.
P. Quid faciam? sed sum petulanti splene cachinno.
Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber
Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet,

INTERPRETATIO.

bam: parcite, ò Romani, si vestros mores insector. Abstine porrò, nolo, scribas quidquam. Quid faciam igitur? an silebo, ut mones? sed sum ad risum, & dicacitatem propensior, abstinere me non possum. Componimus in museum abditi, alius versibus, alius soluta, & libera pedibus oratione; scribimus, inquam, aliquid sublime, & ampullatum, quod anhelanti pulmone, & voce contenta recitemus. Nimirum tu populo hæc declamabis è loco superiori, pexis capillis, & recenti veste, eaque candida, & nitida indutus, gerens annulum insignem grandi gemma, qualem die tuo natali gestas; postquam tibi fau-

NOTÆ.

reverà senectutem, vel gravitatem quandam senilem, quam Romani affectabant, ut virtutem simularent.

Nostrum vivere. Nostram vivendi rationem: Græca locutio est, Græci enim infinitivo utuntur, tanquam nomine substantivo.

Nucibus, &c. Pueri nucibus delectantur: itaque nuces reliquisse, est, ad grandiorem ætatem pervenisse.

Cùm sapimus, &c. Idest, cùm imitamur patruos. Patrui ferè sunt severi in suos nepotes, itaque patruus pro castigatore, & censore juniorum sumitur, ut nepos pro dissoluto, & prodigo,

Splene. Splen sedes risus esse dicitur, ut iræ jecur. Cachinno est hìc nominativi casus; cachinno, cachinnonis; & significat derisorem, hominem in cachinnos effusum.

Scribimus. Cohærent ista cum primo versu: *O curas hominum, &c.* Undecim, qui à primo numerantur, versus, sunt interjecti: & dicuntur à monitore per parenthesim. Insectatur poetas inanem gloriam putidè aucupantes; idque in sua persona, quod magis est satyricum.

Numeros. Versus, qui pedibus, ac numeris astricti sunt.

Animę pręlargus. Animę hic

Scilicet hæc populo, pexuſque, togaque recenti,
Et natalitia tandem cum ſardonyche albus,
Sede leges celſa, liquido cùm plaſmate guttur
Mobile collueris, languenti fractus ocello,
Tun'; vetule, auriculis alienis colligis eſcas?
Auriculis, quibus & dicas cute perditus, ohe!

INTERPRETATIO.

ces aliqua dulci potione laveris, ut vox ſit tua liquidior, & clarior, atque ipſe oculis laſcivis molles geſtus edes inter recitandum. Tùne, ò ſenex infelix, componis verſus tantùm ad ineſcandas hominum aliorum aures, & delectandas? hominum, inquam, à quibus ipſe, quamvis gloriæ avidiſſimus, tamen adeò putidè lauderis, ut inflatus iſtis laudibus immodicis, ac propè rumpendus, cogaris dicere, ohe, deſinite. At, inquis, quò pertinet didiciſſe, & ſcire aliquid, niſi erumpat iſta ſcientia, ut fermentum quoddam, & exundet ad aliorum cognitionem, & famam? niſi latens imo in pectore innata gloriæ cupiditas, ut caprificus, exeat foras, & emergat? En igitur, ò vates infelix, cur libris impalleſcas! cur te componendo maceres, ac fatiges! ò tempora, ò mores! adeò.

NOTÆ.

hìc pro ſpiritu, & anhelitu ſumitur; pulmo animę prę largus eſt, pulmo amplus, ac multo ſpiritu abundans, qui vocem ingentem emittit, &c.

Sardonyche. Sardonyx eſt gemma ſubrubra, & ſubcandida, colorem habens Sardii lapilli, qui rubeus, & Onychis, qui ferè albus eſt.

Albus. Vel, indutus veſte candida, recenti, ſplendida: vel, ſi magis placet, ob metum, & pallorem exalbeſcens initio dicendi.

Plaſmate. Græca vox eſt, potionem ſignificans, aut aliquid aliud medicaminis, quo vox mollis, ac lubrica redditur, & quaſi fingitur.

Mobile. Expeditum, & tractabile, ad vocem ſine aſperitate traducendam.

Colligis eſcas. Eſcas, ſive epulas, auribus, oculis dare, eſt oculos, aureſve aliqua re ſuavi oblectare, & quaſi paſcere.

Cute perditus Is propriè ſic appellatur, qui laborat aqua intercute: transfertur ad inanis gloriæ cupidum, qui laude numquam ſatiatur, ut hydropicus aqua. Poteſt etiam ducta eſſe tranſlatio ab utre, cujus pellis ni-

Quò didicisse, nisi hoc fermentum, & quæ semel intus
Innata est, rupto jecore, exierit caprificus?
En pallor, seniumque: ò mores! usque adeòne
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?
At pulchrum est digito monstrari, & dicier, hic est.
Ten' cirratorum centum dictata fuisse.
Pro nihilo pendas? Ecce inter pocula quærunt

INTERPRETATIO.

ne tua scientia nihil est nisi ab aliis cognoscatur, nisi eruditus habearis? At gloriosum est designari digito; audire, qui dicant de te, hic ille poeta egregius est. Nonne magnum quiddam est versus tam bonos condere, ut magistri eos dictent plurimis adolescentibus nobilibus quos instituunt? Ecce Romani, mediis in conviviis poti, & pransi rescire cupiunt, quid tractent egregia poetarum bonorum carmina. Tum aliquis indutus eleganti veste coloris violacei, partem quamdam obsoleti, & insulsi carminis recitat bal-

NOTÆ.

nimium inflata dirumpitur. Vide Martialem epigrammate ultimo Libri 4. & Horat. Sat. 5. lib. II.

Ohe. Ea voce utebantur, cùm alicui rei finem esse impositum significarent.

Fermentum. Intelligitur per fermentum eruditio, quæ poetam inflat, ac tumidum facit, (ut farina fermento intumescit) adeò ut eam intra se continere nequeat, quin ostentet aliis.

Caprificus. Est ficus sterilis, quæ nascitur in parietibus, & saxa disiicit. Notat hic inanem illam, & sterilem doctrinam, quam gloriæ cupiditas foras profert ad ostentationem, non sine poetæ damno, & ignominia.

Senium. Vel, ridet poetam, qui ætate jam decrepita gloriolam aucupetur; vel sumitur hic senium, ut sæpe, pro vultu severo, austeriore vita, labore, & sollicitudine, qua se macerant poetæ in condendis carminibus.

Cirratorum Cirri sunt capilli crispati, vel natura, vel arte, & calamistro, in annulos implexi, & cincinnos. Itaque cirrati sunt juvenes eleganti coma, pexa, & compta cæsarie.

Ten' dictata fuisse? Tuane opera argumentum esse thematum, quæ componenda, vel memoriæ man-

Romulidæ saturi, quid dia poemata narrent.
Hìc aliquis, cui circùm humeros hyacinthina læna,
Rancidulum quiddam balba de nare locutus.
Phyllidas, Hysipilas, vatum, & plorabile si quid

INTERPRETATIO.

butiens, & loquens naso magis quàm ore; ac versus de Phyllide, Hypsipile, & aliis tragicis argumentis, mollicula, & liquida voce recitans, verba frangit, atque abrumpit, ea palato molliter illidens: assentiunt illi convivæ, & applaudunt: age, nonne ille poeta post istos plausus habet, unde sibi gratuletur, speretque famam sui nominis etiam post cineres mansuram? nonne terra tumuli ipsi levis esse debet? an non ex ejus sepulchro flores, & violas nascituras arbitraris? Jocaris dicet aliquis, & ingenio tuo dicaci, ac Satyrico nimiùm indulges. Ecquis est tam vecors, ut nolit mereri laudem, & famam populi, & cùm ea scripserit, quæ in cedrinis

NOTÆ.

danda traduntur litteratis juvenibus; an id, inquam, spernis?

Dia. Idest, divina, polita, perfecta. Gestiunt audire aliquod carmen.

Hyacinthina. Ejusdem coloris, cujus est flos Hyacinthus, nempe qualem habet purpura violacea, sed paulò clarior. Læna est vestis villosa, quæ aliis imponitur, qua utebantur in conviviis.

Balba. Balbus est, qui vitio linguæ voces malè exprimit. Quod autem est oris proprium, tribuitur hìc naribus, per quas nonnulli turpiter emittunt spiritum inter loquendum.

Phyllidas. Phyllis, Lycurgi Thracum Regis filia, Demophoontem Thesei filium amabat. Is ad Trojam profectus, cùm seriùs quàm promiserat, rediret, illa spretam se suspicata, laqueo sibi fauces præclusit.

Hypsipilas. Hypsipile fuit filia Thoantis, Regis Lemni, quæ cùm duos ex Jasone liberos suscepisset, ab eo spreta, & destituta fuit.

Plorabile. Si quod lamentabile argumentum à vatibus pertractatum est.

Eliquat. Eliquare propriè est, vinum, aut alium quempiam liquorem per saccum transmittendo defæcare, & percolare. Liquidum facere.

Eliquat, & tenero supplantat verba palato
Assensere viri: nunc non cinis ille poetæ
Felix? non levior cippus nunc imprimit ossa?
Laudant convivæ: nunc non è manibus illis,
Nunc non è tumulo, fortunataque favilla
Nascentur violæ? Rides, ait, & nimis uncis

INTERPRETATIO.

scriniis mereantur asservari, non gaudeat relinquere posteritati carmina egregia, quæ non metuant, ne deferantur ad falsamentarios, aut thuris, & aromatum venditores, ad conficienda mercibus involucra? O tu, quisquis es, quem induxi hæc mecum modò loquentem, non is sum, qui laudem omnem respuam, si quid paulò concinnius à me scriptitatum in lucem exierit (quamquam hoc admodùm rarum est) neque enim adeò sum stupidus, ut laudis sensu caream: sed nego laudē ipsam, & illas præclaras acclamationes, *Euge, bellè*, quibus poeta excipitur,

NOTÆ.

re. Sic poeta per fauces certo modo verba transmittit, quasi ut puriora, & liquidiora fiant.

Supplantat. Hoc de athletis propriè dicitur, qui alterum, cum quo luctantur, supposito pede deiiciunt, ac subvertunt, ita recitator ille syllabas ultimas supprimit, ac decurtat.

Cinis ille, &c. Cùm aliquem beatum esse significabant, dicebant ejus cineres quietos fore, terram leviter ejus ossa presuram ex ejus sepulchro flores nascituros.

Cippus. Lapis est, vel saxea columella, quæ sepulchris imponi solet, cum aliquo elogio, & inscriptione.

Imprimit. Premit, onerat.

Manibus. Manes propriè sunt animæ mortuorū. Hìc pro sepulchro vox hæc ponitur, quia existimabant veteres mortuorum animas, sive umbras, ut vocabant, in sepulchris habitare, aut circùm illa oberrare.

Favilla. Est cinis calidus ignem tegens: bustum intellige, quo mortui poetæ cadaver crematum est. Possunt autem hæc intelligi omnia, vel de poeta, qui carmen recitavit, vel de alio poeta, qui ea carmina scripserit, quæ à nobili recitentur in convivio.

Uncis Naribus. Qui rident effusè, solent nares extremas attollere, & corrugare. Hinc illud: Naso suspendere adunco, pro deridere.

Naribus indulges. An erit, qui velle recuſet
Os populi meruiſſe? & cedro digna locutus,
Linquere nec ſcombros metuentia carmina, nec thus?
Quiſquis es, ò modò quem ex adverſo dicere feci,
Non ego, cùm ſcribo, ſi forte quid aptius exit,
(Quando hæc rara avis eſt) ſi quid tamen aptius exit,
Laudari metuam, neque enim mihi cornea fibra eſt:
Sed recti finemque, extremumque eſſe recuſo
Euge tuum, & *Bellè*. Nam bellè hoc excute totum,

INTERPRETATIO.

ſpectandas eſſe tanquàm finem vati bono propoſitum. Expende enim illas adulantium voces: quid inanitatis non habent? ab ejuſmodi plauſu captando longè abſum, non ſcribo carmina ſimilia Iliadi Atti Labeonis, qui multo Elleboro bilem purgare ſolet, atque ingenium excitare: non molles elegias condo, quales poti, & pranſi nobiles, inter vina componunt: non alia id genus carmina, quæ vates locupletes in lectulis è citro factis ſcribunt. Tu, ò poeta dives, noſti amicos adulatores convivio excipere; aſſeclæ, & comiti tuo veſtes donare; tum ſic eum alloqueris: Amo verum, dicito mihi, quid ſentias ve-

NOTÆ.

Cedro. Hæc arbor cariem non ſentit, ut etiam cupreſſus, immò quæcumque illinuntur ſucco cedri, ſunt à carie, tineiſque immunia.

Scombros. Scombri ſunt viles piſciculi; qui ſolent ineptis chartis, & inutilibus involvi, ut aliæ id genus merces, v.g. thus.

Rara avis. Alludit ad Phœnicem famoſam illam avem, quam in orbe toto unicam eſſe Plinius ſcribit. vel, ad inuſitatas aves, aut peregrinas, qualis eſt corvus albus, cignus niger.

Fibra. Hìc pro jecore ſumitur, quod multas habet fibras, & in quo voluptatis, & doloris ſedes ponitur, vel pro corde. Corneum autem hìc, eſt, ſenſus expers, durum, & quod amore laudis non tangitur: cornu enim ſenſu caret.

Eugè: *Bellè*. Duas illas aſſen-

Quid non intus habet? Non est hìc Ilias Attì,
Ebria veratro: non si qua elegidia crudi
Dictarunt proceres, non quicquid denique lectis
Scribitur in citreis. Calidum scis ponere sumen;
Scis comitem horridulum trita donare lacerna:
Et, verum, inquis, amo; verum mihi dicito de me:
Qui pote? Vis dicam? nugaris, cùm tibi, calve,

INTERPRETATIO.

rè de meis carminibus. At quo pacto potest iste, tuis ornatus muneribus, verum tibi de te dicere? Vis dicam ego? ajo te meras nugas, & ineptias scribere: nec mirum, cùm totus sagina, & adipe diffluas, & venter obesus tibi promineat uno pede, ac dimidio protensus. O felicem Janum, qui, cùm haberet geminum vultum, & oculos in occipite, non poterat à tergo illudi, sive aliquis, rostrum ciconię porrectis digitis imitatus, cum quasi tundere, ac vellicare isto rostro fingeret, sive admoto ad aures pollice, & reliquam manum movendo, asininas aures

NOTÆ.

assentatorias voces, quas tanti facis.

Ilias. Poema de excidio Troiæ, quæ dicebatur etiam Ilium.

Atti. Attius Labeo poeta insulsus, Homeri totam Iliadem ad verbum converterat in sermonem Latinum, idque inornate, & ridiculè.

Veratro. Veratrum est album Elleborum, quo purgatur cerebrum, & ingenium acuitur.

Elegidia. Parvas elegias.

Crudi. Laborantes cruditate stomachi, ob nimium cibum, & indigestum.

Lectis. Solebant poetę recumbentes in lectulis scriptitare: fiebant autem è citro, arbore pretiosa, divitum lectuli.

Sumen. Quasi sugimen: est mamma suis: ex qua fiebat genus farciminis, Romæ olim in deliciis habitum. Ponere, hìc, est apponere, epulandum dare.

Horridulum. Frigore trementem.

Qui pote? Quomodo id fieri potest? nempe ut verum tibi de te dicat. Pote neutrum est à latino veteri vocabulo Potis, & hoc pote, idest, potens, sive possibilis, & hoc possibile.

Calve. Irridentis est: ineptum, ac hebetem notat.

Pinguis aqualiculus protenso sesquipede extet.
O Jane, à tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitata est mobilis albas;
Nec linguæ, quantum sitiat canis Appula, tantum.
Vos, ò patritius sanguis, quos vivere fas est,

INTERPRETATIO.

repræsentaret; sive linguam tantam exereret, quantam canes exerunt in Apulia sitientes. At vos, ò Romani nobiles, quibus licèt honestè vivere, & cum dignitate, videte, ne quis adulator vos imprudentes à tergo irrideat. Petitis v. g. ab ejusmodi assentatoribus, quid dicat populus de vestris carminibus. Enim verò (illi respondent) quid potest aliud populus dicere, nisi ea carmina esse admodùm numerosa, & profluentia, adeò lævia, & polita, ut eorum juncturæ ne deprehendi quidem possint, ungue admoto, & impresso? adeò exactè composita, ut nulli fabri li-

NOTÆ.

Aqualiculus. Vas est ex quo escam porci sorbet; item ipsius porci venter: hìc pro ventre obeso ponitur, qui in anteriorem partem turgeat: homines autem crassi, & pingues, item abdomini servientes, & gulæ, vix ingeniosi sunt.

O Jane. Janus. Italiæ rex antiquissimus, cùm esset prudentissimus, ac præteritorum memoria uteretur ad providentiam futurorum, bifrons appellatus est, ac duplicem vultum habere dictus, adversum, & aversum.

Ciconia. Digitorum altero, quem indicem vocamus, extento, altero subjecto, nempe pollice, ciconiæ rostrum exprimitur.

Pinsit. Pinsere? est crebrò tundere ut aves, quæ rostro aliquid percutiunt: Hinc pistor, qui farinam tundendo subigit.

Albas. Asini aures introrsum pilis albis sparsæ sunt.

Nec lingua, &c. Ordo est: nec sannio quispiam imitetur tantum linguæ, seu linguam tantam; tam longè extensam, quantam porrigit sitiens canis Appula. Est Apulia regio Italiæ sicca, & arida.

Patritius sanguis. Primi Senatores à Romulo creati, vocati sunt patres, & eorum filii, Patritii: sumitur hìc pro quibuslibet nobilibus.

Vivere. Quos nulla res, non ignobilitas, non rei familiaris angustia, cogit fa-

mam.

Occipiti cæco, posticæ occurrite sannæ.
Quis populi sermo est? quis enim? nisi carmina molli
Nunc demum numero fluere, ut per læve severos
Effundat junctura ungues? scit tendere versum
Non secus, ac si oculo rubricam dirigat uno:

INTERPRETATIO.

gnarii rectiùs notent rubrica lineas in trabibus, oculo uno aperto, altero clauso. Dicent Musas vobis favere scilicet, ac, sive in mores, sive in luxum, & divitum sumptus profusos scribatis, vos id egregiè, ac splendidè facere. Videmus nunc aliquos in tractandis heroicis argumentis versari, & graves sententias proferre, qui vix commodè levia quædam argumenta, ut odas, epigrammata, & alias ejusmodi nugas, Græculorum more, scribere poterant; qui vix habebant satis industriæ, & artificii poetici ad describendam sylvam aliquam amœnam, aut ad laudandum rus fructuum copia redundans, & rusticorum vasa viminea, focum, festa celebrari solita in honorem Palis Deæ rusticorum, in quibus accenduntur pyræ è fœno, & stipulis cum ingenti fumo;

NOTÆ.

mam indecoram captare, adulatoribus servire. Vel: qui vivitis occipite cœco, qui Jani non estis.

Occipiti, &c. Occurrite illis sannis, vitate ludibria, & cavete, quæ fiunt illis, qui habent cæcum occiput, qui carent oculis in posteriore capitis parte. Sanna fit, cùm aliquis alium irridet contorto vultu, labiis contractis, &c. Posticus, postica, posticum, est id, quod à tergo fit, anticum, quod ante oculos.

Quis enim? Quis alius possit esse populi sermo, &c.

Ut per læve, &c. Ordo est: ita ut junctura effundat per carmen politum, & læve, ac transmittat severos ungues. Artifices, & marmorarii hinc intelligũt benè juncta esse duo marmora, si ungues commissuram explorãtes non adhærescant, sed inoffensi effundant se in politum marmor, & transmittãtur supra juncturas, quasi nullæ essent.

Scit tendere. Hæc populus de illo poeta dicere fingitur ab adulatore: Tam peritè scribit versum, nihil ut in eo curvum, & pravum sit: non secus, ac si faber

Sive opus in mores, in luxum, & prandia regum
Dicere, res grandes nostro dat Musa poetæ.
Ecce modò heroas sensus afferre videmus,
Nugari solitos Græcè: nec ponere lucum
Artifices, nec rus saturum laudare, ubi corbes
Et focus, & porci, & fumosa Palilia fœno;
Unde Remus, sulcoque terens dentalia Quincti,
Quem trepida ante boves Dictatorem induit uxor;

INTERPRETATIO.

quo ex rure orti sunt Romulus, Remus, & Romanæ urbis proceres, & tu, ò Quincti Attili Cincinnate, qui terram arabas, cùm te uxor, Dictatoris insignibus ante ipsum tuum aratrum induit, atque aratrum lictores domum tuam retulerunt. Perge, ò Poeta imperite, versare in magnis argumentis, qui ne ista quidem minuta tractare cum dignitate potes. Videas, qui delectentur legendis, & imitandis Accii libris asperis, & salebrosis, & tra-

NOTÆ.

lignarius, alterum oculum claudens, supra trabem funiculo dirigat lineam, & eam rubrica, seu terra rubra, notet.

Prandia Regum. Vel Regum nomine Romanos divites intelligit, ut sæpe Juvenalis; vel illas tragicas Atrei, & Thyestæ epulas significat.

Ecce modò, &c. Secundum poetarum vitium agitat: quòd argumenta suis viribus imparia sumant ad scribendum.

Palilia. Hæc festa celebrantur XI. Calend. Majas, quo die urbs à Romulo condita credebatur; & ignem e fœno conflatum pastores transiliebant, ita se expiari arbitrantes.

Dentalia. Dentale est pars aratri, in qua est vomer, qui dentis instar tellurem mordet, ac sulco atteritur.

Quincti. Quinctium Atilium, qui Cincinnatus, & Serranus etiam cognominatus est. Romani Dictatorem bello Samnitico creaverunt, in agro terram colentem. Is ad bellum profectus, Consulem Romanum ab hostibus obsessum liberavit, hostium ducem accepit in deditionem, & confecto post 16. dies bello ad aratrum rediit deposita dictatura.

Trepida. Rei novitate percul-

Et tua aratra domum lictor tulit. Euge poeta.
Est nunc, Brisèi quem venosus liber Accì;
Sunt, quos Pacuviusque, & verrucosa moretur
Antiopa, ærumnis cor luctificabile fulta.
Hos pueris monitus patres infundere lippos

INTERPRETATIO.

gœdia Pacuvii, quæ Antiopa dicitur stylo inculto, & inæquali scripta, quam Antiopam Pacuvius dicit habere cor luctificabile fultum ærumnis. Cùm autem videas patres jam senes hortari pueros, & monere, ut ejusmodi poemata legant, non mirabere, si Latinus sermo nunc tam corruptus est, ac mixtus verbis obsoletis; si est plenus etiam vocibus turpibus, & propudiosis, quas Romani juvenes culti, & po-

NOTÆ.

cussa; vel festinans, & sedula.

Est nunc &c. Tertium quoddam poetarum vitium insectatur, qui antiquam, & obsoletam scribendi rationem affectabant.

Brisei. Briseus est Bacchi epithetum, ita dicti ab quodam loco in Lesbo insula, ubi colebatur, vel à voce Græca, quæ tumidum, & æstuantem sonat: ita vocatur Accius poeta, vel quia poetæ sunt in tutela Bacchi, vel quia tragici poetæ solent desævire, atque ampullari vehementiùs. Legit Casaubonus Briseis, vultque esse tragœdiam quamdam de Briseide, nota muliere apud Homerum; quod carmen compositum fuerit ab Accio, ut Antiopa à Pacuvio.

Venosus. Inæqualis, turgidus: ut venæ, quæ in summa cute extantes, tortuosæ, & inæquales sunt.

Acci. Fuit Accius poeta vetus, æqualis Pacuvii: tragœdias scripsit summa sententiarum gravitate, duriori tamen stylo.

Pacuvius. Poeta fuit Italus antiquissimus, Ennii nepos, tragicorum apud Latinos princeps.

Verrucosa. Verruca est exiguum tuber, quod in articulis digitorum enascitur instar nodi. Significatur tumidus hujus tragœdiæ stylus, inæqualis, & horridior.

Antiopa. Fuit uxor Lyci Thebanorum Regis mater Amphionis, & Zethi: quæ à Jove gravida cùm esset, repudiata est à Lyco, qui Dircen duxit: ea Dirce crudelem in modum Antiopam vexavit: hinc ærumnarum illius causa, quibus ita erat obsita.

Cùm videas, quærisne, unde hæc sartago loquendi
Venerit in linguas? unde istud dedecus, in quo
Trossulus exultat tibi per subsellia lævis?
Nilne pudet, capiti non posse pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire: Decenter!

INTERPRETATIO.

lituli audiunt summa cum voluptate. Non te pudet, ô Causidice, quòd nequeas causam alicujus miseri senis periclitantis defendere, quin laudari velis, quin captes, & aucuperis frigidam illam vocem applaudentium, *bellè*, *ac decenter dixit*? Urget Pedium accusator, & ait: *Tu es fur*. Quid Pedius respondet? nempe figuras, & antitheses adhibet: tum, quæ sibi objiciuntur crimina, ita periodicè, ac numerosè exponit, refellitque, ut ea librare, & quasi in trutina appendere videatur, non sine auditorum laude: *Pulchrè*, inquiunt, & *bellè*. Hoccine pulchrum, & bellum ducitis? Non vos pudet, ô Romani, huic oratori abblandiri? An me ad commiserationem flectat naufragus, qui cantet, cùm flere potiùs debeat? egòne stipem illi dederim? Fers in humeris tabellam, in qua tuum naufragium descrip-

NOTÆ.

oblita, ut iis fulciri, & stare dicatur.

Sartago. Est patella ferrea, ore amplo, modico margine, in qua carnes, pisces, & farcimina friguntur, ac torrentur: sumitur hic pro confusione verborum obsoletorum, & farragine.

In linguas. In communem hominum sermonem.

Dedecus. Loquendi corruptela.

Trossulus. Equites Romani dicti sunt Trossuli, vel quia Trossulum Etruriæ oppidum olim sine peditum auxilio ceperunt; vel, quasi Torosuli, hoc est, pingues, & delicati.

Exultat. Applaudit, delectatur, tibi gratulatur.

Lævis. Imberbis, politulus.

Subsellia. Scamna theatri, in quo recitabantur tragœdiæ.

Nilne. Jam exagitat oratores, qui molem, & effœminatam eloquentiam consectantur.

Tepidum. Vocat assentationes illas tepidas, quia illis fovetur ambitio patroni, ut quodam fomento calido.

Pe-

Fur es, ait Pedio: Pedius quid? crimina rasis
Librat in antithetis, doctus posuisse figuras:
Laudatur. Bellum hoc. Hoc bellum? an Romule, ceves?
Men' moveat quippe, & cantet si naufragus, assem
Protulerim? cantas, cùm fracta te in trabe pictum
Ex humero portes? Verùm nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incurvasse querela.
Sed numeris decor est, & junctura addita crudis.

INTERPRETATIO.

tum est, & indulges cantui? Nec me tamen magis ad misericordiam inflectet suis lacrymis, qui orationem noctu elucubratam, & ad ciendam commiserationem operosè comparatam afferet. At enim nostri homines, & poetæ hujus ætatis, rationem scribendi antiquorum, & poesim, quæ durior erat, ac parùm polita, ornarunt suavi compositione, & jungendis pulchriùs numeris. Rectè omninò dicis: tales sunt nimirum pulchri illi versus, à nobili poeta scripti, quorum unus ita clauditur, ac desinit; *Berecynthius Atys*. Sequitur alter versus similiter desinens: *Et qui cæruleum dirimebat Nerea Delphin*. Quid iste, quàm bel-

NOTÆ.

Pedio. Pedius, Romanus civis, accusatus ab Afris fuit, quòd Æsculapii fanum expilasset. Pedius verò hic ponitur pro Pedii defensore; quia solent patroni eorum, quos defendunt, causam sic tueri, ut si esset sua.

Rasis. Quasi dolatis, politis, limatis, benè tornatis.

Ceves. Cevere, est indecorè tergum agitare, ut canes, cùm dominis blandiuntur cauda. Per Romulum, auctorem Romanæ gentis, quemlibet Romanum intelligit.

Protulerim. E crumena proferam, ut ipsi dem.

In trabe. In navi, quæ tempestate fracta est, portas te pictum; seu portas tabulam, quæ te repræsentat in navi fracta naufragium facientem.

Sed numeris. Objectio est, ab eo facta, quem in hac satyra sibi adversarium Persius facit.

Crudis. In suavibus, ut sunt

Claudere sic versum didicit *Berecynthius Atyn*
Et qui cæruleum dirimebat Nerea Delphin.
Sic, *costam longo subduximus Appennino*.

INTERPRETATIO.

le resonat? *Costam longo subduximus Apennino*. At si hæc, ò Persi, reprehendis, reprehendendus quoque Virgilius fuerit, cujus Æneidos initium hoc, *Arma, virumque cano*, est similiter, atque alia, quæ memorasti, turgidum, & instar spumæ inflatum, tam scabrum, & siccum, quàm cortex arboris, aut vetus ramus magni suberis, sole, & siccitate excoctus. Ego igitur à te peto, quid putes tenerum esse, & legendum collo molliter identidem in alterum humerum inflexo? nempe, inquies, ejusmodi sunt isti versus: *Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis*: Et

NOTÆ.

sunt fructus acerbi, & crudi. Duros, & asperos versus intelligit.

Didicit. Subaudi, poeta nonnemo: ejus nomen tacet; Neronem vulgò suspicantur. Est autem tota ista Persii responsio Ironica, in qua reprehendit recentiores Romanos, qui putabant se egregios versus facere, cùm duos, tresve eodem modo clauderent, cùm unum spondaicum adhiberent, cùm uterentur metaphoris, licèt durioribus.

Atyn. Atys, puer à Cybele amatus, posteà in arborem mutatus ab eadem fuit. Vocatur Berecynthius, quia Cybele in Berecyntho, monte Phrygiæ colebatur; quasi Cybelejus. Porrò dicitur Atys seu Attys, & Attyn, ut eodem modo versus iste desinat, ac sequens: *Et qui cæruleum &c.*

Et qui &c. Et Delphin, qui mare natando dividebat. Hic versus ex Neronis, vel alterius cujuspiam carmine depromptus. De Arione loquitur, quem è navi projectum Delphinus tergo excepit. Nereus Deus marinus, pro mari sumitur; *Nerea* est accusativus Græcus, pro *Nereum*.

Sic costam &c. Costam Apennino subduximus, hoc est, nos Carthaginienses, ut in Italiam penetraremus, latera, & rupes Apennini montis ferro, & aceto avulsimus. Depromptus versus ex carmine, cujus erat argumentum bellum Punicum. Apenninus autem mons mediam Italiam à Septentrione in Meridiem secat. Versus autem iste, quamvis molliter fluere videatur, ob spondæum in quinta sede positum, tamen vi-

Arma virum, nonne hoc ſpumoſum, & cortice pingui,
Ut ramale vetus, vægrandi ſubere coctum,
Quidnam igitur tenerum, & laxa cervice legendum?
Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis;
Et raptum vitulo caput ablatura ſuperbo

INTERPRETATIO.

raptum vitulo caput ablatura ſuperbo Baſsaris, & lyncem Mænas flexura corymbis, Evion ingeminat; reparabilis aſsonat Echo. An ejuſmodi verſus laudaremus, an faceremus, ſi quid haberemus maſculæ, & antiquæ eruditionis, ac virtutis? nempe ejuſmodi carmen, effœminatum, & enerve, pronunciatur voce, non ex imo pectore viriliter ducta, ſed formata in primoribus labris ſaliva madentibus, & in ore humido, ac blæſo verſantur iſta verba, *Mænas, Atyn, &c.* Neque ut iſtiuſmodi verſus condat Poeta, opus eſt ut pluteum verberet, ungueſve arrodat. Quid agis tamen, ò Perſi, quid neceſſe eſt veritatem dicendo

NOTÆ.

vitioſus eſt ob metaphoram duriorem, qua partem montis coſtam appellat.

Pingui. Craſſo, inornato.

Ramale. Ramus ſiccus, ſtipes.

Vægrandi. Ingenti.

Subere. In ſubere: ſuber eſt arbor, cujus cortex admodùm ſiccus, & levis eſt. Quidam hunc verſum, *Ut Ramale vetus &c* Volunt eſſe Perſii reſponſionem laudantis Virgilianum carmen, & illud cum ramo probè cocto, minimè molli, & ſpumoſo, comparantis.

Torva, &c. Quatuor illi verſus excerpti ſunt è carmine quodam de Pentheo, Rege Thebanorum, qui cùm Bacchi Orgya irrideret, immiſit Bacchus ejus matri furorem, quo abrepta nato caput abſcidit, comitata cæteris Bacchantibus. Senſus eſt igitur: Bacchantes, in Pentheum irrumpentes, tubas terribiles horribili ſono inflarunt: ipſa Penthei mater, nati caput, quem ut vitulum videbat, amputatura, & cæteræ Mænades, habenis ex hædera factis agitantes lynces, à quibus currus Bacchi trahitur, ingeminant iſtam vocē, Evion: Echo illis aſſonat.

Mimalloneis. Bacchicis Mimallones dictæ ſunt Bacchātes, à Mimanta Aſię mōte, ubi colebatur Bacchus.

Bom-

Bassaris, & lyncem Mænas flexura corymbis,
Evion ingeminat: reparabilis assonat Echo.
Hæc fierent, si virtutis vena ulla paternæ
Viveret in nobis? summa delumbe saliva
Hoc natat in labris, & in udo est Mænas,
& Atyn,

INTERPRETATIO.

aures delicatas hominum vellicare,& offendere? cave, ne proceres te suis ædibus excludant, aut certè frigidè,cunctanterque te accipiant: acerbiores sunt tuæ satyræ: in his sonat ea sæpè Littera, quam canes exprimunt, cum aliquem impetunt, ac ringuntur. Per me verò non stabit, quin morem tibi geram: abstinebo à satyris, omnia laudabo, & alba esse pronunciabo: mira, & præclara esse dicam, quæ sunt vitiosissima. An hoc tibi placet, ò Romane poeta, quisquis es? an jubes, ut ea omnia quæ facis, quæ scribis, nemo carpat, ac tangat, tanquàm si sacer esset locus, quem sordibus contaminare sit nefas, & ubi angues duo sint pingendi, quibus pueri moneantur, ne urina inquinent parietes? Faciam equidem, discedam ab loco isto sacro. Sed tamen Lucilius Urbis vitia est insectatus in

NOTÆ.

Bombis. Bombus propriè sonitus est,quem edūt apes.

Bassaris. Bassaris significat mulierem Baccho addictam, Bacchi comitem, & sacrificulam:Bacchus enim Bassareus vocatur à poetis: vel, appellatur Bassaris à veste Mænadum propria, quæ Bassaris dicebatur. Bassaris autem appellatur in hoc loco mater Penthei, quia una erat è Bacchantibus: ipse Pentheus vitulus superbus vocatur,quia contemptor erat Bacchi, & sub vituli specie à matre lymphata videbatur,

Mænas. Mænades etiam appellatæ sunt fęminæ Bacchi comites,à verbo Gręco, quod furere significat.

Flexura. Bacchus utitur lyncibus pro equis: eas lynces flectere dicūtur,& ducere Bacchantes,seu Męnades corymbis,idest ramis hederarum intortis,quibus velut habenis utuntur. Corymbus propriè est fructus hederæ, instar racemi glomeratus.

Evion. Idest Bacchum: is enim cùm prosperè in gigantes pugnaret, ab Jove gratulante appellatus est Evios, seu Evius, voce græca, quæ bonum filium sonat, aut, Euge fili.

Reparabilis. Echo voces loquentium iterat, & quasi reproducit, ac reparat.

Summa,&c. Quæ ore humido

Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit ungues.
A. Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? videsis ne majorum tibi fortè
Limina frigescant: sonat hìc de nare canina
Littera. P. Per me equidem sint omnia protinus alba;
Nil moror: euge, omnes, omnes bene miræ eritis res.
Hoc juvat? hìc, inquis, veto quisquam faxit oletum,
Pinge duos angues. Pueri, sacer est locus, extra
Meiite. Discedo. Secuit Lucilius Urbem,

INTERPRETATIO.

suis satyris, & homines improbos Lupum, & Mutium, graviter momordit impacto veluti dente. Ipse Horatius amicis aperit omnia ipsorum vitia ridendo, & quasi luderet, in intimos eorum animos pervadit, ut eos rodat, carpatque, facetus vates, & astutus in populo deridendo. Non licebit igitur mihi, hiscere, ac voculam mittere? ne clam quidem, & in scrobem insusurrando aliquid? Nullo modo id facias. Atqui non obtinebis, quin ego in hoc libello, tanquam in scrobe, infodiam istas voces, & libello dicam; O libelle: vidi ipse, omnes habent auriculas asini, nemo unus sapit. Hanc ego meam arcanam vocem, has meas satyras, quibus hominum vitia ridendo carpere amo, quæ nil tibi videntur esse, nulliusque pre-

NOTÆ.

mido pronunciantur, languidiora sunt, & ob salivam abundantem vix distincta: in primoribus autem labris plus est salivæ.

Pluteum. Pluteus est mensa, sive abacus, in quo Poeta scribit versus: solent autem tundere mensulam vates, ubi carmen è sententia non succedit: & cùm laborant in scribendo, solent scabere caput, ungues admordere.

Canina. Littera canina est R. quàm videntur iterare canes irati.

Angues. Per Angues designabantur numina, & genii locorum præsides; serpens enim æternitatis & immortalitatis est symbolum, quæ duæ dotes Deo maximè conveniunt. Angues parietibus templorum appingebant, ut admonerent-

Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis.
Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admissus circum præcordia, ludit,
Callidus excusso populum suspendere naso.
Men' mutire nefas, nec clam, nec cum scrobe?
A. Nusquam.

INTERPRETATIO.

tii, non commutarem cum tota Iliade Attii Labeonis: pluris illas facio. Quicumque hausisti è Gratini scriptis veræ poeseos ideam, ac formam; qui impalluisti legendo Eupolide, hominum vitiis infenso, & Aristophane; oculos in has quoque satyras meas conjicè: si fortè leges in illis aliquid elaboratum accuratiùs, & lima'um. Velim ex illa Græcorum lectione præparatum, & quasi calefactum lectorem ad mea legenda cupide accedere: lector meus non sit, quicumque odit, ac spernit Græcorum scripta, & sapientiam, qui vitio illis vertit elegantiam in cultu cor-

NOTÆ.

rentur homines sanctum locum esse; ut pueros anguium objecta specie absterrerent.

Genuinum. Adeò graviter eos momordit, ut sibi dentes fregerit: genuini dentes vocantur, qui sunt majores, & proximi genis, unde dicti sunt genuini. Fuit autem Lucilius æqualis Scipioni Africano, oriundus ex Arunca urbe Italiæ; primus poetarum satyricorum Latinorum.

Suspendere naso. Deridere vitia populi. Qui alios rident, nasi extremam partem attollunt, & alios naso videntur suspensos jactare velle.

Nec cum scrobe. Alludit ad Midæ fabulam. Is arbiter lectus inter Apollinem, & Pana, aut Marsiam, de cantus suavitate, Pana, vel Marsiam Apollini prætulit. Apollo iratus aures ipsi asininas dedit; quas ita occultare non potuit, quin tonsor ipsius rem totam cognosceret, eam tamen, proposita mortis pęna, vetitus aperire, in scrobem istas voces clam insusurravit: *Auriculas asini Mida Rex habet*; tum scrobem terra operuit. Natæ arundines ex ea scrobe, & vento agitatæ, voces istas retulerunt; Porrò Persius scripserat, *Auriculas asini Mida Rex habet*, qua voce Neronem designabat, verùm sibi ab eo metuens, versiculum mutavit, de sententia Cornuti

sui

P. Hic tamen infodiam, vidi, vidi ipse, libelle:
Auriculas asini quis non habet? Hoc ego opertum.
Hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo
Iliade. Audaci quicumque afflate Cratino,
Iratum Eupolidem prægrandi cum sene palles:

INTERPRETATIO.

poris, & delicatas eorum crepidas irridet, cùm ipse sordes, & negligentiam in cultu amet: non qui alios carpit, iisque sua vitia protervè obiiciens, luscos, qui sunt lusci, appellat, idcircò arrogans, & superbus, quòd Ædilitate functus in Italiæ municipio aliquo, verbi gratia, Aretio, fregerit vasa minora mercatorum, & mensuras iniquiores, brevioresque justo: nec qui philosophiam contemnit, & mathematicorum numeros, lineasque in pulvere, variis figuris diviso, descriptas irridet, quique voluptatem ex eo longè maximam capit, si meretricem videat philosopho

NOTÆ.

sui præceptoris.

Hoc ego opertum. Has voces, quasi scrobi, ita libello insertas, & abditas. Adde, quòd satyra tota est opertum carmen, & mysterii plenum.

Hoc ridere. Satyricam hanc meam reprehensionem, & cachinnos, quibus vitia hominum carpo. Infinitivus, Græco more, pro nomine substantivo positus.

Tam nil. Nihil esse dicitur, quòd nullius est pretii.

Iliade. Labeo, poeta insulsus, totam Homeri Iliadem hoc est, poema de Trojæ excidio, ad verbum Latinè converterat ex Greço. Vendo autem, ponitur pro vendere; idest, malim unam satyram scripsisse, quàm Illiadem totam Latinè, ut Labeo, composuisse.

Audaci, &c. Ostendit Persius, quos lectores suarum satyrarum optet.

Afflate. Qui ex ea lectione amorem virtutis hauseris, veritatis aura, & quasi odore fueris afflatus.

Cratino. Eupolis, Cratinus, Aristophanes, poetæ fuerunt Græci, auctores priscæ comœdiæ. Cratinus omnium antiquissimus, Athenis natus est, paulò ante bellum Peloponnesiacum. Aristophanes haud ita multò post Cratinum floruit: extant ejus comœdiæ facetissimæ. Hunc, senem appellat Persius, vel ob ætatem, vel ob ejus in increpando

Aſpice & hæc, ſi fortè aliquid decoctius audis,
Inde vaporata lector mihi ferveat aure;
Non hic, qui in crepidas Grajorum ludere geſtit,
Sordidus, & luſco, qui poſſit dicere, luſce,
Seſe aliquem credens, Italo quòd honore ſupinus
Fregerit heminas Aretì Ædilis iniquas:
Nec qui abaco numeros, & ſecto in pulvere metas
Scit riſiſſe vafer, multùm gaudere paratus,

INTERPRETATIO.

procaciter inſultare, & barbam vellere. Ejuſmodi homines procul à meis ſatyris amando, denuntioque illis ut manè in forum ad edicta Prætorum audienda ſe con-

NOTÆ.

pando acerbitatem. Denique Eupolis eodem vixi tempore, quo Alcibiades, à quo in mare dejectus eſt, cum eum maledicis verſibus proſcidiſſet.

Decoctius. Metaphora ducta eſt à fructibus, qui ut matureſcant, decoquuntur à ſole, & acerbitatem ponunt: vel à vino, quod eò meliùs eſt, quò eſt magis coctum; ſic enim purgatur, & auſteritatem quandam, ac viriditatem amittit.

Ferveat. Magno numero, & frequens legat: vel magno ſtudio, & attentione.

Aliquem. Aliquo in numero, & pretio habendum.

Italo honore. Aliquo magiſtratu Romano, v. g. Ædilitate, qua in municipiis fungebantur cives Romani.

Supinus. Elatus, ſuperbus.

Heminas. Menſura eſt capiens dimidiam ſextarii partem.

Aretì. Pro, Aretii: eſt autem Aretium civitas Tuſciæ, nunc *Arezzo*. Ædiles in municipiis erant inſtar Conſulū Romæ.

Abaco. In abaco; in tabula plana, nigro colore imbuta, in qua mathematici figuras ſuas creta deſcribunt.

Pulvere. Suas interdum figuras geometræ, & mathematici delineabant in arena, & pulvere, quem idcircò eruditum pulverem Tullius vocat. Id autem faciebant, ut, ſi quid ab iis non rectè deſcriptum, & delineatum foret, faciliùs emendaretur.

Metas. Lineas, quibus figuræ geometricæ, ut me-

Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat.
His manè edictum, post prandia Callirhoendo.

INTERPRETATIO.

ferant, & ibi quæstum faciant: post prandium verò, comœdias saturi spectent, ac genio indulgeant.

NOTÆ.

metis, & similibus, terminantur.

Cynico. Cynici erant secta philosophorum: dicti sunt à voce Græca, quæ canem significat, quia erant mordacissimi, & impudentissimi.

Nonaria. Meretrix, quæ hora nona prostat.

Edictum. Sententię magistratuum edicta nuncupantur: manè autem forum frequentabant Romani, cùm sicci adhuc erant, & sobrii,

Callirhoen. Quidam volunt esse nomen comœdiæ cujusdam, ad quam spectandam otiosi juvenes convenirent: alii meretricis.



SA-

SATYRA II.

E sacrificio, quo Macrinus natalem suum diem celebrabat, ac vota Superis faciebat, occasionem sumit Persius insectandi varia hominum vota, quorum alia sunt impia, alia levia, alia inter se pugnantia: sub finem, quænam bona, & facienda sint, docet.

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos;
Funde merum Genio! non tu prece poscis emaci,

INTERPRETATIO.

Hunc diem natalem tuū, ò Macrine, numera inter fortunatos, & albo lapillo nota, quia felici omine addit novum annum tuis præteritis: sacrifica Genio, vinumque in illius honorem humi funde: scio te majoribus hostiis, & ambitiosis precibus, non indigere, quibus à Diis veluti emas ea, quæ ab iis precaris, & quæ non possis admittere, nisi iisdem veluti corruptis. At

NOTÆ.

Macrine. Hic fuisse dicitur Plotius Macrinus, homo eruditus, & Persii amicus. Solebant autem die natali amicorum, ad eos aliquid mittere munusculi: ea causa fuit, cur ad Macrinum hanc satyram Persius mitteret.

Lapillo. Quidam populi, Thraces, an Cretes? dies lætos albo, tristes nigro lapillo notabant: deindè verò conjectis omnibus in capsulam calculis, lætos, candidosque separabant, iisque se diebus tantùm vixisse judicabant, qui albo notati lapillo forent.

Labentes. Potest intelligi de anno elapso, ea sententia; qui annum superiorem, & jam lapsum apponit reliquæ annorum suorum summæ, vel de anno imminente, qui inchoetur apponendus ad reliquos, aliis annumerandus.

Candidus. Felix, ac fortunatus.

Genio. Genius eratDeus cujusque quasi privatus, & custos, ita dictus à gignendo, quod unà cùm homine gigneretur, cum quo etiam mori dicebatur, vel qui a genitum hominem suscipiebat,

Quæ nisi seductis nequeas committere Divis.
At bona pars procerum tacita libabit acerra.
Haud cuivis promptum est, murmurque humilesque susurros
Tollere de templis, & aperto vivere voto.
Mens bona, fama, fides, hæc clarè, & ut audiat hospes;
Illa sibi introrsum, & sub lingua immurmurat: O si
Ebullit patrui præclarum funus! & ò si

INTERPRETATIO.

magna nobilium Pars tacitas, & occultas preces faciet, dum thura Superis adolebit: non enim facilè est tollere istas preces obscuras, & arcanas de templis, & ita orare, ut omnes scire non nolis, quid à Diis petas. Unusquisque clarè, & ut quilibet propè stans audire possit, hæc à Diis precatur; ut sibi mens bona sit, fama integra, & fides: illa verò intus, & demissa voce rogat: O si patruus meus subito emori, ac præclaro funere mandari humo posset! ò si reperirem arcam nummis plenam inter arandum, propitio Hercule! utinam è tabulis testamenti delere possem nomen pupilli, cui heres sum substitutus! sanè ægrotat ille scabie, ac bile, nec diù videtur posse vivere. Ne-

NOTÆ.

bat, ac tuebatur. Unde vitæ, voluptatisque præses erat. Illi sacrificium fiebat præcipuè die natali cujusq; idque mero tantùm, & floribus. Eidem vota facere tunc solebant. Inde occasio Satyræ.

Seductis. Vel corruptis, ut dixi, vel remotis à turba; aut clam Diis, iisque quasi abesse, & valere jussis.

Acerra. Est thuribulum: totum sacrificium significatur; libabit, est, sacrificabit.

Hospes. Quilibet externus, aut viator; aut quicumque ad visenda templa accedit.

Ebullit. Pro Ebullierit; ita pro *dederim*, *dedim*; *comedim*, pro *comederim*, dicitur. Metaphora sumitur ab aqua, quæ cùm fervet, exundat extra lebetem, effunditurque; ita mortui extra domum eiiciuntur, &c. Vel simpliciter significat rem, quæ repente fit: quo sensu sæpe verbum hoc usurpatur. Itaque mors repentina patrui est intelligenda. Legunt aliqui, *E-bul-*

Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro
Hercule: pupillumve utinam, quem proximus hæres
Impello, expungam! namque est scabiosus, & acri
Bile tumet: Nerio jam tertia conditur uxor.
Hæc sanctè ut poscas, Tiberino in gurgite mergis.
Manè caput bis, terque, & noctem flumine purgas.
Heus age, responde, minimum est, quod scire laboro,
De Jove quid sentis? estne ut præponere cures

INTERPRETATIO.

Nerius felici fato jam tres uxores suas sepelivit, & earum dote fruitur. Nempe ut hæc tam sancta vota facias, manè bis, terque caput mergis in Tyberi, ut purior post nocturnum somnum fias, & Superis gratior, Agedum, responde mihi, pauca ex te rescire velim. Quid sentis de Jove? nonne illum hominibus omnibus anteponis? Cuinam verò hunc non anteponerem? Nonne Stajo illum saltem anteponis? an dubitas Jovem illi anteferre, quem nosti judicem corruptissimum

NOTÆ.

bulles, ab ebullo, ebullas, quod significat, cum impetu prorumpo.

Seria. Vas fictile.

Hercule. Hercules præerat lucris fortuitis: Mercurius industria quæsitis.

Expungam. Eraso, & ablato è tabulis testamenti ejus nomine, in ipsius demortui locum substituat; sum enim post illum heres scriptus. Expungi propriè dicebantur milites, quorum nomina post missionem, aut mortem delebantur.

Nerio. Erat iste Nerius fœnerator insignis.

Conditur. Hoc est, sepelitur. Legunt alii, ducitur, idest, illi nubit; ab illo domum ducitur.

Mergis. Ante preces, quas soliti erant manè fundere, corpus aqua viva spargebant.

Purgas. Os & manus post noctem diligenter abluebant, ut puriores ad precandum, aut ad sacrificandum accederent.

Estne? Licet? Estne ut cures, pro, nonne curas, nonne facilè adduceris, ut illum præponas, &c.

Stajo.

Hunc cuiquam? Cuinam? Vis Stajo? an scilicet hæres?
Quis potior Judex, puerisve quis aptior orbis?
Hoc igitur, quo tu Jovis aurem impellere tentas,
Dic agedum Stajo? proh Juppiter! ò bone, clamet,
Juppiter! at sese non clamet Juppiter ipse?
Ignovisse putas, quia cùm tonat, ocyùs ilex
Sulfure discutitur sacro, quàm tuque, domusque?
An, quia non fibris ovium, Ergennaque jubente,

INTERPRETATIO.

mum, & pupillorum parricidam? Age igitur, dic ea quæ precaris à Jove, dic, inquam, Stajo: certe ille exclamabit indignitate precum tuarum perculsus; ò Jupiter, inquiet, quàm scelerata sunt hæc vota! Quid ergo? homo improbus exhorrescet, ac Jovem appellabit vindicem, ipse Jupiter sanctissimus ultorem se non ipse inclamabit? An illum tibi tandem putas ignovisse, quia, cùm tonat, quercus citiùs petitur fulmine, quàm tuum caput, ac tua domus? quia cadaver tuum ictum fulmine in aliquo sacro nemore non jacet expiandum sacrificio, & ab omnibus evitandum, jubente post consultas victimarum fibras Ergenna aruspice, ac docente, quomodo sacra eo loci fieri debeant: idcircone, inquam, Jovem irrides, & barbam illi vellis; Quidnam tandem est, cujus fiducia speres te ab illo semper au-

NOTÆ.

Stajo. Stajus Albius Oppianicus judex nefarius fuit, qui fratrem, & uxorem gravidam veneno sustulit: de illo Cicero agit in oratione pro Cluentio. Hunc ironice vocat Persius judicem optimum, & erga pupillos æquissimum.

Hoc igitur, &c. Has preces, quibus aurem Jovis fatigas, & pulsas.

Sulphure. Oriuntur fulmina è sulphureis exhalationibus, unde & ipsa olent sulphur.

Ergenna. Fuit hic Ergennas sacerdos, & aruspex peritissimus. Cùm autem dicit, *fibris ovium Ergennaque jubente*, sensus est, ab Ergenna præcipi sacrificium: quod fieri solebat ad procurandum, seu expiandum locum fulmine ictum, inspectis anteà ovium fibris seu ex-

Triste jaces lucis, evitandumque bidental,
Idcircò stolidam præbet tibi vellere barbam
Juppiter? aut quidnam est, qua tu mercede Deorum
Emeris auriculas? pulmone, & lactibus unctis?
Ecce avia, aut metuens Divum matertera, cunis
Exemit puerum, frontemque, atque uda labella
Expiat, urentes oculos inhibere perita.

INTERPRETATIO.

audiendum æquis auribus, hunc tibi semper parciturum? An, quòd illi victimarum intestina obtuleris in sacrificium, idcircò emptam à te isto pretio gratiam illius, & scelerum veniam arbitraris? Ecce aliud votorum genus: avia, aut matertera superstitiosa, detrahit è cunis puerum, & frontem expiat, ac labella humentia, ut hac arte scilicet avertat à puero noxios, & pestilentes oculos, qui pueros fascinare, & inficere tacito veneno solent. Tunc palpat puerum manibus, & spem valdè adhuc incertam, & macram de illo concipiens, optat supplex, ut Crassum, ac Licinium opibus æquet, precatur ut Reges, & Reginæ hunc puerum sibi habere generum aliquando velint, hunc maritum puellæ; ut rosæ sub ejus vestigiis nascantur. Ast ego, si quem habuerim puerum, certè non

NOTÆ.

extis.

Bidental. Ita dicitur locus fulmine percussus, quia bidentibus, hoc est, ovibus immolatis consecrabatur; unde illum calcare nefas erat; quare evitabatur. Apellat autem bidental ipsum hominem fulmine ictû, ut à Lucilio appellatur carcer homo dignus carcere.

Stolidam. Is alicui vellendam barbam præbere dicitur, qui ab illo irridetur, & afficitur contumelia.

Emeris. Quasi, pretio persoluto, illas tibi patentes habere debeas.

Lactibus. Lactes sunt intestina pinguia pecudum.

Matertera. Soror matris, quasi mater altera. Dicitur autem metuens Divùm, hoc est religiosa, superstitiosa; superstitio enim è nimio metu oritur.

Exemit cunis. Ut præsentem sistat sacris, quę pro ipsius incolumitate fiunt.

Expiat. Purgat, tingit pio quodam ritu, ac salutari. Lutum e pulvere, & saliva con-

Tunc manibus quatit, & spem macram, supplice voto,
Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in ædes:
Hunc optent generum Rex, & Regina: puellæ
Hunc rapiant: quicquid calcaverit hìc, rosa fiat.
Ast ego nutrici non mando vota; negato
Juppiter hæc illi, quamvis te albata rogarit.
Poscis opem nervis, còrpusque fidele senectæ:
Esto, age: sed grandes patinæ, tucetaque crassa

INTERPRETATIO.

non jubebo ejusmodi vota pro illo fieri à nutricè; tuque, ò Jupiter, noli hæc audire, & illi annuere; quamviste albis induta vestibus oraverit. Petis à Superis robur corporis, & sanitatem, quæ ad extremam usque ætatem te fideliter comitetur: bene est, laudo: tamen delicata fercula, quibus te obruis, & ingurgitas non patiuntur ut superi hoc tibi concedant. Augere opes cupis: ob id conciliare tibi Mercurium studes, immolato bove: fac, ò Mercuri, inquis, ut res mihi bene, ac feliciter, domuique meæ vertat, ut augeatur meum pecus multa sobole. At id quo fieri tandem pacto potest, cùm tu infelix, tot victimas mactes, tot vitulos ignibus absumas? Interim stolidus hic precator victimarum intestinis, & lu-

NOTÆ.

conficiebant, quo frontem, ac labia pueri inficiebant, &c. id autem fiebat octavo, aut nono post partum die, quo preces pro pueris concipiebantur, & iis nomen imponebatur: vocabatur is dies lustricus, & nominalis

Urentes oculos. Nocentes virulentos. Homines quidã pueros solo aspectu fascinare, & iis morbos afflare, virusque credebantur.

Licini. Licinius, libertus Augusti, & Crassus, qui contra Parthos pugnavit, fuere ditissimi, agros ingentes, & magnificas ædes habuere.

Albata. In sacrificiis faciendis utebantur veste candida, quæ morum integritatem, & candorem indicabat.

Tuceta. Tucetum est genus farciminis confectum è suillis carnibus, minutatim concisis.

Crassa. Idest pinguia, adipata.

Annuere his Superos vetuere, Jovemque morantur.
Rem struere exoptas, cæso bove, Mercuriumque
Arcessis fibra: da fortunare Penates,
Da pecus, & gregibus fœtum. Quo, pessime pacto?
Tot tibi cùm in flammas junicum omenta liquescant?
Et tamen hic extis, & opimo vincere farto
Intendit, Jam crescit ager, jam crescit ovile,
Jam dabitur: jam, jam: donec deceptus, & exspes
Nequicquam fundo suspiret nummus in imo.

INTERPRETATIO.

luculento farto, se compotem voti fore speret, & hæc secum; Ager meus jam crescere incipit, ovile impletur, jam id consequar, quòd peto, jamjam obtinebo: donec illius nummis exhaustis unus, qui in fundo crumenæ superest, se solum relictum, ac delusum ingemiscat, & raucum quasi suspirans sonet. Si tibi pateras argenteas, & vasa aurea signis impressa, dono dem, præ gaudio sudabis, & sudoris guttas effundes in parte læva pectoris, ubi est cor, quod tibi trepidabit, ac subsiliet. Ex eo, quòd auro ita delectaris, illud evenit, ut auro è spoliis hostium redacto inducas, & oblinas statuas Deorum: Itaque, si animum induxeris beneficio aliquorum è quinquaginta fratribus, Ægypti filiis, quorum effigies ex a re sunt in Apollinis Palatini porticu consecratæ, tibi fuis-

NOTÆ.

Mercurium. Ille præest lucris industria partis.

Da fortunare. Fac ut Penates mei (Dii sunt domestici; & ea vox hìc pro domestica re sumitur) fortunent, hoc est, fortunati sint: ut mea domus felix, & opulenta sit.

Junicum omenta. Junices sunt juvencæ, seu vitulæ: omentum est adeps, quo viscera involvuntur, & qui igne solvitur, & liquescit, dum victimæ cremantur.

Farto. Fartum, ut hìc sumitur, erat libum e farre, vino, melle, &c. ita dictum à farciendo, quòd multis erat rebus confertum: Legunt aliqui, *ferto*. Fertum, placentæ genus.

Crateras. A nomine cratera crateræ, vulgò dicitur,

Si tibi crateras argenti, incusaque pingui
Auro dona feram, sudes, & pectore lævo
Excuties guttas, lætari prætrepidum cor.
Hinc illud subiit, auro sacras quòd ovato
Perducis facies: nam fratres inter ahenos,
Somnia pituità qui purgatissima mittunt,

INTERPRETATIO.

fuisse immissa per noctem somnia, quæ careant omni pituita, adeòque sint purissima, & verissima, illos præcipuo habebis in honore, & barbam illis inaurabis. Auri amor in causa fuit, cur è templis expellerentur vasa fictilia, in Thuscia fieri solita, quibus olim Numa utebatur in sacrificiis, & quæ solo Saturni tempore, ætate aurea, in usu erant, atque urnæ ex argilla quibus Vestales olim virgines utebantur. At heu! quàm sunt homines rebus terrenis addicti, quàm ab Deorum studiis, & moribus alieni? Cur hanc morum nostrorum corruptelam in res sacras, ac templa transferimus? Cur ex ista putida nostra cuticula, ex avaritia, & luxuria æstimamus quid bonum Superis gra-

NOTÆ.

tur, crater crateris.

Incusa. Incude fabricata, cudendo cælata.

Pingui. Crasso, solido nitenti.

Pectore lævo. Lacrymas hìc aliqui expressas gaudio intelligunt per guttas, quæ illi homini excutiuntur, nempe ex oculis: ea porrò verba, *pectore lævo*, explicant, mente stolida, & læva. Te insanum, ac stolidè gestientem avaritia facit.

Lætari. Subaudi, incipiet.

Subiit. Venit in mentem, contigit.

Ovato. Ex hostibus reportato, manubiali. Ovare est minorem triumphum agere, quia in eo mactabantur oves: boves autem in majori triumpho.

Perducis. Totas facies ex auro ducis, idest, excudis statuas integras ex auro ponis: vel, superficiem oblinis tantùm.

Fratres, &c. Belus rex Assyriorum Danaum, & Ægyptum filios habuit. Uterque liberos suscepit quinquaginta, hic mares, ille fœminas. Fabulam vide apud Horatium Lib. 3. Od. *Mercuri, nam te, &c.* Ægypti filii consulentibus dare responsa credebantur in somnis. Quidam hoc de Diis quibuslibet accipiunt, quorum statuæ in templis prostabant.

Pituita. Cùm redundat

Præcipui sunto, sitque illis aurea barba.
Aurum, vasa Numæ, Saturniaque impulit æra;
Vestalesque urnas, & Thuscum fictile mutat.
O curvæ in terras animæ, & cœlestium inanes!
Quid juvat hoc, templis nostros immittere mores,
Et bona Diis ex hac scelerata ducere pulpa?
Hæc sibi corrupto casiam dissolvit olivo,
Hæc Calabrum coxit vitiato murice vellus:

INTERPRETATIO.

gratumque sit? Nempè ille voluptatum amor, & curandæ carnis studium unguenta ex oleo, & casia conficere suasit; hic lanam Tarentinam injecit in aquam calidam, & infecit colore purpureo, qui lanæ ipsius proprius nativusque non est: hic margaritas purgavit, & polivit, hic auri ramenta colligere, & redigere in massam, ex informi, & rudi fodinarum tellure, jussit. Sed illa quamvis fiant improbè, & præpostero luxus, ac deliciarum amore, tamen hominibus utilitatem afferunt aliquam: sed cuinam est usui aurum in templis, ò Pontifices? nempe tam inutile Superis est, quam pupæ Veneri, quas illi puellę donare so-

NOTÆ.

in corpore humor frigidus, & aqueus, qui pituita dicitur, tunc somnia sunt fallacissima, & inanissima, ut in delirantibus, & vinolentis accidit. Contra verò somnia putantur vera, ubi minimum est pituitæ. Moris erat apud Romanos fidem superstitiosam somniis adhibere.

Numæ. Fuit Numa rex Romanorum secundus, religione præstans.

Impulit. Expulit, removit, exclusit è templis.

Urnas. Vestales urnis ad ferendam aquam in sacrificiis necessariam utebantur.

Pulpa. Est frustum carnis hic pro corporis curannimio studio ponitur.

Sibi. Ut nitidior sit, ut unguentis delibuta suavius oleat.

Corrupto. Ex casia, & oleo mixtis, & dilutis fit unguentum quoddam optimum: corruptum dicitur oleum, quia odoribus immixtis adulteratur: casia autem est frutex aromaticus.

Calabrum. Tarentum est civitas Calabriæ in Italia, ubi lanæ optimæ.

Vitiato. Adulterino, e men-

Hæc baccam conchæ rasisse, & stringere venas
Ferventis massæ crudo de pulvere jussit.
Peccat, & hæc, peccat, vitio tamen utitur: aut vos
Dicite, pontifices, in sancto quid facit aurum?
Nempe hoc, quod Veneri donatæ à virgine pupæ.
Quin damus id Superis, de magna, quod dare lance
Non possit magni Messalæ lippa propago?

INTERPRETATIO.

solent. Quin id potiùs damus Superis, quod Messalæ nobilis filius, & quilibet divites ipsis dare non possunt, quamvis donis lances, & altaria cumulent? nimirum pectus ad omnia jura Divina, & humana servanda benè comparatum, & compositum: In mente insitas pe-

NOTÆ.

mentito, fucato.

Murice. Murex est genus quoddam conchylii, seu pisciculi concha inclusi, è cujus sanguine tingitur color purpuræ similis. Capitur hic pisciculus in mari Tyrio.

Baccam. Unionem, margaritam, quæ in concha nascitur, & illi sic adhæret; ut educi sine arte, & industria nequeat. Raduntur etiam margaritæ, ut à callo quodam sordibusque purgentur: proprie bacca est fructus lauri, olivæ, cerasi: gemmæ vocantur etiam baccæ, quia ejusmodi fructibus similes sunt.

Stringere. In unum astringere crebris mallei ictibus; aut, igne conflare, vel, decerpere, colligere auri ramenta, & argenti.

Venas. Sulcos quosdam in terra, in quibus est metallum, quod in massam collectum igne ferventi conflatur.

Vitio utitur. Ex istis peccatis luxus, & libido hominum capit utilitatem.

In sacro. In loco sacro, in templis.

Pupæ. Imagunculæ sunt, & exiguæ statuæ, quas puellæ habent in deliciis: eas autem, cùm nuberent, Veneri consecrabant, tanquam his puerilibus nugis nuncium remitterent.

Lance. Romani in lancibus ponere solebant victimarum carnes.

Messalæ. Messala septies Consul fuit: ex ejus stirpe prognatus est longo post tempore Cotta Messalinus, homo degener, gulæ, & ab-

Compositum jus, fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto?
Hæc cedo, ut admoveam templis, & farre litabo.)

INTERPRETATIO.

penitus virtutes, animum non leviter honestatis colore quasi tinctum, sed ea penitus imbutum. Hæc mihi da, & sacrificium Diis offeram longè gratissimum, quamvis far ipsis tantùm offeram.

NOTÆ.

abdomini deditus.

Lippa. Vel, qui reverà lippus erat: vel hac voce significatur juris improbitas. Lippus aliquando pro dissoluto sumitur.

Jus. Jus ad officia inter homines refertur; fas ad pietatem erga Deum.

Incoctum. Ducitur hæc metaphora à lana, quæ coquitur, cùm aliquo colore tingitur, & imbuitur.

Farre. Far erat idem in sacrificiis, ac mola salsa, seu triticum cum sale tostum; hoc pauperes, quibus non suppetebant majores victimæ, sacrificabant.

Litabo. Litare propriè est sacrificiis Deos placare, ritè sacrificare, impetrare, quod petitur. Vide Horat. Libr. 3. Od. Cœlo, &c.



S A.

SATYRA III.

Cohortatio ad studium sapientiæ.

NEmpe hoc assiduè? jam clarum manè fenestras
Intrat, & angustas extendit lumine rimas:
Stertimus indomitum quod despumare Falernum
Sufficiat, quinta dum linea tangitur umbra.
En quid agis? siccas insana canicula messes
Jamdudum coquit, & patula pecus omne sub ulmo est;

INTERPRETATIO.

Itane hoc assiduè facies? nullusne tandē inertiæ tuæ modus, ac finis erit? Jam clara lux matutina fenestras, licèt clausas, penetrat, earumque rimas videtur dilatare: tu interim hìc stertis per tantum tempus, quantum sufficiat ad edormiendam crapulam è vino gravissimo collectam; dum in solari horologio umbra gnomonis, & indicis tangit lineam quintam. Quid agis? quæ est isthæc inertia? Instat meridies; jam diu canicula torret messes, & sub arboribus greges frigus captant. Ita loquitur unus è sodalibus, aut moderatoribus nobilis alicujus adolescentis. Cui sic respondet ille: Verumne est, quod ais? itane est? huc statim acce-

NOTÆ.

Nempe. Inducitur, vel socius, vel magister, adolescentulum è lectulo excitans, increpansque.

Indomitum. Quod vix à stomacho coquitur, & quasi domatur digerendo.

Despumare. Propriè est spumas ex aliquo liquore tollere: hìc sumitur pro digerere, concoquere. Dū excoquitur vinum, spumas agit, bullitque; despumare igitur Falernum, est crapulam pridianā edormire.

Quinta, &c. Significatur hora matutina undecima. Duodecim enim horas in die Romani numerabant, sex post meridiem. Est autem hìc hypallage: postulat quippe ordo, ut dicatur linea quinta tangitur umbræ styli, seu gnomonis.

Canicula. Est sydus quoddam, speciem referens minoris canis, quo oriente calor augeri vehementer so-

Unus ait comitum. Verumne? itane? ocyus adsit
Huc aliquis; nemon? turgescit vitrea bilis,
Finditur: Arcadiæ pecuaria rudere dicas.
Jam liber, & bicolor positis membrana capillis,
Inque manus chartæ, nodosaque venit arundo.
Tunc queritur, crassus calamo, quòd pendeat
humor,

INTERPRETATIO.

cedat famulorum aliquis, nemo ne accurrit, ac vestes præbet? Ubi hæc dixit adolescens, in iras prorumpit, ac vocem emittit adeò inconditam, ut asinos omnes Arcadię credas rudere. Ubi vestes induit, sumit in manus librum, ac membranā tonsam, & pilis suis exutam, denique calamum. Sed queritur nunc, quòd atramentum nimis sit spissum, & in calamo hæreat, nunc, quòd aqua nimis dilutum, vanescat, suumque amittat colorem; nunc, quòd idem calamus atramēti nimis dilutī guttas duas, pluresve in papyrum effundat. O infelix puer, & in dies futurus infelicior! eò ne tandem redacti sumus, hoccine modo vivimus? at si ita animo es averso à Musis, cur non litteris, ac virtuti nuncium palam remittis? quin paternam domum repetis, ubi otiosam, ac plenam deliciarum vitam vivas,

NOTÆ.

let: insana dicitur quasi æstuosa, aut rabiem canibus afferens.

Comitum. Sic vocabantur aliqui philosophiæ magistri, qui divitum in ædibus habitantes, & in comitatum, idest familiam adscripti, liberos ipsorum docebant.

Vitrea, Splendida, & pellucida, vel ejusdem, ac vitrum, coloris.

Finditur. Ringitur, exclamat prę iracundia: quidam legunt, *Findor; ut Arcadiæ, &c.* Findor, inquit adolescens, & rumpor ira: sanè, inquit præceptor; sic enim clamas, ut asinum rudentem imiteris.

Arcadiæ. In Arcadia majores asini sunt.

Pecuaria. Armenta pecudum.

Bicolor. Pars exterior membranæ, cui adhęrebant pili, seu lana, crocei coloris erat, seu lutei; interior candidi. Lege Martial. Lib. 1. Epigrammate, ut numeravi 3. & 58.

Arundo. Veteres utebantur ad scribendum arundine, ut nos penna; in arundine autem plures sunt nodi.

Sepia. Sepia est piscis, qui nigrum ex ore succum effun-

Nigra quòd infusa vanescat sepia lympha;
Dilutas queritur, geminet quòd fistula guttas:
O miser: inque dies ultra miser, huccine rerum
Venimus? at cur non potiùs, teneroque columbo,
Et similis Regum pueris, pappare minutum
Poscis, & iratus mammæ lallare recusas?
An tali studeam calamo? cui verba? quid istas

INTERPRETATIO.

vas, & instar teneri columbi, aut Regiorum infantium molliter cupediis omnibus vescaris? quin poscis ut cibus in minutas partes à nutrice divisus, & probè mansus in os tibi inseratur? ac ejus nænias, cantilenasque, si dormire nolis, repudias? An verò possum illo calamo tam malè apato, & secto scribere? Cui dare te verba putas? quid istas mihi vanas excusationes occinis? tu te ipse deludis; in tuum damnum hæc tota cedet alea: effluit tibi, interim dum tempus somno, & otio teris, vita; tu eris olim omnibus, cùm nihil scies, ludibrio; patebit inertia tua, & imperitia, non secus ac vas ex argilla, si non benè coctum, si fractum

NOTÆ.

effundit, quo aquam turbat, cùm se à piscatoribus capiendum esse videt. Iste niger succus, & ipse interdum piscis pro atramento ponitur, ob similitudinem.

Ultra. Magis, in posterum, ulterius.

Columbo. Solebant viri: ac fœminæ columbos domi alere magno studio.

Pappare. Pappa, ut testatur Cato, est infantium cibus, itaque pappare, est pappas comedere, seu comedere cibos, qui minutim concisi pueris à nutrice dantur, & iste infinitivus pro substantivo adhibetur, poscit minutas pappas.

Mamma. Mamma non hìc mamillam, quam infantes sugunt, significat, sed matrem, aut nutricem, estque in genitivo casu; recusas lallare tuæ nutricis., aut matris, quia iratus es.

Lallare. Est canere vulgarem nutricum næniam, qua per hanc vocem, *Lalla*, sæpe repetitam pueris somnum conciliant. Lallare autem in infinitivo ponitur pro lallatione, sic, *vivere nostrum*, dixit prima satyra pro *vita nostra*. Recusas igitur lallationem, & cantilenam, tuæ mammæ. recusas dormire, provocatus cantu nutricis.

Suc-

Succinis ambages? tibi luditur: effluis amens,
Contemnere, sonat vitium percussa, malignè
Respondet viridi non cocta fidelia limo.
Udum, & molle lutum es: nunc, nunc properandus, & acri
Fingendus sine fine rota. Sed rure paterno
Est tibi far modicum, purum & sine labe salinum;
Quid metuas? cultrixque foci secura patella est.
Hoc satis? An deceat pulmonem rumpere ventis.

INTERPRETATIO.

ctum fit, contemnitur, cùm ipso tinnitu vitiosum deprehenditur, & pulsanti malignè respondet. Tu instar udæ, mollisque argillæ nunc es, fingi mature, ac sedulò & instar vasis, fictilis, componi tandiu debes, donec tui mores ad omnem honestatem conformentur. Video, quid dicturus sis, te opes avitas habere non contemnendas, nitidam, & cultam supellectilam, vasa sacra, quibus Diis sacrifices domi, quietus, & periculi securus; tibi nihil à paupertate metuendum esse; nec in litteras tantopere incũbendum, quibus nempe non indiges ad vitam tolerandam. Tunè igitur opes sufficere putas ad beatè vivendum, contempta virtute, quæ sapientiæ, & litterarum studio maximè paratur? Ideòne superbia intumescis, & pulmonem distendis præ fastu, quòd in stemmate familiæ tuæ, quæ à

NOTÆ.

Succinis. Succinere, est, ad vocem monentis eadem sæpe respondere.

Tibi luditur. Proverbiũ est, ut istud, tibi seritur, ac metitur, hoc est, tua res agitur, tu damnum capies ex tua inertia, non ego.

Effluis. Potest esse sensus, otio, & mollitie diffluis sensim, ac tabescis.

Vitium. Idest vitiosè, seu non clarè, raucè, ac surdè.

Malignè. Remittit parvum, & obscurum sonum: sic maligna lux apud Virgilium est parva, & dubia.

Fidelia. Vas est fictile, ita dictum, quia fideliter servat, quæ in illo conduntur.

Rure paterno. In agro hæreditario, & à patre tibi relicto.

Far. Frumentum,

Salinum. Propriè est vas in quo sal reponitur: omnem supellectilem significat in hoc loco.

Patella. Vasculum escarium, in quod aliquid è dapibus mensæ appositis conjiciebant, deferebant in focum, ibique religionis causa

Stemmate quòd Thusco ramum millesime ducis,
Censoremne tuum, vel quòd trabeate salutas?
Ad populum phaleras: ego te intus, & in cute novi;

INTERPRETATIO.

à Thuscia originem ducit, millesimus es ab tui generis principe, & auctore? vel quòd Censorem aliquem ex familia tua salutas trabeatus in transvectione? Ostenta populo hæc inania ornamenta, nempè corporis, & fortunæ bona; ille plaudet tibi, teque mirabitur; ego miserabor, & infelicem putabo, quippe qui te introrsum noverim, & sciam esse veris animi bonis destitutum. Nihilne te pudet vivere instar Nattæ, dissoluti, ac perditi adolescentis? quamquam & ille utcumq; excusandus est, quia sensum suæ improbitatis, & miseriæ nullum habet, ita vitiis occalluit, & obduruit; pinguedo crassa in ejus præcordiis ita crevit, ut nihil sentiat; itaque culpa caret, & quantum damni faciat, nescit: immersus est alto vitiorum gurgite, neque in aqua

NOTÆ.

sa adolebant. Focus verò significat hìc sacrum ignem quo utebantur in privatis sacrificiis, quibus colebant Deos domesticos.

Stemmate. Stemma est tabula, instar arboris descripta, ubi singuli rami singulas familias, vel personas ex una quadam stirpe ductas, notant. Eò maior autem nobilitas, quò distant magis rami ab gentis principe, & capite: quia antiquior. Vide initium Sat. 8. Juvenalis.

Thusco, &c. Nobilissimæ Romanorum familiæ fermè ab Etruria ducebant originem.

Censorem, &c. Erant Censores Magistratus Romanorum, qui emendandis civium moribus præerant. Quinto quoque anno lustrabant civitatem, & nomen, opes, &c. cujusque recensebant: maxime verò turmas Equitum certis temporibus recognoscebant, qui illis sedentibus in foro ante Castoris ædem, & spectantibus, transvehebantur trabeati.

Trabeate. Ponitur vocativus pro nominativo. Trabea erat vestis purpurea, & coccinea, &c.

Phaleras. Phaleræ sunt equorum ornamenta, bullæ frænorum: tapetes, quibus teguntur, &c. itemque militum, & nobilium ornatus.

In cute. Nudatum vestibus, phaleris, & externa specie.

Na-

Non pudet ad morem discincti vivere Nattæ?
Sed stupet hic vitio, & fibris increvit opimum
Pingue; caret culpa; nescit, quid perdat, & alto
Demersus, summa rursus non bullit in unda.
Magne pater Diuûm, sævos punire Tyrannos
Haud alia ratione velis, cùm dira libido
Moverit ingenium, ferventi tincta veneno:
Virtutem videant, intabescantque relicta.
Anne magis Siculi gemuerunt æra juvenci
Et magis auratis pendens laquearibus ensis

INTERPRETATIO.

aqua summa extat amplius, aut ullam emergendi spem habet. Tu verò potes intelligere, quid pecces, quid amittas, olimque seræ pœnitentiæ cruciatum non effugies. O Jupiter, non aliud supplicium de tyrannis sume; cùm se in omnem crudelitatem, & flagitium effuderint, quam ut illis oculos aperias, fac videant dignitatem virtutis, ac dolore conficiãtur, quòd eam neglexerint. Et verò an crudeliori supplicio affecti fuere homines, qui in tauro æreo inclusi gemebant? an majorem Damocli ensis è laqueari appensus, & ejus capiti imminens, timorem attulit, quàm affert improbo cruciatus sceleratæ conscientiæ, cùm ita se alloquitur. Heu pereo miser, & præceps in exitium ruo! quàm illæ formidines, quibus vexatur ob sua scelera, tacitusque roditur, adeò ut illas aperire amicis, ac ne uxori quidem suæ, audeat? Equidem cùm essem parvulus, memini me oleũ oculis admovisse nõ semel, ut lippus esse, aut laborare ocu-

NOTÆ.

Natta. Natta fuit Romæ quidã prodigus, ac helluo.

Discincti. Dissoluti, nebulonis. Metaphora ducitur à veste dissoluta, & discincta, quam gestare solent ejusmodi homines inertes, ac nequam.

Pingue. Neutrum pro substantivo; pinguedo, & adeps: in adipe autem nullus est sensus, sed tantum in nervis, & carne.

Bullit Ebullit, enatat, eminet in aquæ superficie.

Moverit. Ad scelus excitaverit illorum ingenium.

Tincta veneno. Crudelitate imbuta, infecta omni acerbitate.

Siculi juvenci. Phalaris, Siciliæ Tyrannus, solebat homines æreo tauro includere, cui mox ignem subjiciebat, ac vivos, ululantesque miserè necabat.

Par-

Purpureas ſubter cervices terruit, Imus,
Imus præcipites, quàm ſi ſibi dicat, & intus
Palleat infelix, quod proxima neſciat uxor?
Sæpe oculos, memini, tangebam parvus olivo,
Grandia ſi nollem morituri verba Catonis
Diſcere, ab inſano multùm laudanda magiſtro
Quæ pater adductis ſudans audiret amicis.
Jure: etenim id ſummum, quid dexter Senio ferret,

INTERPRETATIO.

oculis viderer; idque faciebam, ne mandarem memoriæ orationem Catonis Uticenſis morituri, grandi ſtylo compoſitam, quam recitaturus eſſem ſcilicet, laudante vehementer magiſtro meo, & patre cum amicis invitatis eam audiente, ac metuentes graviter, ne inter declamandum peccarem. Et verò in illa ætate jure quodammodo videbar ludo potiùs quàm literis delectari: id unicè tunc optabam, ſcire, quid felix ille jactus in alea, qui ſenio dicitur, ferret lucri; quid detrimenti afferret ille, qui canicula vocatur, & quantum de nummis depoſitis adimeret: quo pacto in orcam jaciendæ nuces eſſent, ita ut ab ore vaſculi non aberrarem; ne quis turbinem buxeum callidiùs me torqueret loro. Verùm tu non ea jam ætate es, qua tunc eram: igno-

NOTÆ.

Purpureas cervices. Caput Damoclis aulici, purpurea veſte induti. Damocles cùm laudaret adulatoriè felicitatem Dionyſii, Siciliæ Tyranni, fecit illi tyrannus vaſer experiendi copiam. Hominem ad inſtructam regio luxu menſam jubet accumbere; ſed ſimul è laqueari enſem nudum equina ſeta ſuſpendi ſupra illius caput imperat. Damocles, hoc metu exanimatus, quàm anxia, & miſera felicitas Regum eſſet, agnovit, ſolvique ſe periculo rogavit. Cicero 5. Tuſc.

Catonis. Fuit ille nepos M. Porcii Catonis, Uticenſis dictus, quia poſt Pharſalicam pugnam recepit ſe Uticam in Urbem Africæ, ubi, ne veniret in manus Cæſaris, gladio ſe confecit.

Id ſummum. Videbatur mihi puero ſummus ille apex felicitatis, & votorum omnium, ſcire alea ludere. Senio erat ille jactus, quo quis puncta ſex afferebat in ſingulis teſſeris, quæ vulgò tres jaciebantur, eratque jactus omnium feliciſſimus; con-

Sciret, erat in voto; damnosa Canicula quantum
Raderet; angustæ collo non fallier orcæ;
Neu quis callidior buxum torquere flagello.
Haud tibi inexpertũ curvos deprehendere mores,
Quæque docet sapiens, braccatis illita Medis,
Porticus, insomnis quibus, & detonsa juventus

INTERPRETATIO.

ignotum tibi non est quid in moribus curvum, quid rectum sit: nosti quænam philosophi Stoici doceant in sua porticu, ornata pictis tabellis, pugnas Persarum, & Medorum, cum Græcis exhibentibus, quæ juvenes philosophiæ studiosi, somno utentes parcissimo, oleribus, ac pulte tantùm vescentes, & tonsis inculti capillis, summo labore perdiscunt. Litera Pythagoræ Samii, duos in ramos diducta, virtutis viam dextra parte positam tibi ostendit: & tamen adhuc stertis, ignave adolescens, & studia negligenter capessis? tuumque caput, laxatis, ac dissolutis genarum compagibus, oscitat, quasi ab hesterna die somnum non vidisses. Habesne aliquem propositum tibi vitæ tuæ finem, ad quem, ut ad scopum, tuas actiones velut arcum, dirigas? An temerè vivis, & vagaris, ut pueri, qui corvos, & aviculas testis, & glebis insectantur, parum

NOTÆ.

contra infelicissimus, qui notas jaciebat singulas unico puncto, & canis; seu canicula vocabatur. Vide Martialem lib. 14. Epigrammate meo 11.

Orcæ. Orca fictile vasculum erat angusto collo, in quod pueri nuces conjiciebant; & quascumque in illud conjecerant, tanquam suas tollebant: quas verò extra vas abire contigisset, ea amittebant. Sunt qui orcam interpretentur turriculam, sive pyrgum, unde tali effundebantur in tabulam.

Quæque docet &c. Non est tibi ignotum, quid doceat porticus sapiens, idest, Stoicorum philosophia. Chrysippus, & Zeno, Stoicorum antistites, docebant in porticu, quæ Græcè, *Stoa* dicitur: unde hujus sectæ philosophi Stoici sunt appellati.

Illita. Picta, coloribus, & tabellis referta, in quibus visuntur Medi, & Persæ, pugnantes cum Atheniensibus, & ab iis victi. Braccæ autem sunt femoralia, sive alia quæpiam vestimenta laxiora, & longiora, quibus Medi utebantur.

Detonsa. Stoici comam non

Invigilat, siliquis, & grandi pasta polenta.
Et tibi, quæ Samios diduxit litera ramos,
Surgentem dextro monstravit limite callem.
Stertis adhuc? laxumque caput, compage soluta,
Oscitat hesternum, dissutis undique malis?
Est aliquid quò tendis, & in quod dirigis arcum?
An passim sequeris corvos, testaque, lutoque

INTERPRETATIO.

rum sollicitus, quò te pedes ducant? an vivis in diem, nihil curans crastinum? Id verò, qui faciunt, sanè faciunt imprudentissimè: videas quippe illos, cùm gravissimis laborant vitiorum morbis, cùm cutis jam intumescit, remedia, & helleborum petere; at seriùs: occurrendum est enim morbis, qui, si maturè non curentur, frustra medico peritissimo, qualis est Craterus, magnos auri montes pollicearis; morbum ille inveteratum non sanabit. Itaque, ò miseri mortales, maturè discite, quæ juvent ad animos vestros curandos, & ad benè vivendum; quæ sint rerum causæ; quid rei homo sit, cur in lucem editus fuerit; quis optimus ordo servandus in rebus; quomodò hujus vitæ curriculum debeamus emetiri, & pericula, ut metas, ac flexus, molliter, & scitè declinare, unde incipiendum; ubi

NOTÆ.

non alebant.

Siliquis. Siliquæ sunt leguminum tunicæ, & folliculi: hìc pro quibusvis oleribus ponuntur; Stoici enim carnibus ferè abstinebant.

Polenta. Est farina hordeacea. Ex ea fiebat panis: item pulmentum quoddam: vide Plin. lib. 18. c. 7. Ovid. 5. Metam. num. meo 12.

Litera &c. Pythagoras philosophus celeberrimus fuit è Samo insula oriundus. Is duplicè hominibus quasi viam vitæ propositam esse dictitabat; dextram nempe, arduam, & difficilem, quæ ad virtutem, & sapientiam duceret: sinistram verò, planam, & mollem, quæ ad vitia deflecteret. Hanc geminam viam explicabat per literam, Y, quæ, in duos veluti secta ramos, istud bivium indicaret.

Ex tempore vivis. Non ex ratione, & certo consilio, sed

Securus, quò pes ferat, atque ex tempore vivis?
Helleborum frustra, cùm jam cutis ægra tumebit
Poscentes videas, venienti occurrite morbo?
Et quid opus Cratero magnos promittere mõtes?
Discite, vos miseri, & causas cognoscite rerum,
Quid sumus, & quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metæqua mollis flexus, & unde.

INTERPRETATIO.

ubi sistendum: quem in pecunia querenda modum adhibere deceat: quid liceat optare, quid utilitatis afferant opes, quantum ex iis largiendum patriæ, & propinquis: quo te in statu vitæ, & qua in statione voluerit esse Deus in hoc orbe terrarum. Hæc, inquam, disce omnia: & ita tuo gradu, & conditione contentus vive, ut non movearis invidia, cùm aspicies in penu divitis causidici, qui locupletes Umbros defendit, multa vasa plena cibis, qui jam putrescunt, & fœtent, tanta est illorum copia; cùm videbis piper, ac pernas dono datas illi à Marsis clientibus, ac pisces, in orca prima conditos, nondum defecisse, atque absumptos esse, cùm alias orcas piscium plenas domi adhuc habeat, sibi donatas ab iisdem, vel aliis clientibus. Hoc loco quispiam ex olido, & hirsuto militum genere, ita ratiocinabitur: Ego mea sapientia, & virtu-

NOTÆ.

sed ut res, occasio, tempus, sors tulit.

Quidnam. Quid acturi nascimur, quam vitam vivere debemus.

Ordo. Hic ordo rerum à Deo præscriptus est, ut erga Deum ipsum piè, erga alios justè, erga nos sobriè vivamus. Per ordinem rerum, non malè Divinam Providentiam, quæ omnia ordinat, intelligas.

Meta. Vitam comparat cum curriculo, & stadio. In eo erat meta, quam oportebat curru circumflectere, & qui omnium optimè metam circumibat, non confractis rotis, ac inoffenso curru, hic vicerat. Per flexum igitur metæ intelligit Persius artem vitæ regendæ, & moderandę, vel etiam mortem, hoc sensu; discite, quàm brevis, ac fluxa vita sit: ut enim meta finis erat stadii, & cursus, ita mors finis est vitæ. Unde flexus ætatis pro senectute usurpatur à Tullio. Flexus autem hìc *mollis* dicitur, quia citò, & rapidè scienter, ac peritè debet peragi.

Et

Quis modus argento; quid fas optare; quid asper
Utile nummus habet; patriæ, carisque propinquis
Quantum elargiri deceat: quem te Deus esse
Jussit, & humana qua parte locatus es in re.
Disce: nec invideas, quòd multa fidelia putet
In locuplete penu, defensis pinguibus Umbris,
Et piper, & pernæ, Marsi monumenta clientis,
Mænaque, quòd prima nondum defecerit orca.
Hìc aliquis de gente hircosa Centurionum

INTERPRETATIO.

tute contentus sum, nihil requiro prętereà; neque curo similis esse Arcesilæ, Soloni, & miseris philosophis, qui se ad assequendam sapientiam torquent, ac macerant, qui collo rigido, atque immoto, oculisque humi defixis, incedunt, qui taciti secum immurmurant, ac rabiosos canes, collisis dentibus, imitantur; verbaque, labris exensis, ac projectis antrorsum, repetentes ex intervallo, quasi in trutina librant, & expendunt, secum meditantes inania vacuæ mentis commenta, similia somniis veteris alicujus ægroti, v. g. *quòd ex nihilo nihil gignatur, nihil in nihilum redire possit*. Hoccine tandem est, inquit iste Centurio, propter quod impallescis, & te vexas? hoc ut mediteris, & expendas, prandio abstines? His Centurionis dictis populus arridet, ac robusti juvenes, militiæ dediti, cachinnis sublatis applaudũt, Ego illi sic respondeo. Finge

NOTÆ.

Et unde. Unde iste metæ flexus molliter inchoandus sit. Vel: unde, quibus ex causis mors oriatur.

Asper. Recens cusus, nuper signatus.

Fidelia. Vas vinarium est, aut escarium.

Umbris. Umbri fuerunt Italiæ populi, divites, & opulenti.

Marsi. Populi ejusdem Italiæ.

Monumenta. Pignora benevolentiæ: dona, quę monent mentem patroni, ut causæ clientis recordetur.

Cliens. Cliens ille dicitur, cujus causa defenditur à patrono.

Mæna. Piscis genus est.

Orca. Vas, in quo reponebantur salsamenta, & alia id genus.

De gente. Gens, natio, sæpè sumitur pro secta aliqua, & ordine hominum: ita natio poetarum dicitur.

Hircosa. Hircus est alarũ sive axillarum graveolentia,

Dicat; Quod sapio, satis est mihi; non ego curo
Esse, quod Arcesilas, ærumnosique Solones,
Obstipo capite, & figentes lumine terram;
Murmura cùm secum & rabiosa silentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello,
Ægroti veteris meditantes somnia; *Gigni;*
De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.
Hoc est, quòd palles? cur quis non prandeat, hoc est?
His populus ridet, multumque torosa juventus
Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.
Inspice; nescio quid trepidat mihi pectus, & ægris

INTERPRETATIO.

ge aliquem ægrotum ita medicum alloqui: quæso te vultum meum, & venam micantem contemplare: nescio quid sit causæ, cur mihi cor palpitet, cur totum pectus horrore concutiatur, & halitus malè olens è faucibus ægrè animam ducentibus erumpat. Hunc medicus jubet continere se in lectulo, & quieti indulgere. Ille ubi se per triduum valuisse videt, ac pulsu æquali venas micare, oblitus medici consiliorum, mittit in amici divitis domum, & rogat inde sibi afferri lagenulam optimi vini Surrentini: mox ad balneum loturus pergit. Redit medicus, videt hominem pallidum; palles, inquit, amice. Hoc verò nihil est, inquit æger. Noli tamen id negligere: ait medicus: pellis tibi sensim flava intumescit. Tu verò, medice, pejùs, quàm ego, palles, Facesse, noli me tractare severiùs, ut pupillos tutor solet: ego meum tutorem jam

NOTÆ.

tia, odor fœtidus, qualis est hircorum.

Centurionum. Centurio, centum militibus præest.

Arcesilas. Fuit philosophus academicus insignis sua tempestate: is dicebat nihil sciri posse. Solon unus fuit è septem Græciæ sapientibus: floruit Athenis, regnante Romæ Tarquinio Prisco.

Obstipo. Quidam explicant, demisso.

Rabiosa silentia. Dicuntur canes rabidi non latrare.

Torosa. Pinguis, obesa; tori enim sunt carnis musculi; pulpæ.

Crispante. Tremente naso, & in rugas contracto.

Inspice. Respondet Stoicus

Faucibus exsuperat gravis halitus, inspice, sodes,
Qui dicit medico, jussus requiescere, postquam
Tertia compositas vidit nox currere venas,
De majore domo modicè sitiente lagena,
Lenia loturo sibi Surrentina rogavit.
Heus, bone, tu palles. Nihil est. Videas tamen istud
Quicquid id est, surgit tacitè tibi lutea pellis.
At tu deteriùs palles: ne sis mihi tutor:

INTERPRETATIO.

jam diu sepelivi, vide, ne te quoque sepeliam. Benè est, reponit medicus, taceo, & abeo. Igitur ille ægrotus, ubi se ingurgitavit cibis, alvi jam pallida pelle intumescente, lavat se in balneis, odorem tetrum è faucibus exhalans: at mox; ubi repetit epulas, & poculum accipit, horrore subito, ac tremore corripitur, & manus titubans illi poculum excutit aqua calida plenum; crepitat dentibus, qui præ horrore labiis contractis reteguntur & apparent; cibi excidunt ore: moritur; atque ad ejus funus deducendum parātur tibicines, cerei, ac tædæ; tandemque iste delicatulus medici contemptor, in feretro collocatus, & unguentis perfusus, deponitur pedibus in publicum versis, ad januam; mox ad rogum, & tumulum deportatur à servis, qui

NOTÆ.

cus preceptor orationi Centurionis, necessarium esse philosophiæ studium, quod qui negligunt, ruunt in vitia præcipites, & malè pereunt; ut ægroti, neglecta medici curatione, intereunt.

Exsuperat. Legunt aliqui, & rectiùs, expirat.

Sodes. Vox blandientis, oro te, factum ex *si* & *audes*.

Majore. Ditiore.

Modicè sitiente. Modicè ampla, nō multum vini capiente. Multum sitit lagena, quæ multum vini capit.

Surrentina. Surrentum urbs Italiæ in Campania; hujus vina lenia, & salubria erant, maximè convalescentibus.

Bone. Vox blandientis.

Lutea. Pallida, crocea, prima syllaba longa, quæ brevis est, cum à luto fit luteus, idest, cœnosus.

Tutor. Tutores erga pupillos fermè sunt severi: hinc tutor pro homine austero, & frigido sumitur.

Se-

Jampridem hunc sepeli: tu restas. Perge, tacebo.
Turgidus hic epulis, atque albo ventre, lavatur,
Gutture sulphureas lentè exhalante mephites.
Sed tremor inter vina subit, calidumque trientem
Excutit è manibus; dentes crepuere retecti;
Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris:
Hinc tuba, candelæ; tandemque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,

INTERPRETATIO.

qui ab eo, priùs quàm obiret pridie donati pileo fuerunt, & libertate, adeòque recèns facti cives Romani. Age nunc, ò philosophiæ contemptor infelix, similem esse te illi ægroto agnosce: explora tu ipse tibi venam, manum pectori applica, nihilne immodici, & alieni caloris deprehendis? attrecta pedes extremos, & manus, nonne frigent? quid? an non cor tibi trepidat, & insolito motu subsilit, cùm pecuniam aspicis? quid, si olera, & viles cibi in frigidis lancibus tibi apponantur, si panis multo mixtus furfure, qualis è farina, plebeio cribro purgata, fieri solet? fauces tenta, ibi deprehendes ulcus tetrum, nempe gulam, quæ istis plebeis cibis contenta non sit, seque illis

NOTÆ.

Sepeli. Pro *sepelivi*.

Tu restas. Tu, qui mihi jam advenis, ut tutor novus, restas à me sepeliendus. Vel, tune hìc restas adhuc? non abis?

Mephites. Mephitis est odor teter, qui maximè ex aquis sulphureis, & corruptis emittitur: hìc animæ graveolentiam significat.

Paratur. Balnei usus frequens erat post sumptum cibum. Sed ægris noxius, maximè hydropicis

Trientem. Triens est genus vasis, ita dictum, quia quatuor continet; est enim triens quarta pars numeri duodenarii.

Vina. Sæpe potabant in ipsis balneis.

Uncta. Pinguia, lauta.

Pulmentaria. Obsonia, cibi quilibet, Facta vox à pulte.

Tuba. Præcedebant funus nobilium tubæ; pauperum, tibiæ.

Lecto. Feretrum instar lecti sternebant.

Lutatus. Unctus. Lutare, est, luto inficere: hìc, accipitur pro ungere.

Amomis. Unguentis, aromatibus; quibus cadavera

In portam rigidos calces extendit; at illum
Hesterni capite induto subiere Quirites.
Tange miser venas, & pone in pectore dextram,
Nil calet hìc? summosque pedes attinge, manusque
Non frigent? ingens si fortè pecunia visa est,
Cor tibi ritè salit? positum est algente catino
Durum olus, & populi cribro decussa farina;
Tentemus fauces; tenero latet ulcus in ore
Putre, quod haud deceat plebeja radere beta.
Alges, cùm excussit membris timor albus aristas:
Nunc face supposita fervescit sanguis, & ira
Scintillant oculi; dicisque, facisque, quod ipse,
Non sani esse hominis, non sanus juret Orestes.

INTERPRETATIO.

illis offendi queratur. Nunc timore quateris, qui tibi capillos aristarum instar subrigit: nunc ira sanguis tibi succenditur, ut si fax illi supponeretur, & oculi scintillant; eaque dicis, ac facis, quæ Orestes ipse, licet insanus, tamen facilè videat esse hominis dementis, & ratione destituti.

NOTÆ.

ra solebant oblini.

Hesterni Quirites. Romani, vel à Romulo, qui dictus est Quirinus, vel, à Curibus, urbe primaria Sabinorum, quibus cum prima fœdera junxerunt, appellati sunt, Quirites: servi autem non recensebantur inter cives, nisi donarentur libertate.

Induto. Liberti pileum sumebant, ut insigne libertatis.

Subiere. Extulere, feretrum humeris imposuere.

Catino. Patina, lancè.

Decussa. Purgata à furfure populi cribro, quod non excludit omne furfur, neque excutit: unde panis fit ater, & secundarius.

Radere. Perstat in metaphora: ulcera enim, si quid asperius affricetur, raduntur, & offenduntur: ita homo gulæ deditus respuit olera plebeja, qualis est beta: & ejus guttur istis cibis vellicatur, ac raditur.

Orestes. Filius Agamemnonis fuit, Græcorum Regis, qui cùm Clytemnestram matrem interfecisset, furiis est agitatus, & in insaniam actus.

SATYRA IV.

Magistratus gerendæ Reipublicæ imperitus. Aliena vitia cernunt omnes magis, quàm sua.

REm populi tractas? (barbatum hoc crede magistrum
Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutæ)
Quo fretus, dic hoc, magni pupille Pericli?
Scilicet ingenium, rerum prudentia velox
Ante pilos venit, dicenda, tacendaque calles.
Ergo ubi commota fervet plebecula bile,
Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ,
Majestate manus: quid deinde loquere? Quirites,

INTERPRETATIO.

Administras Rempublicam, ò Alcibiades, pupille magni Periclis (finge hæc à Socrate illi dici) quibus tandē virtutibus es fretus, ut hoc à te rectè faciendum esse confidas? an ingenium tibi, & prudentia maturior ante ætatem venit? an tenes, quid tacendum, quid dicendum in loco sit? Age ergo, ubi populus iratus excitaverit seditionem, libet tumultum sedare, prolatà

NOTÆ.

Barbatum. Socratem intelligit Atheniensem Philosophum, virum sapientissimum, qui morte damnatus ab Atheniensibus, quòd de Diis perperàm sentire diceretur, hausto veneno è cicuta confecto, periit. Philosophi autem barbam alebant.

Pupille. Alcibiadem intelligit, Græcorum Imperatorem, qui tutorem à patre accepit patruum suum Periclem. Volunt aliqui, sub Alcibiadis persona, castigari Neronem,

Pericli. Pericles Dux Græcorum fuit maximus, idemque orator optimus; adeò ut tonare, fulminare, ac suis concionibus Græciam permiscere diceretur. *Periclei*, vel *Pericli*, dicitur pro, *Periclis*, à *Periclus*, vel *Pericleus*.

Pilos. Ante barbam, ante canos, ante grandiorem ætatem.

Quirites. Propriè cives Romani sunt, sic dicti à Curibus, urbe Sabinorum, aut à *Quiri*, quæ vox, lingua Sabina, hastam sonat.

Hic

Hoc, puto, non justum est, illud malè, rectius istud:
Scis etenim justum gemina suspendere lance
Ancipitis libræ, rectum discernis, ubi inter
Curva subit, vel cùm fallit pede regula varo;
Et potis es nigrum vitio præfigere Theta.
Quin tu igitur, summa nequicquam pelle decorus,
Ante diem blando caudam jactare popello
Desinis, Anticyras melior sorbere meracas?

INTERPRETATIO.

latà manu cum dignitate, & silentium indicere: quid dices deinde? nempe: O cives, ea res injusta est: illa malè, hæc rectiùs, opinor, fiat: scis etenim, quod justum est, examinare recta judicii, & rationis trutina; internoscis, quod est rectum, ubi inter curva, & vitiosa latet; vel cùm aliqua morum, & juris regula evadit curva, & fallax, eam videlicet emendare potes; & prava, vitiosaque nosti condemnare nigram illis, & feralem literam imponendo. Vides, te istis omnibus carere dotibus, & sola corporis forma præstare: quin igitur cessas captare populi gratiam, ante idoneam ætatem, & prudentiam, & illi te venditare?

NOTÆ.

Hìc autem, per catachresim de Græcis intelligi debet.

Ubi inter. Ubi se abscondit, & latet inter curva, idest, inter injusta, & iniqua. Virtus enim est in medio vitiorum duorum.

Varo. Distorto, obliquo, & curvo. Vari propriè dicuntur, qui pedes introrsum inflexos habent. Exemplum sit. Est hæc juris regula, *Reddatur depositum*: aliquis sanus ensem apud te deposuit; eum repetit idem in insaniam actus; fallit hoc loco regula, neque enim debes reddere depositum.

Theta. Græcorum judices, cùm reum condemnabant, solebant tabellas in urnam, vel cistam demittere, in quibus erat scripta Græca litera, *Theta*, quia *Thanatos*, quæ vox Græcè mortem significat, ab ea litera incipit. Eadem litera præfigebatur nominibus militum, qui perierant.

Caudam jactare. Ita canes solent, cùm blandiuntur dominis.

Anticyras. Anticyræ erant insulæ duæ eo nomine,

Quæ tibi summa boni est ? uncta vixisse patella
Semper, & assiduo curata cuticula Sole?
Expecta; haud aliud respondeat hæc anus. I nunc,
Dinomaches ego sum: suffla; sum candidus: esto,
Dum ne deteriùs sapiat pannucia Baucis,
Cùm bene discincto cantaverit ocyma vernæ.

INTERPRETATIO.

re? Rectiùs faceres, si caput, ac insaniam tuam purgares helleboro, quàm si administrationem imperii susciperes? Dic mihi, ò infelix adolescens, qua in re summum bonum ponis? nempe in lauto victu, in curanda cute ad Solem? expecta tantisper, petamus, quid sentiat hæc vetula, quæ preterit, certè nihil aliud respondebit de summo bono. Nunc tibi plaude, ac beatum te puta, quia nobilis es, & filius Dinomaches: buccas infla, gloriare de forma, & pulchritudine. Sit ita sanè, do id tibi libenter, modo tu mihi vicissim concedas, te nihilo sapientiorem esse, quàm sit anus pannosa, quæ herbas servis dissolutis emendas proclamat, non sine conviciis, quibus illos proluit. Quàm verum hoc effatum est, neminem se excutere, se in-

NOTÆ.

in quibus hellebori magna copia nascebatur: valet illud contra insaniam.

Meracas. Idest, merum & purum helleborum, ut remedium sit præsentius.

Melior sorbere. Græca loquẽdi formula; idest, aptior, & dignior, qui sorbeas.

Uncta patella. Pinguibus patinis, ideſt, cibis delicatis.

Sole. Cutem ungebant ad Solem, aut ignem; aprico in loco certis horis interdum considebant, valetudinis causa.

Suffla. Sufflare, est, flatum buccis tumentibus edere.

Pannucia. Pannosa, Baucis est nomen vetulæ, apud Ovidium celebris: pro qualibet vetula ponitur.

Discincto. Luxurioso, nebuloni, prodigo.

Ocyma. Ocymum, herba hortensis, quam narrat Plinius solitam seri cum maledictis, & probris. Basilicum etiam dicitur: quod nomen servis odiosum, quibus videtur servitutem exprobrare. Hinc illa Baucis ocymum venale servis occinit.

Vernæ. Verna propriè est servus ex ancilla, domi tempore verno natus: ponitur

Ut nemo in sese tentat descendere! Nemo:
Sed præcedenti spectatur mantica tergo.
Quæsieris: Nostin' Vectidi prædia? Cujus?
Dives erat Curibus, quantum non milvus oberret.
Hunc ais? hunc Diis iratis, genioque sinistro?
Qui, quandoque jugum pertusa ad compita figit,

INTERPRETATIO.

inspicere, ac sua scrutari vitia! ut illa pars manticæ, quæ est in tergo hominis præcedentis, nobis ob oculos assiduè versatur! Si fortè quæsieris ab aliquo: Nostine prædia Vectidii? Cujus, inquit ille? Nempe ille est, qui in agro Sabinorum tantum agri possidet, quantum milvus non percurrat per diem integrum volando. Huncine ais? hominem nempe iratis Superis, ac genio adverso natum: ita miserè avarus est? qui cùm post sementem factam aratrum suspendit palo, per festa Compitalia, dolens quod laguncula operculum pice oblitum resignare cogatur, suspirat, & ut res bene, ac feliciter vertat; precatur; tum cæpè adhuc suis

NOTÆ.

nitur hic pro quolibet servo.

Mantica. Dicebat Æsopus nos vitia nostra, tanquam onus incommodum, & invisum in peram, seù manticam conjicere, quam tergo impositam gestaremus. Esse autem homines in vita, ut in via, ita ut alii alios sequerentur, & eam, quæ sibi à tergo penderet, manticam nemo aspiceret, sed eam, quæ præcedentis tergo esset imposita, peccatis alienis plena. Occasionem hujus digressionis ex eo sumpsit Persius, quòd Alcibiades seipse videretur ignorare, ac probè tamen cognitus aliis foret, quippe qui ejus intuerentur vitia, dum sua nescirent.

Curibus. Cures urbs fuit præcipua Sabinorum.

Genio. Genius Deus est hilaritatis, ac lætitiæ dator: itaque genio irato, & adverso natus dicitur, qui genium defraudat, qui parcè vivit, ac duriter.

Jugum. Agricolæ, post sementem factam, certum diem festum, insigni lætitia, vino, epulisque celebrabant in compitis, tum aratris depositis cessabant ab opere rustico.

Pertusa. Perforata; quia compita sunt loca, unde patet ingressus in multas vias; vel, calcata, & contrita.

Seriolæ veterem metuens deradere limum,
Ingemit: *Hoc bene sit*; tunicatum, cum sale, mordens
Cæpe, & farratam pueris plaudentibus ollam,
Pannosam fæcem morientis sorbet aceti.
At, si unctus cesses, & figas in cute Solem,
Est prope te ignotus, cubito qui tangat, & acre,
Despuat in mores, arcanaque crimina carpat.
Cædimus, inque vicem præbemus crura sagittis:
Vivitur hoc pacto; sic novimus. Ilia subter
Cæcum vulnus habes, sed lato balteus auro.

INTERPRETATIO.

suis tunicis involutum comedens, cum sale, & olla pultis plena, servis ob epulas adeò delicatas plaudentibus, vinum vapidum, & fugiens, quod acetum dici potest, avidè haurit usque ad fæcem. Hæc dicis de Vectidio, quisquis illum ita carpis, sic illius vitia rides; at si tu post lautas epulas in otio marcescis, unguentis delibutus, & ad Solem apricaris; non deerit aliquis fortè ignotus, qui te carpat vicissim, & te cubito pulset, tuaque tibi vitia occulta exprobret. Ita carpimus alios, & lingua, ut jaculo vulneramus; ita vicissim ab iis vulneramur, & carpimur: sic sunt homines, sic vivunt. Sic alii alios norunt: sic tua, ò Alcibiades, vitia perspicimus. Tu habes occultum vulnus intrà viscera, sed tuus balteus, latior, & auro ornatus, impedit, quominus appareat: age, ut libuerit, finge

NOTÆ.

Seriolæ. Seria est vas testaceum, amphora.

Limum. Lutum, picem, qua obturatur os amphoræ.

Deradere. Deripere, detrahere.

Hoc bene sit. Quasi rem magnam acturus, precatur omnes Deos, ut bene illam sibi, ac feliciter evenire velint.

Farratam. Farre multo plenam, seu pulte confecta ex pingui frumento, atque e farina farris.

Pannosam. Fæx vini rancida, & sicca, in pannosas veluti lacinias arescit.

Cubito &c. Id fit, cùm aliquem duriùs admonemus, & cum cubito ferimus.

Despuat. Dicimur in aliquam rem despuere, cùm eam execramur.

Cæcum vulnus. Ita vocat libidines, & occulta flagitia.

Balteus, Hac voce potentiam, & opes innuit, quæ magna sunt vitiorum integumenta: quis enim potentem,

Protegit: ut mavis, da verba, & decipe nervos
Si potes. Egregium cùm me vicinia dicat,
Non credam? Viso si pa les, improbe, nummo
Si puteal multà cautus vibice flagellas:
Nequicquam populo bibulas donaveris aures.
Respue, quod non es: tollat sua munera cerdo:
Tecum habita; & noris, quàm sit tibi curta supellex.

INTERPRETATIO.

finge te sanum esse, ac te, si potes, decipe, & læsis nervis, corruptis visceribus, nega te ægrotare. Atqui me vicini omnes laudant, & virum esse bonum prædicant: cur illis non credam? Si, ò improbe, viso nummo, ejus desiderio perturbaris; si debitores tuos iniquis usuris vexas; frustra aures laudis avidas populo adulanti præbes. Repudia laudes, tibi non debitas; vilis plebecula, & infimi artifices servent sibi suas adulationes; & sua dona; te inspice, te consule, qui sis, quid habeas: tum intelliges, quàm tua bona, tuæ virtutes exiguæ sint.

NOTÆ.

tem, ac divitem accusare velit, quis ausit?

Da verba. Impone aliis, fucum facito.

Nervos decipe. Metaphora ducitur ab iis, qui cùm articulari morbo laborent, aut paralysi, quæ nervos obtundit, fingunt se tamen valere.

Puteal. Propriè est putei operculum. Locus fuit Romæ ita dictus, in quo exercebantur judicia: eratque ibi Prætoris tribunal; in eumdem locum fœneratores conveniebant, ut à debitoribus usuras exigerent.

Vibice. Vibex est signum vulneris inflicti, cicatrix. Per hanc metaphoram significatur acerbitas, & sævitia fœneratorum in debitores, sive litigatorum improbitas.

Sua munera. Laudes immeritas vocat munera assentatoris.

Cerdo. Cerdo est veterum calceorum sutor, in hoc loco, vilis opifex quilibet.

Curta. Manca, mutila, exilis.

SATYRA V.

Primùm gratias agit præceptori suo, quem pluribus laudat: deinde, in quo vera libertas posita sit, præclarè docet.

VAtibus hic mos est, centum sibi poscere voces.
Centum ora, & linguas optare in carmina centum,
Fabula seu mœsto ponatur hianda tragœdo:
Vulnera seu Parthi, ducentis ab inguine ferrum.
Quorsum hæc? aut quantas robusti carminis offas
Ingeris, ut par sit centeno gutture niti?

INTERPRETATIO.

Facerem hic libenter, quod vates solent, qui consueverunt optare, ut centum sibi ora, & centum linguæ suppetant, ad ea dicenda, de quibus carmen scribant, seu tragœdiam componant, ab mœstis actoribus clamore magno recitandam; seu describant bella cum Parthis gesta, qui sagittas ferro præfixas extrahunt ipsi è pectore vulnerato, & in hostes retorquent: Cur sic incipis, ò Persi, quorsum hæc optas? Quodnam illud tandem est carminis tui, ac Satyræ istius argumentum, cui explicando egeas centum faucibus, veluti ad ingentem offam deglutiendam? Qui gran-

NOTÆ.

Vatibus &c. Est in hac Satyra dialogus inter Cornutũ & Persium: fingitur Persius incipere optando centum voces, & centum linguas; & statim interpellari à Cornuto petente, quorsum id optet. Erat ille Cornutus insignis Philosophus, quo magistro Persius fuerat usus.

Fabula. Tragœdia, quia multa in tragœdiis fingi à poetis solent.

Parthi. Parthi sunt populi Asiæ, Persis vicini.

Quorsum hæc? Fingit Persius adesse Cornutum præceptorem suum, quem alloquitur in hac satyra.

Offas. Offa est propriè frustum carnis tumidũ: sumitur hic pro partibus magni alicujus, & tumidi carminis.

Ingeris. Alias aliis tumulas,

Grande locuturi nebulas Helicone legunto:
Si quibus aut Procnes, aut si quibus olla Thyestę
Fervebit, sæpe insulso cantanda Glyconi.
Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos; nec clauso murmure raucus,
Nescio quid tecum grave cornicaris ineptè;
Nec stloppo tumidas intendis rumpere buccas.
Verba togæ sequeris, junctura callidus acri,

INTERPRETATIO.

grande scribendi genus affectant, pergant sanè in Heliconem, & ibi colligant obscuras, turgidasque locutiones; si nempe cænam, quam Procne Tereo, aut Atreus Thyestę apposuit, sumunt exhibendam per insulsum illum auctorem Glyconem, qui Terei cænantis, aut Thyestæ partes agat. Tu carmina ejusmodi ambitiosa non scribis; neque imitaris folles, qui, interim dum igne ferrum in camino coquitur, ventos colligunt, & magno cum sonitu reddunt; nec rauca voce, & inter dentes conclusa, ineptè aliquid immurmuras: nec buccis inflatis, ingenti sonitu, versus ampullatos recitare amas. Uteris verbis in communi usu positis, & genere scribendi sic apte composito, & nexo, ut numerosus, concinnusque sit stylus tuus, non immodice intu-

NOTÆ.

las, undique colligis: vel potiùs, infers tibi in os, & buccam, ut opus sit centeno gutture ad eas deglutiendas.

Procnes. Procne fuit Pandionis filia Philomelæ soror, Terei Thraciæ Regis uxor, quę filium suum Itym epulandum apposuit marito, à quo Philomela temerata fuerat:

Thyestæ. Thyestes Mycænarum Rex, Pelopis filius, frater Atrei sui; qui cùm uxorem fratris temerasset, Atreus suos ipsi liberos in mensa apposuit, in olla coctos, reservatis capitibus illorum, & pedibus, quæ postea illi obtulit, ut agnosceret suum dolorem.

Cornicaris, More cornicis, tacitum quiddam, ac surdum crepas. Ut isti poetæ tumidi factitant.

Stloppo. Stloppus est ille sonus, qui inflatis buccis, ac displosis editur.

Togæ. Toga est vestis exterior, usitata Romanis, qui togati hinc dicti: significat hoc in loco usitatum loquendi genus, oppositum

Ore teres medico, pallentes radere mores;
Doctus, & ingenuo culpam defigere ludo.
Hinc trahe, quæ dicas: mensasque relinque
Mycœnis,
Cum capite, & pedibus, plebejaque prandia noris.
Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis
Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo.
Secreti loquimur: tibi nunc, hortante Camena,
Excutienda damus præcordia: quantaque nostræ
Pars tua sit, Cornute, animæ, tibi, dulcis amice,

INTERPRETATIO.

intumescens, & inflatus; callide insectaris hominum scelera, moresque pravos carpis acriter, atque pungis, ludendo liberaliter, & urbanè. Hæc illa sunt argumenta, unde tuis materiam versibus debes sumere: relinque Græcis Thyesteas mensas, ubi elixum puerorum caput cum pedibus servatum est, in epularum fine ostendendum: expende vitia Romanæ plebis, & mores ejus quotidianos, ac luxum argue. Ego verò non ob eam causam centum voces mihi opto, quòd in istis versari argumentis velim: neq; enim id ago, ut repleam libros versibus ampullatis, & splēdidè inanibus, quibus nugas poetarum, & fabulas exornem, & commendem. Sine arbitris, solus solum te nunc alloquor, suadetque mihi mea Musa, ut latebras mei pectoris tibi explorandas præbeam: placet tibi nunc ostendere, ò amicorum dulcissime, quàm verè te amem, & quanta sit pars anima tua meæ.

NOTÆ.

ampullato, & inflato. Eadem toga pro pace etiam sumitur, quia cives ea utebantur in Urbe, cùm milites sago in castris uterentur.

Teres. Rotundus, perfectus, ac politus. Quidam legunt, *teris*, hoc est, expolis, concinnas.

Pallentes. Sceleratos, quia improbi pallent ob flagitia.

Culpam defigere. Notare, & pungere; stylum in vitiis penitus figere: defigere enim, est, validè figere.

Mycænis. Mycænæ urbs Græciæ est in Peloponneso, ubi Atreus regnavit.

Bullatis. Bulla est aqua summa intumescens, & in globulum vento plenum se convolvens: pro retumida, & fulgenti, sed inani, & vacua, sumitur.

Secreti. Quæ fiunt ad inanem gloriam captandam, in

Ostendisse juvat. Pulsa dignoscere cautus,
Quid solidum crepet, & pictæ tectoria linguæ.
Hic ego centenas ausim deposcere voces,
Ut quantùm mihi te sinuoso in pectore fixi,
Voce traham pura, totumque hoc verba resignent,
Quod latet arcana non enarrabile fibrà.
Cùm primùm pavido custos mihi purpura cessit,

INTERPRETATIO.

meæ. Explora me, ut solent, qui vasa fictilia emunt; tu, inquam, qui scis probè dignoscere, quò sono vas intelligatur solidum esse, quænam amicitia vera, & germana, quænam sit fucata, & mendacibus verbis tecta. Ea causa est, cur centenas mihi dari voces velim, ut tua in me beneficia pro dignitate commemorem; ac sincera oratione prædicem, quàm altè in animo defixus mihi sis, idque verbis aperire possim, quod in intimo latet pectore. Cùm primùm prætextam vestem deposui, quæ puerilis integritatis, & verecundiæ veluti custos est, bullamque donavi, & appendi Laribus; cùm uti sociis, & monitoribus blandis cœpi; cùm clypeum, militiæ per ætatem jam patiens, candidum, ut tyro, sumpsi; cùm

NOTÆ.

lucem efferuntur, ut incurrant in ora, & oculos aliorum.

Tectoria. Tectorium est crusta quędam, aut marmoris, aut alterius rei, qua paries obducitur. Hìc significat fucatam amicitiam, quæ verbis tantùm constat, cùm aliud in animo lateat.

Fibrà. Corde, pectore. Fibræ sunt nervuli quidam & partes extremæ in corde, & visceribus, tenues instar fili.

Purpura. Toga puerilis, seu prætexta; sic dicta, quia illi purpureus limbus attexebatur. Hanc gestabant, ut etiam bullam, pueri nobiles usque ad annum 16. exactum, eaque deposita, virilem togam induebant. *Custos* dicitur, quia illa vestis sacra erat, & qui ea uterentur sancti, & venerabiles habebantur: itaque dabatur Magistratibus: item pueris, ut eorum pudicitiæ custos esset.

Pavido. Vel quia pueri meticulosi sunt, vel quia magistrorum minas, ac verbera tunc timent.

Cessit. Deposita est, me reliquit.

Bullaque succinctis Laribus donata pependit;
Cùm blandi comites; totaque impunè Suburra
Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo,
Cùmque iter ambiguum est, & vitæ nescius error
Diducit trepidas ramosa in compita mentes;
Me tibi supposui: teneros tu suscipis annos

INTERPRETATIO.

cùm per Suburram: vicum cupediis, ac deliciis infamem oculos jam spargere liberiùs potui; ea, inquam, ætate, qua sunt incerti adolescentes quodnam vitæ institutum aggrediantur, cùm laborant ignoratione earum rerum, quæ necessariæ sunt ad vitam bene transigendam, ac veluti hærent in bivio compito, per duplicem Pythagoricæ litteræ ramum significato, tunc me tibi erudiendum tradidi, tu me Stoica philosophia, cujus auctor præcipuus Socrates fuit, instituendum suscepisti: tunc apposuisti mihi regulam, quæ mihi ostenderet, quid esset in meis moribus intortum, & obliquum, sensim tamen, ac leniter, adeò ut asperitatem novæ doctrinæ vix ullam sentirem. Tunc animus meus rationis morem gerere cæpit, & ab ea vin-

NOTÆ.

Bullaque. Erat corculum quoddam, vel aliud quidpiam ex auro, argento, &c. quod nobilium puerorum collo appendebatur. Vide Sat. 5. & 13. Juvenalis.

Succinctis. Lares Dii erant domestici, qui singulis in domibus, & in certis etiam locis publicè colebantur. Habebant vestem, quæ canina pellis erat, instar peregrinantium altè cinctam, & in humerum sinistrum reductam, ac obvolutam.

Umbo. Est proprie pars in medio clypeo, eminens, & intumescens, interdum præfixa cuspide. Candidus erat clypeus tyronum, ut in eo res præclarè ab iis gerendæ scribi possent, & coloribus adumbrari. Umbo etiam est togæ pars quædam eminens: lautiores enim togam ita componebant, complicabantque, ut certo modo clypei speciem præ se ferret: togæ porrò erant vulgò candidæ.

Ramosa. Alludit ad litteram Pythagoræ, de qua dictum superiori satyra: ut enim compitum in duas, vel plures vias, tanquam arbor in plures ramos scinditur; ita littera, Y, in duas partes abit diversas.

Supposui. Metaphora ducitur ab ovis, quæ fovenda gallinæ incubanti suppo-

Socratico, Cornute, sinu; tunc fallere solers
Apposita intortos ostendit regula mores;
Et premitur ratione animus, vincique laborat.
Artificemquè tuo ducit sub pollice vultum.
Tecum etenim longos memini consumere soles,
Et tecum primas epulis decerpere noctes:
Unũ opus, & requiem pariter disponimus ambo;
Atque verecunda laxamus seria mensa.
Non equidem hoc dubites; amborum fędere certo
Consentire dies, & ab uno sidere duci.
Nostra vel æquali suspendit tempora Libra,
Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora

INTERPRETATIO.

vinci, eique subiici, quamvis non sine labore, tunc novam faciem ab arte, & philosophia accepit, te fingente & velut argillam digitis formante. Memini me te cum totos dies transigere solitum, & primam noctis partem epulis seponere. ambo laboris pariter, & quietis tempora partiebamur, & studii severiores curas hilari, & honesta mensa levabamus. Credas meritò ab occulta sideris alicujus potestate fieri, ut vita utriusque nostrùm, occupationes, ac studia sibi congruant, sintque inter se simillima; Aut Parcæ, quæ vera hominum fata condunt, nos sub eodem Libræ sidere nasci voluerunt, aut hora nascendi, nobis fidelibus amicis data, nos sub Geminis editos voluit, & istam concordiam vitæ, ac morum ambobus tri-

NOTÆ.

ponuntur.

Socratico sinu. Tuo sinu, qui disciplinam, & philosophiam Socratis sequeris. De Socrate vide Satyram IV.

Fallere solers. Solerter, & callide me fallens, vix à me deprehẽsa. *Fallo* enim sępè sonat *ignoror*. Aliqui sic exponunt: Tunc regula à te apposita ostendit mihi vitiosos, & intortos esse mores hominum plurimorum, quamvis recti, probique videantur. *Fallit enim vitium specie virtutis.* Juvenal. Satyr. 14.

Artificem. Magna cura, & arte elaboratum. Legunt alii, *artificisque tuo ducit*, *&c.* sub tuo pollice, qui es peritus artis philosophicæ.

Decerpere. Primam partẽ noctis ad epulas capere.

Sidere. Ab eodem astro gubernari, quod nobis nascentibus præfuerit.

Tenax veri. Mẽtiri nesci-

Dividit in Geminos concordia fata duoru[m]
Saturnumque gravem nostro Jove frangimus u[n]
Nescio quod certè est, quod me tibi temp
rat astrum.
Mille hominum species, & rerum discolor usu[s]
Velle suum cuique est, nec voto vivitur unc
Mercibus hic Italis mutat sub Sole recenti
Rugosum piper, & pallentis grana cumini:
Hic satur irriguo mavult turgescere somno,

INTERPRETATIO.

tribuit. Noxios, & malignos Saturni influxus, propitiis Jovis, qui nobis favet, radiis, aspectuque retundimus. Certe est aliquod astrum, seu Jovis, seu alterius Numinis (cujus porrò nescio) quod te mihi similem, & conjunctissimum facit. Hominum non unum genus est; eorum studia, & exercitationes vitæ admodùm discrepant inter se; est sua cuique propensio, nec idem omnes amant, optantque: hic mercaturam exercet; ac merces Italiæ mutat cum pipere, & cumino in India Orientali, hic epulis mavult, ac somno pinguescere, quàm opes labore multo quærere: alius delectatur ludo, & exercitationibus, quibus Romani utuntur in campo Martio: alium ludus aleæ spoliat opibus: alii turpes voluptates sectantur, sed cùm chiragra eorum digitos, ut veteris fagi ramos, siccaverit: in-

NOTÆ.

Geminos. Gemini, tertium sunt Zodiaci sidus. Poetę fingunt illos gemellos esse Castorem, & Pollucem, qui fuerint inter sidera collocati: Astrologi verò censent eos, qui sub Libra, aut Geminis nascantur, amicos esse, & invicem consentientes.

Saturnum. Saturnus dicitur ab Astrologis esse stella gravis, hoc est noxia, & infausta.

Nostro, Propitio, favente nobis.

Temperat. Accommodat, amicum, & congruentem facit.

Discolor. Non unius coloris, & generis.

Recenti. Sol oriens dicitur novus, quia renasci videtur quotidie.

Rugosum. Piper scabram cutem habet.

Cumini. Cuminum olus est, cujus succus pallidos facit.

Turgescere. Pinguis fieri, saginari. Irriguum appellat somnum, quia calorem nati-

Hic campo indulget: hunc alea decoquit: ille
In Venerem putret, sed cùm lapidosa chiragra
Fregerit articulos, veteris ramalia fagi,
Tum crassos transisse dies, lucemque palustrem,
Et sibi jam seri vitam ingemuere relictam.
At te nocturnis juvat impallescere chartis.
Cultor enim juvenum purgatas inseris aures
Fruge Cleantheà. Petite hinc, juvenesque, senesque,

INTERPRETATIO.

intorseritque, tum ingemiscunt vitam sibi totam in luto fœdarum voluptatum, ac tenebris peractam fuisse, & eam sibi ad morbos, & ærumnas relictam, ac in senium prorogatam dolent. Tua studia, ò Cornute, longè alia sunt: incumbis, etiam noctu, in libros; juvenum mores excolis, & in eorum aures, animumque inseris philosophiæ præcepta, ut sementem bonam, unde virtutum fructus nascantur. Ex his nimirum studiis, ò, senes & juvenes, ex hac philosophia discite certum finem, quem animo spectare in omni vita debeatis: hinc vobis sapientiam, & virtutem comparate, quæ sunt veluti viaticum, quo instructi senectutem læti percurretis. Cras, inquit aliquis, hoc faciam. Cras hoc facies? cur non hodie? Cur adeò me urges? Quid tam magnum est, rem.

NOTÆ.

nativum maximè temperat, ac veluti rigat corpus, benignos humores excitando.

Campo. In campo Martio ad Urbem, exercebat se juventus Romana, disco, cursu, saltu, & aliis id genus ludis.

Putret. Putrescit. Dissolutus est, ac marcidus. Legunt alii, *putris*, subaudiuntque, *est*.

Lapidosa. In articulis digitorum calculi, & nodi generantur è crassis humoribus, quibus arthritici cruciantur.

Palustrem. Obscuram, ut est in paludibus, & popinis, ob nidorem, & fumum.

Fruge. Frugem appellamus herbas, aut sementem. Detractis igitur pravis opinionibus, ut herbis noxiis, meliores tu, ac feliciores inseris, ut bonam frugem.

Cleantheà. Cleanthes philosophus fuit auditor Zenonis: quem ajunt interdiu studere solitum, noctu aquas è puteis pretio extra-

Finem animo certum, miserisque viatica canis.
Cras hoc fiet. Idem cras fiet; Quid? quasi magnum,
Nempe diem donas? Sed cùm lux altera venit,
Jam cras hesternum consumpsimus: ecce aliud cras
Egerit hos annos, & semper paulùm erit ultra:
Nam, quamvis prope te, quamvis temone sub uno,
Vertentem sese frustra sectabere canthum,
Cùm rota posterior curras, & in axe secundo.

INTERPRETATIO.

rem differre uno die, & procrastinare? diem unum dona mihi; est hoc exiguum. Sed cùm altera dies venit, jam istud cras hesternum, seu dies illa hesterna, quæ à te pridie cras dicebatur, abiit, & inutilis tota prateriit; rursumque aliud cras postulabis, & ita totos annos, vitamque totam consumens, dicendo te cras incepturum sapere; & semper aliud cras erit ultra illud, quod tibi dari petiisti; adeò ut nunquam venias ad ultimum aliquod cras: Sicut in curru rotarum quatuor, posteriores rotę, quamvis juxta priores sint, & in eodem curru, nunquam eas tamen currentes assequuntur, quia posteriori sunt in axe, & quanto magis sequuntur alias, tantò illæ magis antecedunt. Liberi esse debemus, non ea libertate, qua è populo quilibet, Publius, v.g. Velina cùm semel emeruit, atque adeptus est, tunc possidet frumentum, oblatà tesserulà fru-

NOTÆ.

trahere, unde vitam tolerarent.

Canis. Albis capillis, senectuti.

Idem, &c. Potest exponi sic. Idem dices cras, & ut hodie promittis te cras operam virtuti daturum, ita die sequenti dices, hoc fiet cras, idemque dicturus es tertia post die, ac porrò deinceps.

Egerit. Consumpseris Sensim tuos annos, vitam totam peregeris, in vitio traduxeris, dum te cras, & cras bene victurum spondes. Alii ab *egero* deducunt istud *egerit*, hoc sensu: cras toties postulatum, & datum expellit, extrudit, fini hos tuos annos.

Canthum. Canthus est ferreus ille circulus, quo rota extrema involvitur; hic verò pro tota rota sumitur. Ve-

Libertate opus est, non hac, quam ut quisque Velina
Publius emeruit, scabiosum tesserula far
Possidet. Heu steriles veri, quibus una Quiritem
Vertigo facit! Hic Dama est, non tressis agaso,

INTERPRETATIO.

frumentariâ. Heu quàm aberratis à vero, qui civem, & liberum fieri censetis, si à domino manumissus, & in orbem agitatus fuerit! Hic, quem videtis, vocatur Dama, & servus est, ac vilissimæ inter servos conditionis, quippe qui asinos domini agat, homo ne tribus quidem assibus æstimandus, stolidus, lippus, fraudulentus, fallere, ac dominum fraudare solitus, vel in ipso pabulo, quod jumentis distribuit; simul ac tamen eum dominus in orbem agitaverit, post illam agitationem, momento evadit civis honestissimus, & vocatur Marcus Dama. Rem miram, Superi! si Marcus iste.

NOTÆ.

Velina. E tribu Velina: hæc una erat ex Italis tribubus 35. fortè sic dicta, quòd circa Velinum lacum esset. Porrò servi, cùm donabantur libertate, in aliquam tribum adscribebantur: iidem sumebant prænomen aliquod, vulgò illius, à quo erant in libertatem vindicati; hinc iste, Publius dicitur, alter Marcus Dama. Porrò nomen tribus suæ, ut cæteri è plebe, subjungebant suo prænomini, ut Publius Velina, Marcus Æmilia, &c.

Publius. Aliquis servus, qui prænomen Publii cepit.

Emeruit. Servitutem exuit. Emeriti milites dicebantur, qui solvebantur militia, quibus vacatio à militia dabatur.

Scabiosum. Vile, corruptum. Legunt alii, *scabrosum*

Tesserulà. Nota quædam erat, signum aliquod, & symbolum, quo exhibito, cives gratis frumentum ex horreis publicis accipiebant.

Steriles veri. Veritate destituti. Græca locutio; metaphora est: propriè, steriles bonæ frugis terræ dicuntur.

Vertigo. Cùm dominus servum libertate *donare statuerat*, ducebat illum ad Prætorem; ibique illum apprehendens in gyrum circumagebat, significans eum jam, quò vellet, ire ad arbitrium suum posse: mox eundem Prætor virga, quæ vindicta dicebatur, quia eos vindicabant in libertatem, per-

Vappa, & lippus, & in tenui farragine mendax
Verterit hunc dominus; momento turbinis exit
Marcus Dama. Papæ! Marco spondente, recusas
Credere tu nummos? Marco subjudice palles?
Marcus Dixit; ita est: obsigna, Marce, tabellas.

INTERPRETATIO.

Iste Dama pro aliquo debitore tuo spondeat, num dubitabis nummos, tam idoneo fidejussore, tuos dare, & esse creditor? Si Marcus sit judex tuæ causæ, num timebis, ne jus non obtineas? Si Marcus aliquid affirmaverit, nonne ita esse jurabis? Marce, ades. Subscribe, & signa tabulas instrumenti publici, aut testamenti. Num hæc tandem vera libertas est, quam assequuntur servi vel nequissimi, si pileum sumpserint? Sanè, inquis; etenim ille liber est, qui arbitratu suo vivit: at ego, Marcus Dama, si vis, quem tu derides, ego, inquam, potestatem habeo vivendi, ut volo; nonne sum igitur Bruto liberior? Malè ratiocinaris, respondebit aliquis Stoicus, purgatam aurem habens, & acre judicium, ut falsa distinguat à veris: admitto, & concedo ea, quæ priore loco dixisti, nempè, *ille est liber, qui vivit, ut vult*: at nego hæc alia, quæ subjunxisti, *mihi licet vivere, ut volo*: hæc tolle, sunt enim falsa. At, inquis, postquam mei juris effectus sum solita Prætoris formula, cur non mihi liceat vivere, ut volo? excipio tamen ea, quæ in legibus vetita.

NOTÆ.

percutiens, hæc verba dicebat: *Esto liber*.

Tressis. Qui valet tribus assibus.

Agaso. Qui asinos agit, ac ducit.

Vappa. Vinum est, quod aceto est proximum: accipitur pro nebulone, insulso, & perdito.

Lippus. Cui oculi stillant, ac fluunt; bardus, nequam.

Farragine. Farrago est jumentorum pabulum, unde aliquid furatur ille servus fraudulentus, & perfidus: est farris, & variorum leguminum permistio.

Momento, &c. Tempore, & brevissimo spatio circumactûs, & vertiginis; cùm eum dominus manumittens in orbem rotat.

Marcus Dama. Assumpto sui domini prænomine, qui anteà dicebatur tantum Dama, jam vocatur Marcus Dama.

Spondente. Fidem suam pro illo interponente.

Hæc mera libertas? hanc nobis pilea donant?
An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
Cui licet, ut voluit? licet ut volo vivere;
 non sum
Liberior, Bruto? Mendosè colligis, inquit
Stoicus hìc, autem mordaci lotus aceto:
Hæc reliqua accipio; *licet, ut volo, vivere,*
 tolle.
Vindictà postquam meus à Prætore recessi.
Cur mihi non liceat, jussit quodcumque voluntas,
Excepto, si quid Masuri rubrica vetavit?

INTERPRETATIO.

tita sunt, & à Masurio notata; fateor enim, non licet ea mihi facere, neque verò libet. At tu, disce, quæ sit vera libertas: sed iram tamen pone, neque, si quid dicam, irride, dum tibi falsas, & aniles opiniones ex animo conor evellere. Non erat Prætoris, qui te liberum, postulante domino tuo, pronunciavit, munus, & facultas, efficere, ut tu, qui sapiens non es, sapientiam, in qua vera libertas consistit, quæ virtutum officia, & vitę degendę rationem hominibus præscribit, consequereris, ac permittere tibi facere, quæ velles, & uti vita tuo arbitratu. Faciliùs docueris calonem, & rusticum aptè ludere fidibus, & organum musicum peritè tractare. Reclama: etiam ipsa ra-

NOTÆ.

Tabellas. Condere testamentum non poterant servi, neque obsignare aliud instrumentum, testes esse, &c.

Pilea. Servi libertate donati conferebant se in templum Deæ Feroniæ, ubi caput radebant, ac sumebant pileum, quod insigne libertatis erat.

Bruto. M. Junius Brutus, pulsis Roma Regibus, ut Consules crearentur, curavit, & libertatem sanxit.

Aceto. Valet acetum ad sordes abstergendas; pro sagacitate, & prudentia ponitur: qui habet aures aceto lotas, seu lavatas, idest, qui eruditus, & sagax est.

Masuri. Masurius fuit jurisconsultus, Tiberii tempore celeberrimus.

Rubrica. Leges; quia legum tituli, & inscriptiones minio, & rubrica notabantur.

Ru

Disce. sed ira cadat naso, rugosaque sanna,
Dum veteres avias tibi de pulmone revello,
Non Prætoris erat stultis dare tenuja rerum
Officia, atque usum rapidæ permittere vitæ:
Sambucum citiùs caloni aptaveris alto.
Stat contra ratio, & secretam gannit in aurem
Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo:
Publica lex hominum, naturaque continet hoc fas,
Ut teneat vetitos inscitia debilis actus.

INTERPRETATIO.

ratio, quæ tacitè nos admonet, ne quis id aggrediatur facere, quod malè agendo veluti contaminaturus sit; hoc omnium gentium, & naturæ lege sancitum est, ut qui per inscitiam aliquid efficere nequit, ab ea re se abstineat. Sic ratio ipsa, & natura medicæ artis prohibet, ne elleborum temperes, ac diluas ægroto dandum, si nescias illud ponderare, & velut in examine, ac libra expendere, ut quot puncta, seu grana illius danda sint, noscas. Ita si arator astrorum imperitus, navem sibi gubernandam poscat; Dii maris exclamabunt, & impudentissimè totam rerum naturam esse perturbatam jure conquerentur. An philoso-

NOTÆ.

Rugosa. Qui irrident alios, frontem, & nasum corrugant.

Avias, Avia est propriè matris mater. Hic aviæ sunt aviarum aniles fabulæ, inveteratæ, & falsæ opiniones.

Non Prætoris erat. Non est munus: imperfectum pro præsenti.

Officia. Officia dicuntur ea, quæ ex officio, ex virtute fieri ab hominibus in vita communi debent, *Tenuja* dicuntur, hoc est, subtilia, accurata, quæ multum prudentiæ postulant, quæ oculos facilè fugiant, & communem prudentiam.

Rapida. Quæ citò effluit, citò transit.

Sambucum. Instrumentum musicum.

Caloni. Calo est militum servus.

Alto. Idest, hebeti, ignavo.

Gannit. Tacitè admonet: gannire propriè vulpes dicuntur, aut canes, dum mussitant, & conqueruntur.

Ut teneat, &c. Ut inscitia debilis abstineat se à veti-

Diluis elleborum, certo compescere puncto
Nescius examen, vetat hoc natura medendi.
Navim si poscat sibi peronatus arator,
Luciferi rudis; exclamet Melicerta perisse
Frontem de rebus. Tibi recto vivere talo
Ars dedit? & veri speciem dignoscere calles,
Ne qua subærato mendosum tinniat auro?

INTERPRETATIO.

losophia, illa bene vivendi ars, tibi dedit rectè, & sapienter vivere? An speciem veri ab ipsa veritate dignoscere potes, ne aurum ære mistum, quod germani, & veri auri tinnitum mendosè imitatur, pro auro vero capias? An albo lapillo notare calles honesta, quæ amanda sunt; turpia verò, quæ sunt fugienda, carbone? An modum tenes in tuis desideriis? An parsimoniam in re domestica servas? An erga tuos amicos humanus es, ita ut frumentum, & opes tuas aliquando illis liberaliter impertias: aliquando, cùm scilicet opus non est, occludas, & contrahas? An avaritia te non cogit nummum à pueris in luto defixum inter silices, colligere? An instar avidi helluonis, ad quamlibet lucri spē non

NOTÆ.

vetitis actibus, omittat actus vetitos; ut qui non potest aliquid facere ob ignorantiam, id non faciat.

Elleborum. Herba est, quę ad bilem atram purgandam valet.

Puncto. Pondere, mensura. Statera est trutinæ species, & libræ: caret ea lancibus; sed in oblongo baculo notantur puncta quædam, ex quibus ratio, & modus ponderis, quod in extrema ejusdem baculi parte suspenditur, intelligi potest.

Examen. Vide primam satyram initio.

Peronatus. Perone indutus. Pero est calceamenti rustici genus.

Luciferi. Lucifer est stella, quæ Venus dicitur, quæ circa Solem volvitur; pro omnium astrorum cognitione hic ponitur.

Melicerta. Filius fuit Athamanthis ex Ino Cadmi filia: mutatus est in Deum marinum, & Palæmon vocatus.

Frontem. Verecundiam, pudorem, cujus sedes in fronte.

Recto talo. Recta via, congruenter virtuti; ducitur metaphora ab iis, qui pedibus rectis, non obtortis ambulant.

Subærato. Ita ut sub aurea

Quæque sequenda forent, & quæ vitanda vicissim,
Illa priùs cretà, mox ex carbone notasti?
Es modicus voti, presso Lare, dulcis amicis:
Jam nunc adstringas: jam nunc granaria laxes:
Inque luto fixum possis transcendere nummum;
Nec glutto sorbere salivam Mercurialem?
Hæc mea sunt, teneo, cùm verè dixeris, esto
Liberque, ac sapiens, Prætoribus, ac Jove dextro.

INTERPRETATIO.

non exilis, eamque suaviter regustas? Cùm verè pronunciare poteris ea, quæ dixi hactenus, tua esse, te his virtutibus esse præditum; esto sane liber cum bona Prætorum omnium, ac Deorum venia. Sin tu, cùm unus anteà de hominum non optimorum, quales sumus, grege fueris, nescio quam virtutis speciem præ te feris, veteresq; mores, ut serpens vetulus suam pellem, & vitia, & vulpinas fraudes intus retines, repeto libertatem, quam tibi paulò ante dederam, teque, ut belluam fune alligatam, rursum servituti mancipo. Si rationis es penitus, & sapientiæ expers, nihil unquam rectè ages, vel si digitum tantùm moveas, quo quid levius esse potest? Verùm nunquã id evinces, aut obtinebis, ut vel minima sapientiæ particula fruantur improbi. Ea duo quippe inter se jungi nequeunt; ut non potest rusticus

NOTÆ.

rea crusta æs sit; ita ut aurum, seu aurea superficies habeat æs sub se; intus in nummo ipso sit æs, extrinsecùs verò aliquid auri, ad oculos fallendos.

Presso lare. Non magnifica tibi res domestica, non sumptuosa est. Lar est propriè Deus domesticus: pro ipsa domo ponitur.

Glutto. Glutto, gluttonis, helluo est, homo vorax. Quidam, *glutto*, scribunt in auferendi casu. Est autem gluttus pars colli, per quam cibi transmittuntur. Salivam Mercurialem sorbere, est, immodica lucri cupiditate teneri. Ducitur metaphora à gulosis, qui dum cibos jucundos vident, salivam in ore versant, ac deglutiunt.

Teneo. Possideo.

Jove dextro. Favente, approbante. Prætorum erat servos denunciare liberos, ut

Sin tu, cùm fueris nostræ paulò ante farinæ.
Pelliculam veterem retines, & fronte politus,
Astutam vapido servas sub pectore vulpem;
Quæ dederam supra, repeto, funemque reduco.
Nil tibi concessit ratio? digitum exere, peccas:
Et quid tam parvum est? sed nullo thure litabis,
Hæreat in stultis brevis ut semuncia recti.
Hæc miscere nefas; nec, cùm sis cætera fossor,
Tres tantùm ad numeros Satyri moveare Bathylli.

INTERPRETATIO.

cus aliquis fossor, vel tres passus ad numerum peritè conficere, quo movetur modo egregius ille saltator Bathyllus. At, inquis, profectò sum liber. Unde hanc tibi libertatem arrogas, tibi, inquam, tot rerum, ac vitiorum mancipio? An putas nullum alium esse dominũ, præter illum, cujus è potestate liberantur, qui feriuntur, ex more, Prætoris virgula? En quispiã herus servum imperiosa voce ita urget: I, famule, defer strigiles in balnea Crispini, quid moraris cunctator? Sanè ista servitus, hæc imperia dura sunt, & molesta: nihil tamen te movent, quia libertate donatus fuisti, nec tibi est externa vis metuenda, v. g. scuticarum, & lororum, quibus dominus nervos tibi tunderet: sed si intimo in pectore nascuntur tibi domini, an minùs pœna ca-

NOTÆ.

ut diximus.

Farinæ. Metaphora ducitur à panibus, qui sunt similes inter se, & ejusdem saporis, si ex eadem farinæ massa fiant.

Pelliculam. Sumitur hoc ab iis, qui cùm sint facie obscura, & nigra, fuco, & minio pellem oblinunt; vel à serpentibus, qui pellem veterem deponunt.

Vapido. Turbido, obscuro, corrupto.

Reduco. Bestiarii, quamvis belluas interdum liberiùs excurrere patiantur, funem tamen manu retinent, quem retrahunt, si longiùs illæ abeant: hinc sumpta metaphora.

Peccas. Hoc erat Stoïcorum dogma, quidquid fiebat ab improbis, quos stultos appellabant, peccatum esse.

Litabis. Litare, est, aliquid, oblato sacrificio, à Superis obtinere. Nunquam obtinebis, ne ab ipsis quidem Superis, ut &c.

Semuncia, Dimidia uncia.

Fossor. Rusticus, terram fodiens, & arans.

Tres, &c. Tres pedum agi-

Liber ego. Unde datum hoc sumis, tot subdite rebus?
An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat?
I puer, & strigiles Crispini ad balnea defer,
Si increpuit; cessas nugatòr? servitium acre,
Te nihil impellit, nec quidquam extrinsecùs intrat,
Quod nervos agitet: sed si intus, & in jecore ægro
Nascuntur domini: qui tu impunitior ex'is,
Atque hìc, quem ad strigiles scutica, & metus egit herilis?
Manè piger stertis: Surge, inquit Avaritia, eja,

INTERPRETATIO.

cares, quàm mancipium illud, quod ad ferendas in balnea strigiles scuticæ metu impellitur? Dormis manè in utramq; aurem: inclamat Avaritia: Surge, age, surge. Non surgis? urget, Surge, inquit. Non possum. Surge Quorsum? Rogas? perge in mare Ponticum; hinc pisciculos advehe, castorum stupas, ebenum, thus, vina Coa; ante alios mercatores, excipe piper recèns advectum, & è cameli dorso detrahe: commuta mercem aliquam cum alia: pejera. Sed me Juppiter audiet pejerantē? Nætu vir bonus es, si curas Jovi placere: numquam rem facies, & ad eam inopiam devenies, ut micas salis colligens in fundo salini pœne vacui, illud, impactis sæpe digitis, perforaturus videaris. Hac avaritię ora-

NOTÆ.

agitationes, factas ex numero, & arte.

Bathylli. Fuit ille saltator eximius, Neronis tempore: ob velocitatem pedum Satyrus appellabatur; Satyri enim sunt Dii agrestes, pedū velocitate præstantes.

Relaxat. Cujus servitute eximit. Quid sit *Vindicta*, prius dictum.

Strigiles. Strigilis est instrumentum quoddam dentatum, quo sudor, & sordes è corpore absterguntur, à stringendo, & radendo, dictum: eo utebantur in balneis, ubi sudorem igne, vel aqua calida, provocaverant.

Crispini. Fuit hic, vel balneator, vel dives quidam, qui suas amicis thermas, & balnea cōmodabat.

Increpuit. Subaudi, dominus aliquis: servum alloquens,

Surge. Negat? Instat: Surge, inquit. Non queo. Surge,
En quid agam? Rogitas? en, saperdam advehe Ponto,
Castoreum, stupas, ebenum, thus, lubrica Coa;
Tolle recèns primus piper è sitiente camelo:
Verte aliquid: jura, sed Jupiter audiet, Eheu,
Baro, regustatum digito terebrare salinum
Contentus perages, si vivere cum Jove tendis.
Jam pueris pellem succinctus, & œnophorum aptas:

INTERPRETATIO.

oratione excitatus surgis: jam vestem altè succingis; jam pelles, quibus nautę utuntur, jam vini lagenas famulorum humeris imponis: ad navem properas: nihil te moratur, quominus magna in navi Ægæum mare ingrediaris; nisi te astuta Luxuria revocet, & quasi seductum à turba sic alloquatur; Quò pergis, demens? quid agis? ita æstuas, ut calorem istum, præ trepidatione, & insania collectum, integra cicutæ urna non extinguat. Tune mare transmittas; tu in transtris navis cœnare poteris, stratus inter duros rudentes; tu vino uti pessimo, quale Vejentanum est, quod tibi in vili vase appositum, fœtidum odorem afflabit, è pice, qua vas fuerit obturatum? Cur optas, ut pecunia tua, quam honesto fœnore hìc augebas Romæ, accipien-

NOTÆ.

quens, I, *puer*, &c.

Saperdam. Vilem pisciculum, qui è ponto Euxino advehebatur.

Castoreum. Pharmaci quoddam genus, è castorum, seu fibrorum intestinis confectum.

Coa. Vina ex insula Coo, quæ alvum laxant, & lubricam præstant.

Sitiente. Quia viam longam, & æstuosam confecit: adde, quod camelus diutissimè sitim tolerare dicitur.

Baro. Baro stupidum, & bardum sonat. Barones erant servi militum, qui & calones dicebantur.

Perages, Vitam omnem ages ita inops, ut ne salem quidem habeas in salino, sed cogaris micas pauculas salis, in eo relictas, extremo digito avellere, & ori apponere, tam sæpè, ut salinum digitis tuis perforandum esse videatur.

Succinctus. Veste altiùs præcincta.

Ocyus ad navem: nihil obstat, quin, trabe vasta
Ægæum rapias; nisi solers Luxuria ante
Seductum moneat: Quò deinde, insane, ruis? quò?
Quid tibi vis? calido sub pectore mascula bilis
Intumuit, quam non extinxerit urna cicutæ,
Tun' mare transilias? tibi, torta cannabe fulto,
Cœna sit in transtro, Vejetanumque rubellum
Exhalet vapida læsum pice sessilis obba?

INTERPRETATIO.

piendo quinos nummos mutuo datos, per laborem multum, & periculum tibi crescat, ita ut pro centenis accipias undecim nummos quotannis; Genium cura, deliciis indulge: ea demum vitæ pars, quam donas mihi, & consecras voluptati, vera vita est: brevi abibis in cineres, fies Inferorum umbra, & nihil de te, præter sermonem, ac fabulam, restabit. Mortem cogita instantem, fugit tempus; hæc ipsa hora, qua tecum loquor, jam abiit; jam in præteriti temporis rationem transiit. Quò te vertes, infelix? utram sequeris, luxuriam, an avaritiam? Quasi piscis duplici hamo illectus, in hanc, & illam partem traheris; huic an illi domino obtemperaturus sis dubitas, modò uni, modò alteri te subiicias oportet; & inter utrumque fluctuas. Neque te liberum esse, aut catenas fregisse dixeris, si semel illis jubentibus resistas: semper aliquid diræ servituris restabit. Ita canis, quamvis diù luctatam dentibus catenam arripuerit, & fugiat, retinet tamen catenæ partem, collo alligatam, unde revocari possit.

Cha-

NOTÆ.

Ægæum rapias. Committas te mari Ægæo. Est illud mare inter Græciam, & Asiam minorem, refertum insulis.

Mascula bilis. Bilis vehementior, & acrior te ad insaniam redegit. Mascula vocatur, quia fortitudinem, & robur solet afferre.

Cicuta. Cicuta est herba frigidissima.

Cannabe. E cannabe rudentes, & nautici funes fiunt. Est autem ordo: An tibi, fulto in cannabino fune, cæna erit in transtris, &c.

Transtro. Transtra sunt nautarum sedilia lignea.

Rubellum. Modice rubrum; subaudi vinum.

Læsum. Gravè olens ob picem, quæ obbam claudit.

Obba. Amphora, poculi li-

Quid petis? Ut nummis, quos hîc quincunce modestè
Nutrieras, peragant avidos sudare deunces?
Indulge genio; carpamus dulcia: nostrum est,
Quòd vivis: cinis, & Manes, & fabula fies:
Vive memor lethi; fugit hora, hoc quod loquor, inde est,
En quid agis? duplici in diversum scinderis hamo:
Hunccine, an hunc sequeris? subeas alternus oportet
Ancipiti obsequio dominos, alternus oberres.
Nec tu, cùm obstiteris semel, instantique negaris
Parere imperio, Rupi jam vincula, dicas.
Nam & luctata canis nodum arripit: Attamen illi,
Cùm fugit, à collo trahitur pars longa catenæ.
Dave, citò, hoc credas jubeo, finire dolores

INTERPRETATIO.

Chærestratus ille, in Menandri comœdia notus adolescens, à meretriciis amoribus expedire se dum meditatur, unguẽ arrodens, hæc ait ad servum: Dave, mihi deliberatum est finem curis meis, ac doloribus citò imponere; hoc tibi volo esse persuasum: egone ignominiam hãc inuram meis propinquis, & affinibus, sobriis & temperantibus? An opes patrias absumam ad meretricis fores, cũ sinistro omnium de me rumore, dum ebrius canto ad fores Chrysidis, meis lacrymis humidas extincta face? Macte inquit Davus, perge istud facere, gratias Diis, agna immolata solve, qui te isto malo expedierint. Sed, ò Dave, si eam relinquo, nonne id ægrè feret? nonne plorabit? Ah redi ad ingenium: si ad illam reverteris, ipsa te crepidis rubro corio tectis percutiet, & indignum in morem tractabit, facietque, ne audeas cogitare de excutiendis illis vinculis, & arrodendis laqueis, quibus teneris irretitus: nunc videris

NOTÆ.

ligneî genus, cujus fundum est latius; adeòque sessilis vocatur, quia facilè in mensa veluti sedet, quiescitque.

Quincunce. Quicunx sunt quinque unciæ: cùm quinque verbi gratia nummi annui pro centenis mutuò datis petuntur. Usura porrò illa modesta hîc dicitur, quia legibus permissa erat: Deunx autem significat uncias undecim: accipere autem fœnoris loco undecim

Præteritos meditor, crudũ Chærestratus unguem
Arrodens ait hæc: an siccis dedecus obstem
Cognatis? an rem patriam, rumore sinistro
Limen ad obscœnum frangam, dum Chrysidis udas
Ebrius ante fores, extincta cum face, canto?
Euge, puer, sapias; Diis depellentibus agnam
Percute. sed censen' plorabit, Dave, relicta?
Nugaris; solea, puer, objurgabere rubra,

INTERPRETATIO.

ris adversùs illam ferox, & constans; sed si te vocet, statim erumpes in has voces, Quid faciam autem? An etiam nunc non redibo ad illam, cùm me revocet ultro, ac roget? Ah, mi here, si totus, & integer ex illis tuis vinculis exiisses, ne nunc quidem eò redires. En, qui se ita gereret, hic, hic ille liber est, quem quærimus, non ille alius, in quem lictor inepte festucam jactat. Jam verò an ille liber, ac sui juris est, quem ore aperto populares auras captantem ambitio splendidè mendax trahit suis illecebris? Heus tu, inquit illa, expergiscere, & ad captandum favorē vulgi, populo de suffragiis distribuendis inter se litiganti fruges, & olera largire affatim in ludis Floralibus: ita ut tuæ liberalitatis fama celebretur à senibus olim longo post tempore, dum ad apricum Solem confabulabuntur; quid enim præclarius ista largitione? Quid? an tu, homo superstitiose, es liber, qui, cùm Judæi sua sabbata colunt, & natalem He-

NOTÆ.

pro datis centenis, præter omne jus, & modum est: itaque avida usura dicitur, nimia scilicet, ac immoderata.

Chærestratus. Adolescens quidam, malis amoribus implicatus, ex fabula Menandri, loquens hic inducitur; ut in Terentio, apud quem vocatur idem adolescens Phædria.

Unguem. Ut irati, aut meditabundi solent.

Udas. Unguentis, & odoribus pretiosis perfusas: vel, meis lacrymis humidas. Accendebant autem faces in honorem, & gratiam meretricum; eas verò, cùm ad ipsarum fores venissent, extinguebant, si excluderentur, cantilenas interim quasdam amatorias cantantes.

Depellentibus. Qui à te hanc amoris insaniam depulerunt. Tales præcipuè censebantur Castor, & Pollux; Diique depellentes, seu

Ne trepidare velis, atque arctos rodere casses.
Nunc ferus, & violens; at si vocet, haud mora, dicas,
Quidnam igitur faciam? nec nunc, cùm arcessar, & ultro
Supplicet; accedam? Si totus & integer illinc
Exieras, nec nunc: Hic, hic, quem quærimus, hic est,
Non in festuca, lictor quam jactat ineptus.
Jus habet ille sui, palpo quem ducit hiantem
Cretata ambitio? Vigila, & cicer ingere largè

INTERPRETATIO.

Herodis sui Regis diem celebrant, cùm spectantur dispositæ in eorum fenestris lucernæ violis ornatæ, & fumum latè fundentes, cùm instaurant iidem epulas, thynnosque, pisces exquisitos, in ingentibus patinis, & amphoras vino graves, apponunt, tu, inquam, eo tempore, homo Romanus, tamen, instar Judæi circumcisi, tacitas preces fundis, & jejunio, quo celebras eorum sabbata, pallorem contrahis? Quid alia referam, quæ superstitiosus metuit? nigros scilicet lemures timet; item, ne quid mali eveniat, si ovum inter sacrificandum ruptum sit: tunc Galli, proceri sacerdotes Cybeles, & sacerdos Isidis lusca, sistrum tenens, incutiunt

NOTÆ.

seu averruncantes dicebantur.

Trepidare. Jactare, & agitare sese.

Festuca. Cùm servus libertate donabatur, lictor Prætoris festucam in servum coniiciebat; cujus moris quia ratio nulla erat, ineptus dicitur.

Palpo. Palpus, sive palpum, palpi significat illecebras, illicium. Palpo etiam, palponis, significat adulatorem, captatorem gratiæ popularis: quo sensu si accipias, ita versum Persii, explica; an ille palpo jus habet sui, quem hiantem ducit Ambitio, &c.

Cretata. Fucata, & creta oblitum, ac gypso vultum habens: vel candida induta vestibus, quales ferebant candidati, qui non contenti nativo, & albo lanæ candore, illum, addita creta, augebant,

Cicer. Genus leguminis, quod frictum spargebant candidati, à populo colligendum, non sine rixa, & mu-

Rixanti populo, nostra ut Floralia possint
Aprici meminisse senes; quid pulchrius? At cùm
Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,
Portantes violas, rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino:
Labra moves tacitus, recutitaque sabbata palles.
Tunc nigri lemures, ovoque pericula rupto:
Tunc grandes Galli, & cum sistro lusca sacerdos.
Incussere Deos inflantes corpora, si non
Prædictum ter manè caput gustaveris alli.
Dixeris hæc inter varicosos Centuriones,
Continuò crassum ridet Vulfenius ingens,

INTERPRETATIO.

aiunt illi metum à Diis, à quibus ajunt in homines immitti morbos inflantes corpora, nisi ter manè allium momorderit. Ea porrò quæ de vera libertate diximus, si quis inter milites illos derisores disserere voluerit, statim Vulfenius, eorum unus aliquis, stolidè irridebit, & ut fabulas explodet, negabitque se centum

NOTÆ.

mutuis colligentium verberibus. Ita potest explicari vox illa, *Rixanti populo.*

Floralia. Erant festi dies, in honorem Floræ instituti. In ejusmodi autem ludis, candidati studebant variis largitionibus populi suffragia captare.

Aprici. Qui sole gaudent, qui ad Solem sedentes garriunt.

Lemures. Larvę nocturnæ, & spectra.

Sistrum. Est æneum crepitaculum, quo utebantur in sacris Isidis.

Alli. Allium, à jejunis manducatum, contra incantationes valere credebatur.

Varicosos. Varicosus, qui venas, maximè crurum, nimio tumentes sanguine habet.

Græcos. Philosophi Romæ celeberrimi fermè Græci erant; hinc Græcos pro Philosophis ponit.

Centusse. Centussis est sum-

Et centum Græcos curto centuſſe licetur.

INTERPRETATIO.

tum philoſophos totidem integris aſſibus emptu-rum; ita illos, & omnem philoſophiam contemnit.

NOTÆ.

ſumma centum aſſium.

Licetur. Liceri, eſt, in auctione pretium offerre alicujus rei.



SATYRA VI.

In avaros invehitur, eos maximè, qui suas opes hæredibus dilapidandas servant,

ADmovit jam bruma foco te, Basse, Sabino?
Jamne lyra, & tetrico vivunt tibi pectine chordæ?
Mire opifex numeris veterum primordia rerum,
Atque marem strepitum fidis intendisse Latinæ?
Mox juvenes agitare jocos, & pollice honesto
Egregios lusisse senes. Mihi nunc Ligus ora

INTERPRETATIO.

O Basse, jamne te in villa tua Sabina hyems ad ignem compulit? jamne lyram pulsas plectro, eique vocem, & quasi vitam tribuis, dum carmina plena dignitatis, gravitatisq; condis? Quippe mira vales arte, ad scribendam vincta numeris oratione primorū temporum, & antiquæ Italiæ historiam; ad Latinos versus lyricos, nunc generoso, ac virili quodam stylo procudendos, nunc tenero, & juvenilem in modum jocantes, denique ad res præclarè gestas veterum Heroum nobili carmine celèbrandas. Ego, qui nunc sum

NOTÆ.

Basse. Cæsius Bassus insignis poeta lyricus ea tempestate fuit.

Sabino. Sabini, populi Italiæ sunt inter Umbros, & Latinos.

Tetrico. Tetricus, gravem sonat, severum, ac morosum.

Rerum. Legunt alii, *vocum*.

Marem. Animosum, heroicum, vividum.

Fidis Latinæ. Lyricæ poeseos Latinę. Lyrici poetæ primi, & insignes fuere Græci; inter Latinos postea floruerunt Horatius, & iste, ad quem Persius scribit, Cæsius Bassus. *Fides*, autem, *hujus fidis*, significat lyram, seu chordam lyræ.

Juvenes jocos. Juveniles, liberiores, quales juventutem decent.

Pollice. Carmine lyrico: quia lyra digitis pulsatur.

Lusisse. Ludere aliquid; est, versu amœniori scribere.

Ligus. Ligus, omnis generis est. Liguria porrò est Italiæ superioris pars, ad oram maritimam, ubi nunc Ge-

Intepet, hybernatque meum mare, qua latus ingens
Dant scopuli, & multa littus se valle receptat.
Lunai portum est opera cognoscere, cives:
Cor jubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Mæonides quintus, pavone ex Pythagoreo.

INTERPRETATIO.

sum in ora maritima Liguriæ, temperata utor tempestate, dum in mari sævit hyems: hìc littus tutum ob scopulos quasi latus mari opponentes in vallem amplam sinuatur, portumque præbet insignem, de quo est hic Ennii versus: *Lunai portum est opere cognoscere, cives*. Hoc inquam dicebat Ennius, postquam desiit somniare, se esse Homerum animamq; Pythagoræ, quæ primò in pavonis, deinde Euphorbi, tum Homeri, postea Pythagoræ corpus migraverat, demum quinto loco in suum corpus transisse, per metempsychosim Pytha-

NOTÆ.

Genua, porrigitur ab Gallia usque ad Etruriam inter Apenninum, & mare.

Meum mare. Vel mare vicinum, vel mare Etruscum, oriundus enim erat Persius Volaterris, oppido Etruriæ. Maritimæ regiones solent esse per hyemem calidiores, ob vapores maris, quibus frigus acutum obtunditur. Porrò urbem Lunam in Liguria ponit; licet ad Etruriam pertineat, quia est in Liguriæ limite.

Lunai. Pro Lunæ, ut *aulai*, pro *aulæ*: Virg. Luna est civitas Italiæ, sic dicta, quia in eo loco, ubi posita est, littus in Lunæ crescentis formam curvatur. Est autem hic versiculus ab Ennio sumptus.

Est operæ. Subaudi pretium: hoc est, juvat cognoscere.

Cor jubet &c. Est locutio Græca: id est, hoc voluit Ennius dicere; jubet nos cognoscere Lunæ portum: vel, Ennius, ille vates prudens, & cordatus, jubet ut cognoscamus, nos admonet Lunæ portum cognoscere.

Enni. Ennius poeta fuit Italus vetustissimus, ingeniosus, & eruditus. Annales populi Rom. scripsit, & alia quædam, quorum fragmenta extant.

Destertuit. Desiit stertere, seu somniare. Sic despumo, est, spumam effundo, & relinquo.

Mæonides. Homerus: ita dicitur à patre Mæone.

Quintus. Vel est nomen numeri, & ordinis, ut explicatum est in interpretatione; vel est ipsum prænomen Ennii, quod hìc ironicè con-

Hic ego securus vulgi, & quid præparet Auster
Infelix pecori, securus & angulus ille
Vicini, nostro quia pinguior; etsi adeò omnes
Ditescant orti pejoribus, usque recusem
Curvus ob id minui senio, aut cœnare sine uncto,
Et signum in vapida naso tetigisse lagena.
Discrepet his alius: geminos, horoscope, varo
Producis genio: solis natalibus est, qui

INTERPRETATIO.

thagoream. Hìc ego vitam vivo securam, nihil solicitus, quis de me sermo vulgi sit, quid meridianus ventus, pecori noxius, detrimenti afferre gregibus paret; nihil etiam sollicitus, quòd vicini mei agellus meo sit pinguior: & quamvis porrò omnes infimo loco nati fiăt locupletes, nolim tamen eam ob rem tædio, & dolore consumi: prono in terram vultu incedere parcè, ac duriter vivere, cibisque lautioribus abstinere, ac naso admoto explorare, num vinum in lagena obsignata sit corruptum, atque adeò idoneum, ut bibatur. Sint alii sanè, qui mihi non assentiantur: nec miror; videmus enim interdum gemellos fratres; licet eodem utantur horoscopo, dissimili tamen esse genio, & natura, Alter nullum alium diem festum, præter diem suum natalem, celebrabit; cumq; olera prandebit, nullo pingui condimento adhibito, sed acri tantùm, & acer-

NOTÆ.

conjungit cum Græco nomine, *Mæonides*, quia Græci ejusmodi prænomina ignorabant: quasi diceres, Quintus Homerus, ut Quintus Ennius.

Pythagoreo. Quis fuerit Pythagoras, quid docuerit, vide in satyris superioribus.

Pejoribus. Pejor, maximè apud Græcos, pro ignobiliori ponitur.

Senio. Senium sępè usurpatur pro tristitia, & mœrore.

Uncto. Cibo pingui, & exquisito.

Vapida. Avari vinum, nisi mutatum, & corruptum, non bibunt. Potest etiam sic explicari: explorare, admoto naso, num lagenæ signum, & operculum integrum sit, an à servis resignatum, & fractum.

Horoscope. Horoscopus est inspectio illius horæ, qua quisque nascitur; seu prędictio futuræ hominis vitæ, & conjectura ducta ex astris, sub

Tingat olus siccum muria vafer in calice empta,
Ipse sacrum irrorans patinæ piper : hic bona dente
Grandia magnanimus peragit puer: utar ego, utar
Nec rhombos ideò libertis ponere lautus.
Nec tenuem solers turdorum nosse salivam.
Messe tenus propria vive, & granaria, fas est,
Emole; quid metuas? occa, en seges altera in herba est.

INTERPRETATIO.

acerba muria, empta in vasculo, homo scilicet parcus, & frugi; ac piper in patinam leviter insperget, tanquam si sacrum esset. Alter ingentes opes magnificè absumet, ac disperget in epulis, & luxu. Ego neutrum imitabor; utar meis opibus, nec abutar tamen: non ero ita prodigus, ut meis libertis pisces pretiosos epulandos apponam, aut curam, ac solertiam diligentem adhibeam in dignoscendo sapore turdorum. Fac sumptus pro tuarum fortunarum modo, eosque tua messe, tuis annuis proventibus metire: frumenta, quę servas in granariis, mola contere, panemque inde conficere ne dubita; quid enim times? arva tua sere, & occa: continuò nascetur tibi altera messis in annum sequentem. Hoc verò impensiùs fac, & libentiùs, cùm officii ratio id à te postulabit. En amicus tuus, navi fracta, ad littus Italum conatur evadere, & manu prensare saxa in littore posita: opes ille omnes, ac mer-

NOTA.

sub quibus natus est. Hìc significat certam astrorum complexionem, quæ in cœlo est, dum orimur; astrum natale, quod nativitati præsidet.

Varo. Varus propriè est homo distortis pedibus.

Muria. Est salsugo, seu aqua ex carnibus sale conditis relicta.

Rhombos. Pisces exquisitos.

Libertis. Servis à me libertate donatis.

Ponere lautus. Græca locutio; tam lautus, ut apponam.

Salivam. Pro sapore usurpatur, qui salivam ciet, ac in deglutienda saliva maximè sentitur. Turdi autem aliter alio cibo pasti, & loco sapiunt, aliter si domi, aliter si ruri alantur.

Messe tenus. Usque ad modum, & copiā tuarū opum.

Occa. Occare, est propriè,

Ast vocat officium: trabe rupta, Brutia saxa
Prendit amicus inops, remque omnem, surdaque vota
Condidit: Jonio jacet ipse in littore, & unà
Ingentes de puppe Dei, jamque obvia mergis
Costa ratis laceræ: nunc & de cespite vivo
Frange aliquid, largire inopi, ne pictus oberret,
Cærulea in tabula. Sed cænam funeris hæres

INTERPRETATIO.

merces in mari Jonio, immò etiam vota, & preces inutiles, quas Superis fecerat, perdidit; ipse in littore jacet: apparent tristes navis reliquiæ, quibus mergi insultant: lacerata puppis ostendit fractas imagines Deorum, qui tanquam navis præsides, in ea picti fuerant; nunc eum juvare par est, non tantùm pecunia, sed aliqua etiam agri virentis, & fundi parte vendita, ne cogatur mendicare ostiatim, & circumferre tabulam pictam, in qua suum naufragium descriptum sit. At inquis, meus hæres, id si fecero, iratus mihi quòd ista liberalitate patrimonium imminuerim, dapes in meo funere nullas, aut parum exquisitas, adhibebit; condet ossa mea in urnam, nullis additis floribus odoratis, aut aromatibus; nihil curabit scire, an unguenta, quibus meum cadaver ungetur, odorem emittant surdum, & obtusum, qui vix sentiatur, an casiæ ceraso admixto fuerint vitiatæ. Audire iam mihi

NOTÆ.

glebas majores, post arationem relictas, frangere, & comminuere.

Brutia. Brutii erant Italiæ extremæ populi; propè Siciliam.

Surda. Non exaudita à Superis surdis.

Jonio. Mare Jonium est in extrema parte maris Adriatici, inter Siciliã, & Græciã.

Dei. Pingebant in puppe Deos custodes cujusque navis: iis extructa erat in puppi ara.

Mergis. Sunt aves marinæ.

Costa. Tabulæ fractæ navis: & quasi latera data sunt mergis ludibrio.

Cespite. Non tantùm de pane, & frumento, sed de agro virenti, & messe, quæ in herba tantùm est, largire. Cespes est gleba cũ gramine.

Pictus Naufragi, ut hominum commiserationem moverent, solebant circumferre tabulam, in qua mare, & ipsorum naufragiũ depictũ erat: unde cærulea vocatur tabula ob maris colorem.

Cœnam funeris. Solebant in

Negliget, iratus, quòd rem curtaveris, urnæ
Ossa inodora dabit, seu spirent cinnama surdum,
Seu ceraso peccent casiæ, nescire paratus.
Tùne bona incolumis minuas? & Bestius urget
Doctores Grajos: Ita fit, postquam sapere Urbi
Cum pipere, & palmis venit nostrum hoc
maris expers.

INTERPRETATIO.

mihi videor illum heredem meum, qui me ita increpet: Tùne bona tua, cùm es adhuc florenti ætate, & integra valetudine, sic minuas? En Bestius, homo sapiens, conqueritur (& meritò) de philosophis illis Græcis, qui liberalitatem nobis adeò commendant: aitque, ex eo tempore, quo sapientia, quam prisci olim Romani è remotis, & transmarinis regionibus non petebant, in Urbem cum peregrinis mercibus advecta est, ipsos rusticos, lautiùs cœpisse vivere, & suas pultes condire crasso adipe. At, quis tam ineptus sit ut, obita morte, hæc metuat? ut de minis suorum hæredum sit sollicitus? Tu verò, quisquis meus hæres futurus es, à turba paulùm, arbitrisque mecum te removе, ut hoc audias. Nescis, ò amicè, missas esse ad Senatum ab Imperatore Caligula literas, lauro co-rc-

NOTÆ.

in mortuorum funere dapes ponere, quæ cum cadavere cremabantur: interdum illas sepulchris ipsis imponebant, & quasi mortuis epulandas apponebant: vocabatur ea cœna, silicernium.

Rem. Opes.

Curtaveris. Mutilaveris, aliquid ex ea detraxeris.

Ceraso. Cinnama, casiæ, erant aromata, unde unguenta conficiebantur: ea autem vitiabantur admixto cerasi cortice, seu gummi ex ceraso.

Bestius. Cornelius Bestius, insignis Romæ avarus, in luxum per Philosophos invectum declamare solitus; cujus auctoritate se tutetur ille hæres, bona olim ad se reditura minui quiritans.

Ita fit. Verba sunt Bestii: Sic nempe vivitur, sic in Urbe luxus dominatur.

Sapere. Infinitivus, Græco more, pro sustantivo nomine, sapientia.

Palmis. Quæ ex Syria deferuntur, & Palæstina.

Maris expers. Mari olim advehi non solita. Vel, ponitur *expers*, pro expertum: sapientia mare experta, transmarina, & Græca.

Fe-

Pœnisecæ crasso vitiarunt unguine pultes.
Hæc cinere ulterior metuas? At tu, meus hæres,
Quisquis eris, paulùm à turba seductior audi.
O bone, num ignoras? missa est à Cæsare laurus,
Insignem ob cladem Germanæ pubis; & aris
Frigidus excutitur cinis, ac jam postibus arma,
Jam chlamydas, Regum, jam lutea gausapa captis.
Essedaque, ingentesque locat Cæsonia Rhenos.
Diis igitur, Genioque ducis centum paria, ob res
Egregie gestas, induco; quis vetat? aude:

INTERPRETATIO.

ronatas, propter insignem victoriam, ab ipso de Germanis reportatam: parantur sacrificia, & cineres frigidi, in aris relicti, excutiuntur: jam Cæsonia, uxor Imperatoris templorum foribus arma Regum barbarorum, & vestes affigit, in victoriæ monumentum: jam eadem captivis vestes villosas, & luteo colore insignes, quibus induti ducantur in triumpho, parat, & currus adornat, in quibus Germanos Rheni accolas proceros, collocet ad pompam triumphi. Quare ad agendas gratias Diis immortalibus, hujus victoriæ auctoribus, & Caligulæ Genio, ob res præclarè in eo bello gestas, inducere statuo in arenam centum paria gladiatorum. Quis me id facere prohibet? tune id audes? miserum te, nisi saltem dolorem tuum dissimulas! Quin etiam largiri volo populo epulum: an

NOTÆ.

Fœnisecæ. Rustici, qui fœnum secant.

Vitiarunt. Inquinarunt, cùm antea simpliciùs victitarent.

Ulterior. Ultra mortem positus, defunctus, Cadavera comburebant Romani, & in cineres redigebant.

O bone. O amice.

Insignem. Ironicè: Caligula enim cùm triumphare cuperet, quasi Germanos magna clade affecisset, scripsit ad Senatum, ut sibi triumphus decerneretur.

Pubis. Juventutis.

Lutea gausapa. Villosas vestes, lutei, seu crocei coloris.

Esseda. Currus grandiores, & vehicula Gallorum propria.

Rhenos. Pro, Rheni accolas. Est autem Rhenus, ingens fluvius, Gallias ab Germania dividens.

Genio. Deo tutelari, & custo-

Væ, nisi connives; oleum, artocreasque popello
Largior, an prohibes? dic clarè, non adeò, inquis,
Exossatus ager juxta est: age, si mihi nulla
Jam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
Nulla manet patrui, sterilis matertera vixit,
Deque avia nihilum superest, accedo Bovillas,
Clivumque ad Virbi: presto est mihi Manius hæres,

INTERPRETATIO.

an tibi hoc displicet? dic apertè. Ego verò, inquis, non prohibeo. Age, est mihi prædium suburbanum, probè cultum, & ab lapidibus repurgatum: si ex amitis nulla nulla vivat, ac supersit, nulla patruelis, nulla patrui proneptis: si mortua sit matertera mea sine prole, & nulli liberi ex avia mea supersint: Bovillas ibo: & ad clivum Virbii occurret mihi Manius, quem heredem meum instituam. At ille, inquis, est homo ignobilis, & Terræ filius? Pete à me, quis abavus meus fuerit; equidem dicam, at ægrè: si verò quæras ampliùs, quis tritavus, quis tritavi mei pater fuerit, reperies eos, ut est ille Manius, Terræ esse filios, atque ita Manium istum tam mihi esse cognatum, & tam nobilem, quàm fuit, major meus avunculus,

NOTÆ.

custodi Imperatoris.

Paria. Dies festos colere solebant, inductis in arenam gladiatoribus, qui se mutuis vulneribus trucidarent. Centum autem paria gladiatorum, sunt ducenti gladiatores, inter se æquales. *Par* enim, cùm substantivum nomen neutrum est, significat res duas æquales.

Artocreas. Græca vox est: significat carnem, & panem, sive cibum ex pane, & incocta carne compositum.

Non adeo. Subaudi, prohibeo, absit, ut vetem.

Exossatus. Lapides, ossa terræ dicuntur.

Amitis. Amita patris soror est.

Patruelis. Patrueles vocantur, qui orti sunt è duobus fratribus; consobrini, qui è duabus sororibus.

Proneptis. Nepotis filia.

Patrui. Patruus est frater patris.

Matertera. Soror matris.

Avia. Patris, vel matris mater.

Bovillas. Oppidulum in via Appia.

Virbi. Ita dictus est iste alir-

Progenies Terræ? Quære ex me, quis mihi quartus
Sit pater, haud promptè, dicam tamen: adde etiam unum,
Unum etiam; Terræ est jam filius, & mihi ritu
Manius hic generis propè major avunculus exit.
Qui prior es, cur me in decursu lampada poscis?
Sum tibi Mercurius; venio Deus huc ego, ut ille
Pingitur: an renuis? vin' tu gaudere relictis?

INTERPRETATIO.

lus, & eodem in cognationis gradu mihi censeri propinquum posse, quo major meus iste avunculus fuit. At tu, ò meus hæres: licèt mihi sis prior, & propinquior, quàm iste Manius, cur à me hæreditatem meam, tanquam facem petis, dum adhuc vitæ studium decurro? Expecta, dum obierim: illa tibi ut lucrum insperatum, & indebitum obveniet; atque adeò ego instar Mercurii tibi ero, quippe ille lucris inexpectatis præest, & cum marsupio in dextra manu, ut ille pingitur, ad te veniam. An recusas accipere meam hæreditatem, quanta quantula illa sit, & à me relictis bonis grato animo frui? Mussitas, ut video; deest aliquid summæ, inquis: ego verò, si quid inde abstuli, mihi abstuli, meum hoc commodum aut damnum fuit, non tuum, qui rei meæ dominus non eras. Quod reliquum

NOTÆ.

clivus ab Hippolyto, qui Virbius appellatus fuit, postquam artibus Æsculapii ad vitam revocatus est, & propè hunc collem in templo Dianæ colebatur. Idem clivus vallis etiam Aricina dicebatur, quia per illam ibatur Ariciam. In eo clivo multi erant mendici.

Progenies Terræ. Homines obscuro, aut incerto patre nati, dicebantur filii Terræ, quæ communis est omnium parens.

Pater quartus. Abavus, seu proavi pater. Est enim hic ordo; pater, avus, proavus, abavus, tritavus.

Ritu generis. Perinde quasi hunc locum, & ordinem in meo genere, & familia obtineret.

Major avunculus. Est avi, aut aviæ avunculus, vel frater, ut quibusdam placet; nam avunculus propriè est matris frater, itaque major avunculus erit aviæ frater.

Lampada. Athenienses in quibusdam Promethei fa-

Deest aliquid summæ; minui mihi. Sed tibi totum est,
Quidquid id est: ubi sit, fuge quærere, quod mihi quondam
Legarat Stadius; neu dicta repone paterna.
Fœnoris accedat merces: hinc exime sumptus

INTERPRETATIO.

quum erit, totum erit tuum, quidquid illud sit, noli quærere, quas in res insumpserim, aut ubi posuerim, quod olim Stadius mihi testamento reliquit, nec mecum instar alicujus severi patris age. Tolle de tuarum opum capite, & summa tota usuras, & nummos, quos fœnoris nomine dedisti fœneratoribus: detrahe hinc legitimos sumptus, quos fecisti, quid reliquum est? Certè perparum. Tune hoc mihi dicis, mi hæres? petisne à me, quid reliquum sit; at istud, quidquid est reliquum, te invito consumam, & indulgebo genio. Famuli, caules lautiùs condite, dapes exquisitiores ponite. Egone, ut festis diebus, vescar urtica in tuam gratiam & tuorum, contentusque sim capitis porcini anteriori parte, quæ per aurem, clavo perforatam, suspensa in camino, & fumo durata fuerit? Non faciam. Interim, ò avare, quisquis es, servias per me licèt heredibus tuis, Age, vitam tuam quasi vende, & periculis omnibus expone, ut ea mercede

NOTÆ.

sacris, lampada tenentes manu, ita currebant, ut primus, postquam currendo defatigatus erat, facem alteri recenti, & integro traderet in manum; iste tertio, tertius quarto, &c. posterior autem non porrigebat facem priori; sed prior, seu, qui priori loco stadium erat ingressus, posteriori: sic mortui hæreditatem, & lampadem veluti tradunt viventibus. Alii hæc verba, *qui prior es*, ita exponunt, qui es senior, qui prior vitæ cursum ingressus es, cur à me, licèt junior, hæreditatem ante tempus, ante meum obitum petis?

Merces fœnoris. Idest, fœnus, quod supra sortem, seu caput, ut ajunt pecuniæ colligitur; estque pecuniæ mutuò datæ fructus, & quasi fœtus, vulgò dicitur, usura.

Accedat. Ad summam principem à te addatur. Quidam ita explicant: Noli, ò hæres, instar severi patris, cogere me ad augendam fœnore pecuniam, & ad

Quid reliquum est? reliquum? Nunc, nunc, impensiùs unge,
Unge, puer, caules. Mihi festà luce coquatur
Urtica, & fissa fumosum sinciput aure?
Vende animam lucro: mercare; atque excute solers
Omne latus mundi; ne sit præstantior alter
Cappadocas rigida pingues pavisse catasta.
Rem duplica. Feci: jam triplex, jam mihi quartò,

INTERPRETATIO.

cede divitias compares: mercaturam exerce: omnes mundi partes diligenter lustra; nemo te reperiatur solertior, in mancipiis advectis è Cappadocia venalibus exponendis, & saginandis, in lignea machina, & cavea; duplica opes. *Feci* jam ais: immò ter, quater, decies duplicavi, neque invenio, ubi sistam, aut quem augendæ rei modum faciam. Id me, quæso, doce, ò

NOTÆ.

ad sumptus, qui erunt necessarii, sumendos ex illo fœnore, non ex sorte. Noli mecum agere, ut solent patres cum filiis, quos jubent parcere capiti suorum bonorum, rem augere usuris faciendis, sumptus minuere. Atenim inquis, quantulum est, quod mihi relinquis? Nihil ferè.

Hinc exime sumptus. Noli facere sumptus inutiles in hanc, in illam rem.

Cappadocas. Servi è Cappadocia, minoris Asiæ regione, multi Romam venales deducebantur.

Catasta. Erat Machina quædam, è lignis per intervalla positis, instar ingentis caveæ, in qua saginati, & nudi exponebantur servi, ut eos emptores possent inspicere, ne quid laterет vitii.

In rugam. Metaphora ducitur à pannis, qui rugas contrahunt, cùm duplicantur.

Depinge. Legunt alii, *depunge*, idest, punctum aliquod fige, ubi hæream.

Acervi. Hæc argumentatio sorites alia voce dicitur: in ea multæ coacervantur propositiones, in quibus aliquid doli est: quod in conclusione tandem deprehenditur. Chrysippus, philosophus Stoicus, qui hunc acervum invenit, idem invenit modum ejus solvendi, & sistendi in aliqua propositione, unde omnis dolus penderet,

Jam decies redit in rugam : depinge, ubi sistam,
Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi.

INTERPRETATIO.

ò Chrysippe, tu qui invenisti modum solvendi, & finiendi syllogismi fallacis, qui acervus dicitur.

NOTÆ.

ret, ac in alias derivaretur. Alii hoc aliter explicant, negantque, Cicerone teste, posse ullum acervo finem statui, neque id unquam à Chrysippo inventum : itaque volunt accipiendum hunc ultimum esse versiculum, de re, quæ fieri non possit, hac sententia : Doce me quis avaritiæ modus esse possit, ac finis ; id verò non magis me docebis, ò Chrysippe, quàm docuisti acervum tuum finire; quod præstare nunquam potuisti. Potest etiam ita exponi : doce me ubi sistam, inveniamque modum, & rationem finiendæ cupiditatis, & avaritiæ, quæ simillima est acervo tuo, Chrysippe, cujus finis inveniri nullus potest.

FINIS.

NOI REFFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di revisione & approbazione del P. F. V. Maria Mazzoleni Inquisitore nel Libro intitolato; *D. Junii Juvenalis, & Auli Persii Satyræ cum interpretatione, ac Notis P. Joseph Juvencii è Societate Jesu*, non v'esser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Prencipi, & buoni costumi, concedemo Licenza à Nicolò Pezzana, che possi esser stampato, osservando gl' ordini in materia di Stampe, & presentando le solite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, & di Padoa.

Dat. 3. Giugno 1707.

{ *Ferigo Marcello Proc. Refor.*

{ *Marin Zorzi Refor.*

Agostino Gadaldini Segret.

